UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De Divina Gratia Pars ...

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiæ In Generali, De Avxilio Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiæ Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1652

Liber Tertivs. De Auxiliis Gratiæ in generali, proutin diuina actione, vel motione consistunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-94118

Visual Library

IHS

LIBER TERTIVS

DE AVXILIIS GRATIAE IN GENERALI, PROVT IN DIVINA ACTIONE, VEL MOTIONE consistunt.

PRÆLVDIVM.

1. Partitio totius operis de Gratia.

VNIVERSAM Gratiæ amplitudinem in duo principalia membra in superioribus diuisimus, actualem, & habitualem, cum D. Tho. 1. 2. quæst. 110. art. 2. nam donum animæ inditum, si in ea fine actuali operatione permanere possit, sub habituali gratia comprehenditur; si verò vel operatio animi sit, vel cum ea tantùm duret, actualis gratia vocatur. Et de habituali quidem in posteriori parte principali huius operis dicturi sumus. Actualem verò, de qua in priori parte dicere proposuimus, in duo membra subdistinguimus, scilicet in humanam, ac moralem operationem supernaturalem, seu gratuitam, de qua in duobus præcedentibus libris dictum est: & motionem, seu auxilium, quod propter actus perfectos efficiendos diuinitus præstatur.

Posterior pars iampridem edita est.

3. Præmittitur necessitas gratiæ actualis, de qua in tribus sequentibus libris agendum est.

Quòd autem talia auxilia nobis necessaria sint, satis monstratum est. Illa verò ad actuales gratias pertinere, facilè patet, quia sunt dona humanæ naturæ debita, quibus Deus actu mouet, & iuuat hominem ad rectè & fructuosè in ordine ad supernaturalem finem operandum, & non permanent in homine, nisi quando aliquam mentis opinionem actu exercet, & ita de his gratiis euidenter loquuntur Concilia, & Patres passim diuinam illuminationem, inspirationem, internam doctrinam, vel motionem requirunt. Et simili modo cùm Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. num. 13. & 16. præter habitus gratiæ postulet in iustis diuinum auxilium ad perficiendum in gratia, & ad perseuerandum in illa, & ad merendum apud Deum, apertè docet, præter habitualem esse nobis necessariam gratiam actualem, ratio etiam est evidens, quia nulla virtus creata potest operari sine motione actuali Dei, vnde si supernaturalia opera sine habitibus operamur, ibi maximè necessaria est actualis gratia Dei: si autem per habitus operamur, ipsimet habitus cùm sint virtutis actiuæ creatæ, indigent actuali influxu Dei. Est ergo talis gratia actualis omnino necessaria, & hanc significare solemus nomine auxiliorum gratiæ, de quibus in hoc loco dicere aggredimur.

2. Diuisio gratiæ actualis in auxilium ad actus gratis datis & gratiæ sanctificantis ad actus.

Hoc autem auxilium gratiæ actualis, si de illo in tota sua generalitate loquamur, tam ad actus sanctificantis gratiæ, quàm ad actus gratiæ gratis datæ necessarium est, imò hæ gratiæ, quæ gratis datæ dicuntur, ordinariè non per habitus, sed per auxilia actualia dantur, vt de Prophetia docuit D. Thomas 2. 2. quæstione 171. articulo 2. & de operatione miraculorum quæstione 178. articulo 1. ad 1. idémque est de discretione spirituum, quæ est veluti species quædam prophetiæ, vt idem D. Thomas sensit 1. 2. quæstione 3. articulo 4. fortasse idem est de aliis gratiis gratis datis, quæ Paulus annumerat 1. Corintheorum duodecimo vt sensit D. Thomas 3. contr. gent. capite 154. in fine, & diximus latius in tract. de Fide. propter quam vel propagandam, vel illustrandam illæ gratiæ præcipuè conferuntur. In præsenti ergo de his auxiliis tractabimus, quæ ad actus, quibus sanctificamur, conferuntur, quia, vt in secundo Prolegomeno dixi, de gratiis gratis datis in particulari dissertimus, quamuis intellectis, & explicatis auxiliis gratiæ sanctificantis facillimum sit, eandem doctrinam, ad actus cuiuscunque gratiæ applicare: ad eos præcipuè, qui in mente consummantur.

Dispositio gratiæ ad præsentem sermonem.

Denique gratiæ sanctificantis auxilium, vt in eodem Prolegomento dixi, externum & internum esse potest. Veruntamen externum nullam peculiarem disputationem requirit, sed simul cum interno obiter declarabitur. Agendum ergo nobis est in hoc libro, & duobus sequentibus de internis gratiæ sanctificantis auxiliis: nam in præsenti libro rationem communem, seu substantiam huius auxilij & species eius inuestigabimus, & explicabimus; in duobus verò sequentibus, de illius potestate, sufficienti efficacia, & cum libero arbitrio concordia dicemus.

4. Subiectum auxilij gratiæ sanctificantis.

Subiectum proprium huius secundæ partis.

CAPVT

CAPVT I.

Quid sit, & quotuplex internum Gratiæ auxilium.

QVamuis interna gratiæ auxilia non possunt exactè cognosci, nisi ad singulas earum species in particulari descendendo, nihilominus necessarium duximus, nonnulla, quæ illis ferè omnibus communia sunt, præmittere, vt ita deinceps, quæ singulorum sunt propria, facilius explicemus.

Assertio prima quid nomine Auxilij gratiæ significetur.

Primò ergo supponimus, nomine auxilij gratiæ significari aliquod donum supernaturale gratis homini collatum, quo aliquo modo ad bene operandum iuuatur. Res autem ipsa ex dictis in duobus libris præcedentibus petenda est, nam ibi ostensum est contra Pelagium, non posse hominem sanctè viuere sine dono gratiæ Dei, hoc enim donum prout iuuat hominem ad rectè operandum, auxilium vocatur, & quatenus non est debitū naturæ, sed supra ordinem eius, supernaturale dicitur. An verò supernaturale quoad substantiam, vel quoad modum tantum, infrà videbimus, & eadem ratione dicitur gratis homini collatum, quia cùm supra naturæ ordinem, non est naturæ debitum. Neque etiam potest esse ex merito ipsius naturæ, vt contra Semipelagianos dennitum est, vt suprà vidimus & libro sequenti dicetur ex professo. Ideo ergo hoc auxilium vocatur gratiæ, quia gratuitò datus. Dixi autem non esse debitum ex merito ipsius naturæ, quia ex merito prioris gratiæ, seu auxilij debitum esse potest subsequens auxilium, & nihilominus illud erit auxilium gratiæ, quia erit gratia pro gratia. Quia verò necessariò fatendum est in aliquo primo auxilio, illud omnimodo oportet esse liberalis gratia, ac subinde tota collectio auxiliorum, quæ cuilibet homini conferuntur, est gratia, id est, in aliquo primo auxilio omnino gratuito fundata.

Omne auxilium gratiæ est aliquomodo supernaturale.

Tota collectio auxilium quæ cuilibet homini conferuntur, est gratia ratione alicuius primi omnino gratuiti auxilij.

Secundò dicendum est, auxilium internum gratiæ, saltem propriè sumptum, ac rigorosè esse aliquid creatum, non quòd per propriam creationem fiat, id enim necessarium non est, vt postea de gratia habituali dicemus, sed quòd aliquid sit extra Deum vt ab eo factum, ac participatum: Et sic est certissima assertio indefinitè & absolutè sumpta; quia Scriptura loquitur de donis gratiæ, vt significet esse effectus gratuitos diuinæ potentiæ, quod maximè de illis, quæ ad nos iuuandum, vt sanctè viuamus, vel operemur, intelligit, vt constat ex illo Ephes. 4. *Vnicuique data est gratia secundùm mensuram donationis Christi, propter quod dicitur: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus*, & Rom. 12. *habentes donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis.* quibus locis licèt videatur loqui de ministeriis, vel gratijs gratis datis, sine dubio inuoluit auxilia gratiæ, gratum facientis. Et plura alia, quæ in Prolegemeno primo allegauimus, probando, dici in nobis gratiam creatam, & ex sequenti assertione euidenter etiam monstrabitur; ostendemus enim auxilium gratiæ esse aliquid nobis inhærens, quod esse non potest nisi sit aliquid creatum. Denique suprà ostensum est, dari in nobis quosdam actus supernaturales, qui necessariò debent esse creati, cùm sint actus vitales: sed in his actibus necessariò includitur auxilium aliquod intrinsecum saltem quoad essentialem dependentiam, quam à Deo habent. Deinde infrà ostendemus, multa ex auxilijs necessarijs ad bene operandum esse actus vitales nostros. Ergo necesso est esse aliquid creatum.

Assertio 2. Auxilium internum gratiæ proprè dictum est aliquid creatum.

Probatur ex Script. *Ephes.* 4. 7.

Rom. 12. 6.

2. Quia hæc auxilia sunt effectus supernaturales.

Dixi autem assertionem esse certam indefinitè & absolutè sumptam, quia quod aliqua & plura auxilia gratiæ sunt dona creata, sine dubio est de fide, vt in sequenti assertione probabitur. An verò aliquod auxilium sit etiam increatum, sub controuersiam theologicam cadit. nam Spiritus sanctus ipse prout immediate nos adiuuat ad aliquos actus, potest etiam denominari auxilium gratuitum, & increatum. Sicut sacra Scriptura vocauit mulierem adiutorium hominis, simile Spiritus sanctus viro. Gen. 2. melius verò & propriùs vocatur Spiritus sanctus adiutor noster, quam ipsum adiutorium, nam adiutorio, quod nobis præbet, extrinsecè denominatur adiutor, sicuti à creatione creator; ergo ipsum adiutorium in rigore sumptum aliquid creatum est ab ipso Deo promanans, & ideo in Scriptura solent illa duo distingui. *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram*, Psal. 113. &, *Deus in adiutorium meum intende*, &, *Inuocauit Dominum vt non derelinquat me in adiutorio*, Eccles. 51. Distinguitur ergo adiutorium ab ipso Deo tanquam aliquid dandum ab ipso Deo. Eodem modo loquitur Scriptura sacra, vt Psal. 19. *Mittat tibi auxilium de sancto*; & Psal. 102. *Leuauit oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino.* Propter hæc igitur dixi in assertione, auxilium internum propriè sumptum semper esse aliquid creatum, quia si nomen *auxilij* extendatur ad omne supernaturale principium nos adiuuans ad sanctam operationem, potest in latitudine auxiliorum dari aliquod increatum; sed de illo dicimus impropriè vocari auxilium, cùm sit ipse principalis adiutor, ideóque de internis auxilijs propriè ita vocatis sine limitatione dicimus, esse aliquid creatum. in quo vt video nulla est dissentio inter Catholicos. De illo verò puncto, an interdū principiū nos proximè adiuuans ad actus supernaturales, sit increatum, solet esse aliqua controuersia, quam infrà in hoc libro, & sequentibus tractabimus.

Resolutio. Rectiùs dicitur *Adiutor* quàm adiutorium & Auxiliator quàm auxilium.

Probatur ex Scriptura. *Psal* 123. 8. *Psal* 69. 1. *Ec* 51. 14. *Psal.* 19. 3. *Psal.* 120 1.

Auxilium nō extenditur ad principium adiuuans nisi impropriè.

Tertiò dicendum auxilium internum gratiæ esse creatum accidens potentijs animæ, præsertim voluntati, & intellectui inhærens. Hæc conclusio intelligitur, sicuti præcedens, de propriis auxilijs gratiæ modo ibi explicato, & sic est certa, & extra omnem controuersiam. Et in primis probari potest ex his, quæ diximus de actibus gratiæ. Nam illi sine dubio sunt dona Dei nobis inhærentia. Ergo necesse est auxilia illis intrinseca nobis inhærere. Item Scriptura explicat sæpe, hæc auxilia per verba significantia actus vitales, vt sunt vocare, audire, & similia. At verò hi actus necessariò sunt nobis inhærentes, vt per se constat; ergo. Assumptum patet ex illo Io. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Audire enim, & discere actus vitæ sunt, & mentis. Item dicitur ibidem, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; nam tractio per actus vitæ, & effectus sit, vt Augustinus exponit, & communiter Patres infrà citandi. Item vocatio sancta, de qua Paulus loquitur 2. Timoth. 1. quam etiam cælestem appellat Hebr. 3. Philipp. 3. 14. supernam & Petr. 2. 1. 1. certam, ac frequenter Scriptura loquitur, in mente auditur, & recipitur, vnde est illud Matth. 13. *Qui habet aures audiendi audiat*, & Psal. 94. & ad Hebr. 3. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*, &c. & ita etiam in mente recipitur. Hæc autem maximè pertinent ad gratiæ auxilia, vt postea videbimus. Denique Scriptura docet, hæc gratiæ auxilia sæpe donari; quamuis enim frequentius hoc dicatur indifferenter de donis gratiæ, nihilominus sub illis coprehenduntur hæc auxilia, & interdū de illis in speciali est sermo, vt cùm dicit

Sequitur ex dictis.

Ostenditur ex Script. quæ explicat hæc auxilia per verba significantia actus vitales.

Ioan. 6 45. *Ibid.* 44. *2. Timoth.* 1. *Hebr* 3. 1. *Philip.* 3. 14. *2. Pet.* 1. 1. *Matth* 13 9 *Psal.* 94 8. *Hebr* 3 7 & 13.

Dicuntur etiā à Script. dona Dei.

Ioan. 1. 9. dicitur Ioan. 1. *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc modum.* nam illuminatio in eo, qui illuminatur recipitur, & per eam ad agnoscendum iuuatur. Itē solet gratiæ auxilium significari nomine *Spiritus*, qui ad bene operandum nobis datur, vnde & spiratio appellatur, iuxta illud, *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audio*, Ioan. 3. vnde Paulus ad Eph. 1. orat. *vt Deus det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis, in eius agnitione; illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis, quæ sit spes vocationis eius*, &c. sic etiam dicit 2. Timoth. 1. *Non dedit nobis spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.*

Significantur nomine Spiritus.
Ioan. 3. 8.
Ephes. 1. 17
2. *Tim.* 1. 7.

5. Probatur ex Cōciliis.

Præterea ex his, & similibus locis sumptæ sunt plures Cōciliorū locutiones, quibus gratiæ auxilia significantur, vt dona creata nobis inhærentia. Sic Concilium Mil. can. 3. dixit, sed etiam in adiutorium, vt non cōmittantur, & can. 4. tradit hoc adiutorium non consistere in sola reuelatione, sed in aliquo alio dono, quod nobis præstatur, vt quæ facienda cognouerimus, facere diligamus, atq; valeamus. Clariùs Conc. Arausic. can. 4. dicit per S. Spiritus infusionem, & operationem voluntatem nostram à peccato purgari, atque ad id præparari, & can. 5. dicit fieri in nobis per gratiæ donum, & can. 6. de reliquis actibus ait, fieri per infusionem, & inspirationem Spiritus sancti in nobis; ac denique idem non minus clarè sumitur ex Concilio Trid. sess. 6. c. 5. vbi docet, initium iustificationis sumi à præueniente gratia, quę sine dubio est vnum ex diuinis auxiliis, quod declarat dicens, hoc est, ab eius vocatione, quam in homine recipi manifestum est, vnde statim vocat eam excitantem gratiā, & tactum cordis qui in homine fit per Spiritus sancti illuminationem, & inspirationem, quæ omnia manifestè dicunt actus nobis inhærentes.

Mileuit.
Idem.
Arausic.
Idem.
Trident.
Idem.

Inefficax aliorū probatio ex eodem Concil.

Quod aliqui etiam colligunt ex eo quod subdit Concilium, neq; vt homo ipse nihil omnino agat spirationem illam recipiens nam videtur his verbis expressè significari illam spirationem in nobis recipi; sed decepti sunt in verbo *recipiendi*. nam ibi non significat physicam receptionem, sed liberum consentium, sicut dicitur recipere fidem, qui vult credere. Consentire ergo in spirationi est recipere illā sicut abiicere eam est illi dissentire, vt in can. 4. idem Concilium explicauit, nam abiicere illam, ita, vt nos non excitet, ſępe non est in hominis libertate, sicut non est in nostra potestate, quin vitis tangamur; ex hac verò potestate recipiendi hoc modo, vel abiiciendi inspirationē, optimè colligitur, illam esse aliquā cogitationem, vel motionē animi nostri, ac subinde nobis inhærere. Addit denique ibi Concilium, gratiam adiuuantem, quæ etiam est aliquid distinctum ab ipso Deo modo suprà declarato, & ideo si est internum adiutorium, non potest esse nisi in nobis: vnde in c. 16. Deum in homines iustificatos iugiter virtutem influere ait, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit. Quam doctrinam can. 4. repetit, & in 5. addit liberum arbitrium moueri, & excitari per vocationem, quod sine aliquo præuio dono inhærente ipsi libero arbitrio intelligi non potest.

Consentire inspirationi est recipere illam: vnde iuxta locutionem Trident. recipere non semper significat physicā susceptionem.
Idem.
Idem.

6. Probatur ratione.

Tandem addi potest ratio, quia auxilium gratiæ præbet voluntati, vel intellectui vires ad agendum, vel ipsammet actionem: sed vtrumq; fit per aliquod nobis inhærēs; quæ ratio ex principiis superiùs positis est manifesta. Vnde Pelagiani, vel eorum reliquiæ, aut alij hæretici, possunt à doctrina data dissentire. Pelagius enim cùm omnes actus ad salutem vtiles fieri posse viribus naturæ diceret, consequēter vera auxilia gratię negauit, & licèt aliquā interdum admiserit vt vtilia, seu ad faciliùs operandū, solùm fuit per modum doctrinæ, & reuelationis ex parte obiecti, non per modum auxilij interni dātis vires ad operandū, & ex Augustino in lib. de gratia Christi in 3. Prolegomeno ostendimus. Noui autem hæretici in contrario extremo, licèt hominē per se ipsum aliquid boni agere posse negent, ideò corruptionē humanæ naturæ exaggerant vt vera gratiæ auxilia negare, & totam gratiam in fauore extrinseco ponere cogantur. Dicunt enim non posse ad iustitiam se disponere, & quo magis ad hoc conatur, eo magis peccare, nec posse fructus veros iustitiæ facere, sed in omnibus suis actibus peccare. Nullum ergo verum auxilium gratiæ in eorum sententia nobis datur, sed solus fauor, quò peccata propter fidem non imputantur; de ipsa verò fide quid senserint, vel consequenter loquendo sentire potuerint, in superiori l. c. 2. diximus, & ideo de his errorib⁹ nihil ampliùs dicere in præsēti necesse est.

Probatur — *Nouatorū oppositum dogma.*

Hinc reiicitur Pelagianorū error.
Augusti.

Dico igitur primò, auxilium gratiæ in nobis esse qualitatem aliquam, vel actionem, seu motionem nobis diuinitus immissam.

Lib. 2. per. tot. cap.

Ad probandam hanc assertionē suppono, vt clarum, non posse auxilium gratiæ ad aliquod prædicamentū præter qualitatem, vel actionem, sub qua passionē semper includo, pertinere, quia ostensum est esse accidēs, per quod à prædicamento substantię excluditur, & cū sit in superioribus potētis animę rationalis, constat esse accidens spirituale, per quod à quantitate, & cæteris imperfectis prædicamentis aliquod auxiliū gratię possit dari etiā in phantasia, vel appetitu sensitiuo, ac proinde materiale sit, manifestū est longè distare à quantitate: nā ad effectus longè diuersos datur. Et eadem ratione non potest auxilium gratię in relatione aliqua poni, cùm relationis nec principia agendi, nec per se terminia actionis, nec etiā actio per se tendens ad aliquam actionem esse possit, vt tanquam manifestum supono. Relinquitur ergo vt solum ad alterum exillis duobus prædicamentis qualitatis, vel actionis possit auxilium gratiæ pertinere.

1. Assertio. Auxilium gratiæ qualitas, vel actio. Non potest reduci ad aliud prædicamentum.

De illis verò duobus est nonnulla dubitatio; nam quidam distinguunt auxilium in habituale, & actuale, & dicunt auxilium habituale esse qualitatem, actuale verò non esse qualitatem, sed motionem puram, ac in sola actione, vel passione consistere, & videtur fauere D. Thomas 1. 2. q. 100. art. 2. vbi in genere tractans de gratia, priùs concludit esse qualitatem, vel actionem, & postea distinguit gratiam in habitalem, & actualem, & habituale dicit esse qualitatem; actualem verò in prædicamento actionis reponi. Videtur intelligere ita esse actionem, vt nihil aliud sit, neq; vllo modo sit qualitas. nam si tantùm intellexisset, esse actionem, quia semper tale auxilium per actionem datur, & conseruatur, nulla esset differentia à D. Thoma constituta inter habitualem, & actualem gratiam, quia etiam habitus non dabitur nobis sine actione Dei supernaturali, & gratuita. Nobis verò in præsenti distinctio illa necessaria non est, quia in hac prima parte huius operis de sola gratia actuali tractare proposuimus. Vnde nomine auxilij, solum illud intelligimus, quod in actuali operatione consistit vel solum quandiu illa durat, in nobis permanet, quanquam suo modo possit etiam habitus vocari auxilium, quod ed solum modum loquendi spectat, vt in sequentibus iterum dicam.

Diuisio in habituale & actuale.
Non datur habituale sine actuali.

Vberior explicatio & probatio assertionis quartæ.

De auxilio ergo gratiæ sic sumpto, dico non esse solam actionem, vel motionem, sed etiam qualitatem, quamuis dependentem ab actuali virtute operatione. Declaratur, & probatur, quia in primis necessarium est, vt auxilium gratiæ incipiat ab actione Dei in nobis, quia auxilium actuale consistit in actuali mutatione interiùs in

2. Assertio. Auxilium gratiæ incipiat etiam ab actione Dei in nobis, quia auxilium actuale consistit in actuali mutatione interiùs in poten-

potentiis nostris facta, vt ex ipsis terminis, & probationibus tertiæ conclusionis manifestum est: omnis autem actualis mutatio media actione incipit, quia progredi ab agente, & in subiecto recipi necesse est. Hæc autem actio necesse est vt habeat aliquem terminum, hoc enim est de ratione omnis actionis realis, vt ex Philosophia, & Metaphysica suppono, quia omnis actio est via quædam, & via ad aliquem terminum ducit, nec aliter concipi potest. Omnis ergo actio Dei in nobis habet pro termino aliquod gratiæ donum in nobis factum. Hic autem terminus seclusis habitibus triplex cogitari potest.

Actionis Dei in nobis triplex terminus cogitari potest.

10. Primò, quando vitalis, & libera operatio est proximus & immediatus terminus talis actionis, vt est actio illa, qua Deus nobis immediatè infundit voluntatem credendi, vel ipsummet actum credendi deliberatum, vel perfectum amorem sui, aut contritionem, vel quemlibet alium similem actum. Et tunc sola Dei actio habet rationem auxilij: terminus autem eius per se non est auxilium, sed effectus auxilij. Atque ita de hoc auxilio verè dicitur solùm constituti in prædicamento actionis. Probatur; quia auxilium dicit relationem ad eum, qui iuuatur, datur enim illi in ordine ad actionem eius, nimirum vt in illa per tale auxilium aliquo modo iuuetur. At verò in illo genere auxilij Deus per actionem suam non facit solus, sed simul cum voluntate, vel intellectu hominis, à quibus necesse est vt tales actus simul procedant. Ergo tale auxilium in illa actione Dei, vt actio est, verè, ac prius consistit. At verò terminus talis actionis, qui iuxta sententiam à Theologis, & Philosophis frequentiùs recentiam, non datur, per se loquendo, propter aliam operationem, sed proximè propter se suumque effectum formalem, remotè verò propter præmium, vel alios effectus supernaturales, & ideo non habet rationem auxilij, sed cuiusdam doni actualis gratiæ: ita enim vocantur hi actus à Patribus, dicentibus, tantum esse Dei erga homines bonitatem, vt eorum velit esse merita, quæ sunt dona sua: dixi autem sæpè *per se loquendo*, quia interdum potest vnus actus supernaturalis ac liber, & perfectus multum iuuare ad alium efficiendum, & sub eo fine, & intentione à Deo dari, vt actus fidei, vel orationis iuuet ad resistendum Dæmoni, & diuinus amor ad implenda diuina præcepta, sed hoc est secundarium, & quasi accessorium his actibus, & ideò strictè loquendo inter auxilia non computantur, sed vt illi fiant cætera auxilia præstantur.

1. fit terminus vitalis liber productus per actionem à le distinctam.

Actio producta huius termini propij est auxilium.

Terminus ille licet sit vera qualitas, non est auxilij strictè, sed effectus auxilij.

Per actiones tamen & secundario de nomine potest aliquis transubstantiari ad alium supernaturalem & liberum elicendum.

11. Secundò potest actio, qua nobis Deus præbet auxilium, terminari proximè ad aliquem actum vitalem intellectus, aut voluntatis, non tamen liberum, nec perfectè humanum, sed mouentem, vel operantem ad alliciendum consensum supernaturalem ac liberum, & huiusmodi auxilium præter actionem Dei includit qualitatem quandam, quia, vt dixi, terminus intrinsecus illius actionis est actus vitalis: actus autem vitalis in suo esse perfecto qualitas est; & quamuis sub vtraque ratione sit verum auxilium, nihilominus in ordine ad actum liberum, propter quem datur, immediatius est auxilium, prout est quædam qualitas animam afficiens, & excitans, seu dans ei vires ad operandum. Ratio est, quia motio illa, vt est actio diuina proximè iuuat potentiam hominis ad eliciendum actum illum indeliberatum, & ibi sistit, vt sic dicam illud adiutorium quoad suum proximum, & per se influxum, & ideo non tam est auxilium per se ad actum virtutis intentum, quàm auxilium ad motum vitæ formaliter distinctum, qui ad actum moralem, & virtutis proximè iuuat: quia verò vitalis qualitas, quæ sit per illam actionem per se ipsam proximè iuuat ad vlteriorem actum supernaturalem, ideo etiam ipsa actio potest saltem remotè dici auxilium ad ipsum consensum. Hoc ergo genus auxilij in actione, & qualitate diuersis rationibus consistit. Et quia in re nunquam separantur, nec distinguuntur, nisi sicut res, & modus, ideo morali, & communi modo loquendi, totum illud vnum auxilium reputatur, quod potest dici veluti ex actione, & qualitate compositum.

Moraliter hic terminus cum actione quâ fit vnum auxilium reputatur.

12. Tertio modo potest intelligi Deus aliquid in potentia efficiendo, quod non sit actus secundus, seu vitalis, sed tantùm aliqua entitas per modum actus primi, non tamen permanentis in potentia non operante sed durantis, solùm quando potentia operatur, vt in hoc ab omni qualitate, quæ per modum habitus nobis infunditur, distinguatur. Et hoc genus auxilij ponunt aliqui moderni Theologi, & vocant illud actuale, non quia sit actus vitæ, sed quia est quasi transiens, vt ita distinguant illud ab habituali auxilio. Et conueniunt omnes, esse motionem, seu actionem Dei. Est autē magna controuersia inter eos, an sit qualitas necne: quidam enim eorum dicunt esse puram motionem, alij verò addunt etiam esse qualitatem quandam, ad quam illa motio, vel actio intrinsecè terminatur. Ego verò nullum tale auxilium internum potentijsque animæ inhærens præter actus vitales, & actiones eorum, nec alias qualitates per se infusas agnosco, nisi vel habitus, vel supernaturales actus vitales. quod in sequentibus latè tractandum est in variis locis & euationibus. Posita verò illa sententia multò probabilius est tale auxilium proximè consistere in qualitate licèt præcedat actio, vel motio Dei, per quam talem actum infundit, vt in discursu huius libri ostendam.

Tertius terminus non datur modū actus primi permanentis in potentia non operante vel quamdiu illa operatur.

Admittitur à modernis Theologis. Controuertitur ante eos an sit qualitas necne.

Nullum tale datur auxilium.

13. Sic ergo satis probata relinquitur assertio, simúlque declaratum est, quando actualia auxilia non solum actiones esse possunt, sed etiam qualitates, nunquam esse posse actiones, vel motiones, quin per ea infundatur aliqua qualitas, quæ sit etiam auxilium, vel vltimus actus, & terminus auxilij. Neque existimo D. Thomam in sensu contrario huic doctrinæ locutum esse, nec ille enim de solis auxiliis non tractat, sed simpliciter de gratia, & quando dixit actualem gratiam non esse qualitatem, non loquitur de auxilio gratiæ, nec de actione, vt actio est, sed gratuito effectu, hoc est, de ipsomet actu vitali, vt est quidam motus animi perfectus, de quo negari non potest, quin sit in re ipsa vera qualitas. Solùm ergo ad distinguendum illud actuale donum ab habituali, dixit Diuus Thomas non esse qualitatem, imitatus Aristotelem lib. 10. Ethic. cap. 3. dicentem operationem virtutis, & felicitatem non esse qualitatem, intelligit enim non esse qualitatem non puram, & ab actuali, & vitali efficientia hominis independentem, & ideo isti actus, ne putarentur esse qualitates merè passibiles, seu receptibiles in subiectis, nomen operationum, seu actuum retinuerunt, quia ad suos formales effectus actualem influxum vitæ requirunt. In hoc ergo sensu D. Th. vt actum ab habitibus gratiæ distingueret, dixit actus non esse qualitates, quia in actuali motu consistunt, sine quo possunt habitus permanere.

Nunquam infunditur motio sine qualitate, quæ sit etiā auxilium vel termi-

Mens D. Thomæ sup. 2. num. 8.

Aristotel.

14. Vltimò dicendum est auxilium gratiæ non vnum tantùm, sed multiplex esse. Hanc assertionem perfunctoriè attigimus in Prolegomeno primo, voces diuersorum auxiliorum explicando: in discursu autem huius libri per illas significatas explicaturi sumus ad vnum, vel duas diuisiones illas vocando. Potest enim

Assertio quinta. Auxilium gratiæ multiplex est. Primò, dividitur in

enim auxilium gratiæ primò diuidi in auxilium, in intellectu, vel in voluntate receptum, quæ diuisio generatim sumpta nullâ indiget expositione, nam vnum in actibus, vel motionibus in voluntate receptis, aliud in illustratione intellectus consistit. Secundò diuidi potest vtrumque auxilium in supernaturale quoad substantiam, vel quoad modum, quam diuisionem in dicto Proleg. 1. sufficienter pro loci opportunitate declarauí. Et ex dictis in duobus libris præcedentibus ex parte effectuum, seu terminorum amplius explicata est, nam auxilium in substantia supernaturali ad actus in se supernaturales necessarium est; illud verò datur ad actus ordinis naturalis, solum quoad modum supernaturale requiritur. Quomodo autem in seipsis hæc auxilia distinguantur, in cap. huius libri dicetur. Tertiò diuiditur auxilium gratiæ in excitans, & adiuuans, ad quæ membra reuocamus alia similia, quæ à PP. traduntur, nimirum auxilij operantis, & cooperantis, præuenientis, comitantis, & subsequentis, ac denique, illud quod specialiter dicitur dari per modum conuersus, de quibus omnibus eo ordine, quo propositâ sunt, in discursu huius libri dicturi sumus. Quartò diuiditur auxilium gratiæ in sufficiens, & efficax, quæ membra in duobus libris sequentibus declarabimus.

i auxilium in ntellectu, vel in volũtate receptum.

Secundò vtrumque subdiuiditur in supernaturale secundũ substantiam, vel quoad modum.

Tertiò, in auxilium excitans & adiuuans.

Quartò, in sufficiens & efficax.

CAPVT II.

Vtrùm auxilium excitans sit primum in ordine gratiæ sanctificantis adultorum.

1. Suppositio 1. Hęc auxilia pertinẽt ad solos adultos.

SVpponimus interna auxilia gratiæ propria esse adultorum & ratione vtentium, quia in operatione rationali aliquo modo consistunt, & ad actus liberos efficiendos conferuntur; ideóque infantes sicut ad liberè operandum, ratione vtendum apti non sunt, ita neque auxiliorum gratiæ sunt capaces; & ideo in hoc, & duobus sequentibus libris, etiamsi interdum simpliciter de sanctificatione loquamur, de sola sanctificatione adultorum semper intelligimus, quod semel admonuisse sufficiet. Supponimus deinde dari vnum ex auxilijs sub illa generali voce, videlicet sub sanctificatione quod continetur sub nomine vocationis, locis in proœmio huius libri allegatis, & Rom. 8. Marc. 2. & alibi sæpe, & sub nomine pulsus, Apocalyps. 3. & sub nomine locutionis ad cor, Ose. & vox ipsa excitationis satis insinuatur Dan. 13. ibi, suscitauit Dominus spiritum Danielis pueri. Perinde etiam dictum est, ac si diceretur *excitauit*, & ita etiam dixit Petrus Ep. 2. cap. 3. *Vestram excito in commottone sinceram mentem.* Et Ecclesia frequenter publicè orat: Excita Domine corda nostra, excita Domine tuorum fidelium voluntates, &c. & ex Conciliis, & PP. plura statim afferemus. Ratio autem potissimè petenda est fragilitate liberi arbitrij ad opera Virtutis, & pietatis, nam inde oritur necessitas huius auxilij, quæ magis in sequentibus declarabitur.

Supp. 2. Datur aliquod auxilium quod à Script. vocatio, locutio, excitatio dicitur. *Rom.* 8. 30. *Marc.* 2. 17. *Apoc.* 3. 20. *Ose.* 2. 24. *Dan.* 13. 45. 2. *Pet.* 3. 2.

2. Supp. 3. Sanctificatio adulti plurium actuum successionem includit.

Tertiò supponimus sanctificationem hominis adulti, vt complectitur non solum formæ sanctificantis infusionem, sed dispositiones etiam, quæ ad illam præcedunt, non vno momento, nec vno actu, sed plurium successione fieri, & ideo priusquam quid sit hoc auxilium declaremus, necessarium iudicamus exponere, an via generationis, iustificationis initium ab hac gratia sumatur. Quod simili ferè modo quæri potest de quolibet opere pietatis, quod est primum in aliquo tempore, vel serie operationum, quando videlicet homo priùs de illo nihil cogitabat, & postea illud operatur; nam illa etiam mutatio non in momento fit, nec sine successione plurium actuum internorum, & ideo ibi etiam quæri potest, an gratiæ auxilium, quod ad tale opus datur, ab excitante incipiat.

Status quæstionis.

Ratio dubitandi, gratia excitans est alia à vitali.

Ratio dubitandi esse potest, quia gratia excitans in aliquo vitali actu consistit, sed prima gratia auxilians non potest esse actus vitalis; ergo gratia excitans non potest esse prima gratia auxilians. Maior supponitur tum ex communi sententia, tum ex vi vocis, nam excitatio interna non fit sine hominis attentione, & vigilia, & hæc non fit sine actu vitæ. Minor probatur primò, quia gratia prima auxilians debet fieri in nobis à solo Deo: actus autem vitalis non fit in nobis à solo Deo, vt supponimus. Ergo actus vitalis non est prima gratia auxilians. Consequentia est clara: oftenditur & maior testimoniis, & rationibus ostendi potest. Primum testimonium sit illud Psal. 120. *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram*, quod additum videtur, vt intelligamus, sicut solus Deus fecit cælum & terram, ita à solo Deo esse nostrum auxilium, non à nobis, & ideo etiam non dixit, à Domino, & à me, quia solus Deus confert tale auxilium. Secundò, ex illo Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam*, &c. Vbi duo distinguuntur, vnum est pulsare, quod est solius Dei, aliud est audire, quod est etiam ab homine: homo autem non excitatur donec audiat; ergo antequam excitetur, excipit etiam gratiam præuenientem, qua pulsatur. ergo datur gratia præueniens prior excitante. Tertiò probatur ex Concilio Arausic. 2. can. 20. dicente: Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo; quod maximè dictum est à Concilio propter gratiam primam præuenientem, quâ homo à Deo mouetur, vt contra Semipelagianos doceat illam primam gratiam, quæ est initium salutis, non pendere à natura, sed à solo Deo. Ergo illud primum auxilium ex mente Concilij, nullo modo fit ab homine, ac proinde non est actus vitalis, nec gratiam excitans.

Ratio dubitandi, gratia excitans est alia à vitali. Gratiam primam à libertate etiam solo Deo oftenditur testimoniis. Primum *Psal.* 120. Secundum *Apoc.* 3. Tertium Concil. Arausic.

Præterea potest rationibus confirmari. Prima quia motus gratiæ excitantis, est in se supernaturalis, vt infrà ostendemus: ergo non potest fieri à potentia naturali animæ, nisi constituta saltem primò natura, per aliquod principium supernaturale illi intrinsecum, & inhærens, vt per illud in actu primo constituatur. Ergo primum donum gratiæ actualis est infusio illius principij gratuiti, quo intellectus, vel voluntas constituitur in actu primo ad efficiendum actum vitalem supernaturalem etiam non liberum, & ita solus Deus efficit in nobis primam gratiam sine nobis actiuè, sed tantùm passiuè concurrentibus. Posterior illatio data est. Prior autem probatur. Primò, quia actus secundus supponit essentialiter actum primum; ergo non potest naturalis potentia efficere actum supernaturalem, quoad substantiam, nisi priùs constituatur in actu primo etiam supernaturali, etiam ipsa vitalitas est supernaturalis. Ergo debet esse à principio intrinseco supernaturali; ergo ante actum vitalem supernaturalem debet supponi alia prior gratia, quæ non sit actus vitalis. Tertiò, quia aliàs primum initium nostræ salutis non esset reducendum in ipsum Deum solum, sed in Deum & naturam, quod nullus Theologus concedet; quia videtur ad Semipelagianismum accedere. Sequela probatur, quia actus vitalis excitantis gratiæ non pendet à solo Deo.

4. Ratio cõfirmatur. Prima gratia excitans supernaturalis debet fieri à Deo immediatè principiis supernaturalibus illi intrinsecis. Secundum vitalitas supernaturalis. Tertium primum initium nostræ iustificationis est à solo Deo.

Deo. sed etiam ex potentia nostra, vt quædam natura est, necessitate quadam naturali influens intales actus. Quartò, quia gratia præueniens, qua Deus nos mouet ad hos actus gratiæ excitantis, non est influxus immadiatus in ipsos actus; ergo ille influxus non est ab ipsis potentiis, nam ipsæ non efficiunt in se aliquid præuium ad actus. Ergo ille influxus non est actus vitalis, sed prius ipso. Antecedens probatur, quia si Deus solum influeret in actum cogitationis, v. g. gratiæ excitantis, talis cognitio esset sola ex sola facultate naturæ cum concursu Dei, contra illud Pauli 2. Cor. 3. *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Gratia excitans est primum donum in ordine ad alia sanctificationem.

Prima gratia interior excitans.

Probatio prima ex Tridet.

Nihilominus dicendum est, primum donum gratiæ, quod Deus homini confert in ordine ad ejus sanctificationem, esse aliquam gratiam excitantem. Hæc assertio est cõmunis Theologorum, qui de his gratiis clariùs, & expressiùs scripserunt, quos in sequentibus referam, quamuis illam non tam disputare, quàm supponere videantur, & quamuis in assertione de interna gratia loquemur, possumus eius probationem ab externa inchoare, quia in adultis prima gratia exterior necessariò esse debet etiam exteriùs excitans, vtique per verbum Dei, iuxta Paulum ad Rom. 10. dicentem, *fides est ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Est enim fides humanæ salutis initium, ac fundamentum, & radix totius iustificationis, vt dixit Concil. Trident. *sess. 6. cap. 8.* initium autem fidei externum est prædicatio Verbi Dei quæ mentem excitat. Ergo prima gratia exterior ad iustificationem pertinens gratia excitans est. Idem autem non minus certum est de interna gratia. quod probatur, primò ex Concilio Tridentino suprà cap. 5. dicente, declarat præterea ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione. Manifestum autem est vocationem esse gratiam excitantem, vt idem Concil. paulò pòst declarat, dicens, vt per eius excitantem gratiam: & in doctrina Augustin. est manifestum, postea declarabimus. Potèstque declarari ex vocatione sensibili, nam illa nihil aliud est, quàm quædam excitatio, quæ per sensum vsque ad mentem peruenit; ergo etiam interna vocatio Spiritus sancti nihil aliud est, quàm excitatio ab eodem Spiritu sancto menti indita. Præterea idem Concilium in cap. 7. describit totam seriem gratiarum, & motionem Spiritus sancti, quæ in iustificatione interuenire solent ab exordio eius, vsque ad finem, & tamen caput illud sic inchoat. Disponuntur autem ad ipsam iustificationem dum excitati diuina gratia, &c. ergo excitantem gratiam ponit tanquam primam, & tanquam totius iustificationis initium. Secundò argumentari possumus in hunc modum, quia illuminatio, seu inspiratio Spiritus sancti gratia excitans est: sed prima gratia, quæ hominibus adultis datur, ad inchoandum in eis sanctificationem, est inspiratio, & illuminatio; ergo gratia inchoans iustificationem est gratia excitans. Consequentia est clara, & minor est certa, probabiturque in capite sequenti. Minor autem probatur apertè ex Concilio Tridentino in loco citato, nam cùm dixisset, exordium iustificationis esse à vocatione, quæ per excitantem gratiam fit, subiungit. Ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, &c. vbi apertè declarat tactum cordis fieri per Spiritus sancti illuminationem, & ita tacitè exponit illud Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso.* nam idem est tangere ac pulsare cor, & reuera idem est excitare illud. Atque

Probat. 2. ex eodē Conc.

Apoc. 3.

ita ex illo loco optimè probatur tam assertio, quàm dicta minor propositio: iam primus actus, seu pulsatio cordis à Spiritu sancto facta est prima gratia ejus in hoc genere, sed hic tactus fit per illuminationem, & inspirationem ejusdem Spiritus sancti. Ergo illuminatio, siue inspiratio Spiritus sancti est. prima gratia auxilians, ac proinde excitans gratia similiter est prima. Et confirmatur hæc ratio tam ex dicto Concilio Tridentino, quàm ex Arausicano. Hæc enim Concilia, vt docerent gratiam absolutè loquendo non dari ex meritis, reduxerunt totam gratiarum seriem ad primam, vt eam ante omne meritum dari ostenderent. Sed in hac reductione semper sistunt in diuina excitatione per Spiritus sancti inspirationem; sentiunt ergo primam gratiam auxiliantem esse excitantem. Consequentia clara est. de Maiori autem postea latè dicturi sumus, nunc illam supponimus. Minor autem satis probatur ex Concilio Tridentino ex locis citatis, & can. 3. Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, &c. & can. 4. Si quis dixerit, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum. In quibus locis semper in diuina inspiratione, & excitatione tanquam in prima gratia fixit. Et Concil. Arausic. cap. 5. inde docet initium fidei non esse ex nobis, quia affectus credendi per gratiæ donum fit in nobis, & explicat Concil. id est, per inspirationem Spiritus sancti, vtique per primum gratiæ auxilium. Et similiter in can. 6. contra Semipelag. definit gratiam Dei non dari credentibus, volentibus, desiderantibus, sed potiùs, *vt credamus velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus per infusionem, & inspirationem Spiritus sancti in nobis fieri.* Et similem doctrinam habet in can. 7. & aliis, semperque vltimam gratiæ resolutionem, ac diuinam inspirationem facit.

Probat. 3. efficax.

Confirm.

Concil. Arausic.

Et iuxta doctrinam hanc dixit Bernardus lib. de Gratia & lib. arbitrio. Conatus nostri casi sunt, si non adiuuentur, nulli si non excitentur, & ibi sistit tanquam in primo initio. Similiter D. Prosper 2. de vocat. Gen. cap. 26. Gratia, inquit, Dei in nobis, iustificationibus principaliter præeminet, suadendo, illuminando, & subjungit, sed etiam voluntas hominis subjugitur ei, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, vt diuino in se cooperetur operi. Etiam planè docet initium gratiæ ab excitante sumi. Omnes denique doctrinam hanc ex August. sumpserunt, qui in libris contra Pelagium, & reliquias ejus illam tradidit, præsertimque hanc gratiam explicat lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. & lib. 83. quæstionum q. 68. & toto libro de Gratia Christi, & lib. 2. de peccatis, vbi cap. 18. dicit, hominem conuerti ad Deum, nisi ipso excitante, & adjuuante non posse, & vbi ponit excitantem gratiam vt primam, & per illam dicit, agi hominem à Spiritu sancto, juxta illud ad Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* quod exponens serm. 10. de vero Apost. Aguntur, inquit, Spiritu illuminante, excitante, & adjuuante, vt filij Dei fiant.

6. Probatur ex Patribus.

Bernard.

Prosper.

August.

Idem.

Rom. 8. 14.

Ratione declaratur hæc veritas, quia si comparemus gratiam actualem ad habitualem in adultis, prior ordine generationis est actualis, & nunc supponimus, quia habitualis non infunditur sine hominis dispositione, quæ dispositio per actus hominis fit: dispositio autem præcedit formam, vel ordine naturæ si sit proxima, vel temporis si sit remota: sicut regulariter, & secundùm communem legem in iustificatione hominis fit. præcedit enim ab imperfecto ad perfectum, & ideo dispositiones remotæ præcedunt etiam tempore habitualem gratiam. Ante dispositionem autem remotam, quæ in aliquo actu libero semper consistit, præcedere debet aliquod gratiæ auxilium, vt ita opus gratiæ à

7. Ratione stabilitur assertio.

Deo solo incipiat; ergo tale auxilium non est nisi excitans. Probatur hæc consequentia, quia auxilium adjuuans propriè sumptum, vt distinguatur ab excitante, non præcedit cooperationem liberam voluntatis ordine temporis, nec causalitatis, vt in sequentibus ostendemus: auxilium autem excitans vtroque modo antecedit consensum liberum; ergo ab illo incipit motio diuina in ordine gratiæ; ergo

Declaratur amplius, illa est prima gratia. Secundò hoc ipsum declaratur, quia externa gratia excitans solùm esse potest in intellectu, aut voluntate, nam si quæ possunt esse in aspectu sensitiuo, nunc non considerantur, sed quasi externæ reputantur. Aut ergo loquimur de prima gratia simpliciter respectu totius mentis (vt sic dicam,) vel de prima gratia respectu singularum potentiarum. Priori modo manifestum est primã gratiam actualem in actu recipi debere, quia est prior potentia, neque potest voluntas moueri, nisi

Intellectus de se est in potentiâ, nec potest se reducere ad actum, nisi ab alio excitatus & adiutus. medio intellectu. Deinde in ipso intellectu vt operari possit, in aliquo ordine necesse est, vt præcedat aliqua excitatio, quia non potest iudicare, nisi apprehendat, nec potest apprehendere, nisi ab alio motus, quia de se est impotentia, quæ non potest se reducere in actum, nisi ab alio excitatus, & adiutus qui ordo etiam in naturalibus actionibus seruatur.

Augusti. Ergo multo magis in supernaturalibus, vt intellectus possit ad propriam operationem supernaturalem eleuari, necesse est, vt supernaturalis excitatio in illo antecedat. Illa ergo est prima gratia respectu intellectus, & consequenter etiam respectu totius mentis, seu partis rationalis. Atque hoc modo Augustinus lib. de prædestinat. Sanctor. in principio reuocat totam gratiarum seriem ad sanctam

2. *Cor.* 3. 5. cogitationem, quæ non potest esse à nobis, sed ex Deo, iuxta illud Apostoli 2. ad Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid* (vtique ad salutem pertinens) *à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et

Idem. eamdem doctrinam habet lib. de Bono perseuer. cap. 19. & lib. 2. contra 2. epistolas Pelagianor. cap. 8. & alibi frequenter, præsertim in dicta quæst. 2. ad Simplician. Ex hac igitur parte sanctę cogitationis excitatio prima gratia est. nam ante primam cogitationem est homo quasi dormiens, per cogitationem autem excitatur: respectu autem voluntatis illamet excitatio intellectus dici potest prima etiã gratia voluntatis, quia licèt subjectiuè sit in intellectu, de se voluntatem allicit, & attrahit. Tamen hæc

Prima gratia intrinseca voluntati est tactus distinctus à libero consensu. non est prima gratia intrinseca, seu inhærens ipsi voluntati, & ideo in ipsamet voluntate distinguendus est tactus, seu motus Spiritus sancti à libero consensu, quæ duo in dicto loco Apocalyps. 3. per

Apoc. 3. 20. verba pulsandi, & aperiendi declarantur: prius autem est pulsare, quàm aperire; ergo & tactus cordis, prior est, quàm liber consensus; ergo gratia excitans, per quam ille tactus fit est prima inter gratias voluntatis. Quàm verò sit necessaria hæc gratia, & quòd sit munus ejus, postea videbimus. Ad rationes dubitandi in principio positas in sequenti capite commodiùs respondebimus, duas enim quæstiones postulant, quas ibi tractabimus.

CAPVT III.

Vtrùm Gratia excitans sit actus vitalis hominis.

1. 1. Opinio docet primam gratiã excitantem non esse actũ vitalẽ

DVas opiniones ad hoc punctum pertinentes inuenio, quæ in vno principio conueniunt, in assertionibus autem multum differunt. Prima opinio dicit primam gratiam excitantem non esse actũ vitalem, sed quandam priorem gratiam, quæ sit principium actus vitalis, Fundamenta hujus opinionis sunt duo, tacta in rationibus positis capite præcedenti in principio. Primum est, quia prima gratia præueniens debet fieri à solo Deo in nobis, id est, non concurrentibus, nec moraliter, nec physicè illam efficiendo; ergo non potest esse actus vitalis. Secundum est, quia actus vitalis, qui est per se actus gratiæ, & actus supernaturalis; ergo vt à nobis fiat, necessariò supponit aliam gratiam, quæ det nobis vires ad efficiendum talem actum, quia non potest fieri per solas vires naturæ; ergo prima gratia excitans non potest esse actus vitalis. Non negat autem hęc opinio, quin aliæ excitantes gratię quæ post primam sequuntur, possint esse actus vitales, vel necessarij, vel interdum etiam liberi.

sed principium eius Fundatur 1. Fundatur 2.

2. Opinio 2. Altera opinio est gratiam excitantem etiam primam esse actum vitalem, & nihilominus non fieri à nobis effectiuè, sed à solo Deo. Prioris partis fundamenta postea videbimus: posterior autem fundatur in illo principio, in quo hæc sententia conuenit cum præcedenti, quòd Deus has præuenientes gratias facit in nobis sine nobis, nam ex illo colligit hæc opinio talem gratiam, etiamsi actus vitalis fit non fieri à nobis. Antecedens probatur testimonio Concilij Arausicani suprà adducto, multa esse in homine bona, quæ non facit homo, quod præcipuè dictum videtur propter gratias excitantes, vt ex Augustino, à quo sumpta illa sententia, intelligi potest, lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 8. Et sic etiam Bernard. lib. de Grat. & liber. arbitr. circa finem dicit, *Deum solum operari in nobis exordium salutis, non per nos, neque nobiscum.* Et ibidem adiungit gratiam excitare liberum arbitrium, dum seminat cogitatum. Et eodem modo loquitur Anselmus circa id 1. ad Corinth. 15. *Non ego sed gratia Dei mecum. Superna* (inquit) *pietas aliquid agit in nobis sine nobis, vt subsequente libero arbitrio bonum quod appetimus agat nobiscum.* Et eodem modo loquitur Gregor. cap. 10. aliàs 11. Consequentia verò probatur, quia non repugnat cogitationem, aut motum vitalem fieri à Deo in nobis sine nobis physicè etiam concurrentibus; ergo ita exponendæ sunt dictæ locutiones Patrum, vt cum omni proprietate intelligantur.

Communis fundamentum sententiæ est gratiam præuenientem nobis dari nobis. Conc. Aus. Augus. Bernard. Anselm. Greg. Mag.

3. Assertio prior vera. Gratia excitans proxima dicta vitalis actus voluntatis. Sequentia dicta. Fundamentum assertionis.

Nihilominùs communis, & vera sententia duabus assertionibus continetur. Prior est, gratiam excitantem etiam primam esse actum vitalem intellectus, vel voluntatis; ita sentiunt omnes auctores infrà referendi, & probatur ex dictis in præcedenti capite, vbi ostensum est primam gratiam esse excitantem, eàmque in illuminatione, & inspiratione consistere. At illuminatio, & inspiratio actus vitales sunt, vt est per se notum; ergo prima gratia excitans actus vitalis est. Simile argumentũ est, quod ex vocatione, & initio iustificationis sumitur: nam vocatio est iustificationis initium, ac subinde prima gratia excitans; sed vocatio Dei interna, vt in nobis fit, & recipitur, non est sine aliqua actione vitali, imò in illa consistit; ergo prima etiam gratia excitans vitalis actio est. Major satis probata est suprà ex verbis Concilij Trident. sess. 6. cap. 5. *Declarat iustificationis exordium in adultis, & ab eius vocatione esse sumendum,* quam vocationem statim explicat per gratiam excitantem. Idemque tradit Augustinus circa tis locis, ideoque in dicto libro 83. Quæstionum q. 68. dixit: *Si quis sibi tribuat quòd venerit vocatus, non tamen potest sibi tribuere quòd vocatus sit,* quia nimirum à vocatione sumitur initium. Minor item propositio ex eisdem locis probatur, nam vocatio Dei interna nihil aliud est, quàm illustratio quædam mentis, & inspiratio, qua Spiritus sanctus potentias nostras ad bene operandum erigit, & inflammat; vt idem Concilium significauit, dicens Deum vocando hominem tangere cor ejus per Spiritus sancti illuminationem, quam statim etiam inspirationem vocat. Et eodem modo loquitur Augustinus,

Trident. Aug.

nus, qui etiam sæpè hanc vocationem explicat per sanctam cogitationem, vel sanctum desiderium, seu boni cupiditatem, vt loquitur lib. 2. contra duas epist. Pelagian. cap. 8. vel per illuminationem intellectus, vel voluntatis delectationem, aut suauitatem, vt lib. 2. de peccator. merit. cap. 17. Hæc autem omnia in vitalibus actibus consistunt, vt per se patet. Ergo prima gratia excitans, actus vitalis est.

Idem.

Denique potest ratione ita declarari, quia diuina vocatio interior à locutione Dei in nobis initium sumit. Locutio autem Dei in nobis non est nisi aliqua cogitatio, vel conceptus mentis nobis à Deo immissus, quia licèt loquutio sit à Deo loquente, vt percipiatur à creatura, in illa recipi debet, vt rectè docuit Gregor. lib. 2. Moral. cap. 4. aliàs 5. vbi ait, *Loqui Deum ad Angelos eo ipso, quòd eorum cordibus occulta sua inuisibilia ostendit*; & infrà quasi audientibus dicitur, *quod videntibus inspiratur*. Et infrà eodem modo explicat locutionem Dei ad animas sanctas per infusionem alicujus cognitionis, vel effectus; sic ergo vocatio interior Spiritus sancti est illa locutio Dei, de qua ipse dixit, *ducam eam ad solitudinem, & loquar ei ad cor*. Ergo talis vocatio fit per actum vitalem nobis immissum. Et confirmatur, quia nisi homo perciperet locutionem Dei in se, non posset ab illo excitari, vt attenderet: locutio autem Dei fit, vt homo excitetur, & attendat; ergo necesse est, vt fiat per aliquem actum vitæ, quo homo aliquid percipiat, & ex vi illius aliquid etiam appetat, vel fugiat aut timeat. Declaratur præterea, quidquid à Deo infunditur præter actionem vitalem, potest infundi vel paruulo, vel homini dormienti; quid enim repugnat? Vocatio autem diuina, & gratia excitans est propria adultorum, vt Concilium Tridentinum suprà non obscurè aduertit, daturque illis vt quasi à somno excitentur, & vigilent; iuxta illud Ephes. 5. *Exurge qui dormis*, &c. & ideo non habet locum nisi in adultis, & qui ratione vti possunt: datur ergo per modum actus secundi, nam quamdiu potentia est tantùm in actu primo, est quasi dormiens, vt Arist. dixit in lib. 2. de Anima. Denique confirmatur, quia propter hanc rationem hæc gratia excitans est tantùm actualis, id est, solùm in homine durans, quamdiu actu vitaliter operatur. Omnis enim gratia realiter distincta ab operatione vitali potest, quantum est ex se, permanere, etiamsi potentia vitaliter non operetur, vt respondendo ad fundamenta prioris sententiæ mox dicemus, ex qua responsione magis hæc assertio confirmatur.

4. Ratione tolleratur. Quid locutio Dei. *Greg. Magn.* Diuina locutio nobis efficax vitalis. *Ephes. 5. 14.* *Arist.* Confirm.

5. Assertio 1. Ad gratiam excitantem concurrunt vitaliter & effectiuè potentiæ animæ. *Soto. Medina. Bellarm. Vasquez.*

Dico secundò. Gratia excitans non fit in nobis sine efficientia vitali & physica potentiarum animæ, ita tenet Soto lib. 1. de Natur. & gratia cap. 16. & Medina 1. 2. q. 111. art. 2. ad argumenta, verùm. *sed & illud annotatione dignum.* Bellarminus lib. 6. de liber. arbitr. cap. 15. propos. 6. Gabriel Vasquez disput. 185. cap. 3. num. 11. & c. 9. n. 35. & Valent. disput. 8. q. 3. puncto 3. §. *sed arbitror.* & à cæteris modernis Theologis hæc sententia communiter recipitur. Ratio autem sufficiens est, quia iuxta veriorem doctrinam ita est intrinsecum actui vitali danti suum effectum formalem potentiæ, in qua manet, quòd effectiuè ab ea prodeat tanquam ab intrinseco principio vitæ, vt omnino repugnet hujusmodi potentiam cognoscere, aut amare per actum, quem nunc elicit, vt nunc ex Philosophia suppono, & ex 1. 2. q. 3. & 9. sed per hos actus gratiæ excitantis homo ita mouetur, vt aliquid cognoscat, amet, timeat, delectetur: ergo non possunt fieri sine concursu vitali potentiarum. Vnde licèt daremus de potentia absoluta posse actum vitalem aliter fieri, non posse sine extraordinario miraculo, & præter naturam talium actuum nihilominus certum est fieri non posse; superuacaneum autem est tale miraculum fingere, quia neque experientia illud inducat, nam potiùs experimur ita nos præueniri, & moueri in his actibus, sicut in aliis motibus indeliberatis, quos sine dubio potentiæ nostræ eliciunt: neque ratio subsistit, quia miraculum illud, nec ad gratiam, vel ad meritum confert; neque è conuerso physicus ille concursus potentiarum aliquid obest veritati gratiæ omnino gratuitæ, cùm illa efficientia non sit libera, vt capite sequenti ostendemus. Nec denique tale miraculum reuelatum est, aut aliqua authoritate verè, aut legitimè fundatur, vt respondendo ad argumenta manifestum fiet.

De ratione actus vitalis est vt efficienter producatur à potentia vitali, sine extraordinario miraculo.

Quod tamen fingi non debet.

Ad fundamentum, in quo contrariæ opiniones conueniunt, respondemus in primis sententiam illam generalem Augustini, & Concilij Arausicani, *multa sunt in homine bona, quæ non facit homo*, etiamsi ita exponi permittamus, vt omnem efficientiam physicam ex parte hominis excludat sufficienter verificari quoad supernaturalia dona gratiæ, in virtutibus per se infusis, & Spiritus sancti donis, & habituali gratia sanctificante. Deinde magis ad mentem Patrum respondetur, per illa, & similia verba solùm excludi liberam hominis cooperationem; sic enim, vt infrà videbimus, distinguit Augustinus gratiam, quam Deus in nobis operatur, à gratia qua nobiscum cooperatur. Nam huic posteriori nos liberè cooperamur priori autem minimè: quia ergo gratia excitans in nobis fit sine cooperatione libera nostra, ideo dicitur fieri in nobis sine nobis, etiamsi non fiat sine efficientia necessaria nostrarum potentiarum; hoc enim referebat ad confutandos Semipelagianos, vt ab Augustino, vel alijs Patribus negaretur. Potèstque hic modus loquendi explicari ex Paulo ad Romanos 7. vbi de naturali, & inordinato motu concupiscentiæ priùs dicit, *Quod odi malum, hoc facio.* Et postea quasi declarans verbum *facio*, addit, *non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Nam motus concupiscentiæ licèt inuoluntarius sit, nihilominus fomes, seu appetitus verè, ac physicè facit, & operatur illum, & nihilominus ipse homo dicitur non operari illum, quia non liberè, neque humano modo illum operatur, nec illi consentit. Illud enim propriè dicitur homo operari quod humano modo operatur. nam operatio humana illa est, quæ ex perfecto vsu rationis, & voluntatis procedit, vt docuit D. Thomas 1. 2. quæst. 1. art. 1. & ideò tunc propriè dicitur homo vt homo operari, quando libero, & morali modo operatur. Et hic modus loquendi maximè locum habet, quãdo sermo est de actionibus ad salutem pertinentibus, vt est in præsenti. Vnde potest hoc etiam declarari ex Concil. Trident. sess. 6. can. 4. vbi damnat negantes, hominis liberum arbitrium cooperari excitanti gratiæ: intentio autem ejus fuit cooperationem liberam definire, vt postea apertè declarat, & nihilominus simpliciter, & sine addito cooperari dixit, quia videlicet non est propriè & simpliciter hominis operatio, nisi quæ libera est. Atque eo modo antiqua Concilia, & Patres cùm dicunt gratiam non excludere cooperationem hominis post Dei vocationem, de libera cooperatione loquuntur. Et eodem sensu dixit Augustinus, *Qui creauit te sine te, non saluabit te sine te.*

6. *Ad Concil. Arausf. suprà n. 2.* Vir amans Patrum. *Roman. 7. 15.* Illud propriè homo dicitur operari quod humano modo operatur. *D. Thom.* *Trident.*

Iuxta hanc ergo doctrinam ad primum fundamentum primæ sententiæ; & ad omnia testimonia, quæ Vega adducit, respondemus distinguendo propositionem assumptam, scilicet, primam gratiam fieri à solo Deo. Est enim vera si particula *solùm* excludat hominis consensum, vel etiamsi excludat omne meritum, quòd maximè Augustinus intendit; non tamen esse veram, si excludat omnem physicam efficientiam intellectus, vel voluntatis, nisi fortasse sumatur actus ille, qui est prima gratia secundùm peculiarem

7. Ad 1. fundamentum primæ sent.

respectum, seu inadæquatum conceptum, vt statim declarabo. Ad illud autem testimonium Psalmi præcedenti capite propositum, *Auxilium meum, qui fecit cœlum, & terram*, respondetur primò, auxilium illud etiam primum absolutè dici, esse à solo Deo, quia ipse principaliter efficit illum actum, vtiturque nostra facultate tanquam instrumento ad illum efficiendum. Vnde quia solus Deus potest illo modo efficere in nobis talem actum, & mouere potentiam, vt illum efficiat, ideo etiam dici potest tale auxilium esse à solo Deo, nam tunc etiam particula *solùm* non excludit physicam efficientiam instrumentalem proximæ facultatis. Quod maximè est loquendo de illo actu sub nomine auxilij; nam ille actus habet duplicem respectum, vnum ad causam principalem, quæ est Deus, alium ad causam proximam instrumentalem, quæ est potentia, sub priori tamen habitudine habet rationem auxilij, quod proinde soli Deo meritò tribuitur; actus verò ipse ita fit à solo Deo, vt ab illo solo habeat initium, & ipse solus sit principalis causa physica ejus, moralis autem vnica; & ita ex parte hominis excluditur omne meritum, vel libera cooperatio, non verò physicus concursus potentiæ ad actum vitalem necessarius.

Ad locum Psal.

Ad locum Apocal.

Ad locum autem Apocalyps. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso*, respondetur in primis tactum Dei in corde altioris rationis esse, quàm sit pulsus materialis ianuæ, nam pulsus Dei internus fit per voces internarum inspirationum, ac proinde per actus vitales: pulsus non debet esse accommodatus rei, quæ pulsatur, & ideo longè aliter pulsatur cor viuens, quàm inanimata ianua. Deinde cùm ibi adjungitur, *Si quis audierit vocem meam*, clarum est illam vocem Dei in corde non esse, nisi conceptionem aliquam mentis, vt suprà explicaui. Dici autem solet quis audire vocem Dei internam, vel quando ita illam audit, vt ei etiam obediat, quomodo potest intelligi illud Psalm. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus*; vel quando percipit ipsam inspirationem Dei, etiamsi illi resistat, quomodo potest intelligi illud Psalm. 94. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* vtroque ergo modo potest hoc verbum in prædicto loco sumi, & in priori Deus tangit cor per inspirationem, homo autem audit per consensum, & ita non procedit objectio. In posteriori autem sensu, qui videtur satis consentaneus cùm dicitur, *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam*, id est, cor, quod per consensum aperitur, & ita audire videtur poni tanquam quid prævium ad consensum. Et in hac significatione *audire*, nihil aliud est, quàm percipere inspirationem diuinam, seu sentire tactum eius. Atque hoc modo si loquamur de inspiratione, vel illuminatione prout est in intellectu, optimè fieri potest, vt eadem sit operatio prout à Deo fit, sit pulsus Dei in corde; prout verò fit, & recipitur in intellectu, sit auditus ejusdem inspirationis; ita enim fieri facilè potest in locutione purè mentali. Neque in hoc comparandus est materialis pulsus cum spirituali, quia materialis pulsus solum objectiuè immutat sensum, & media specie efficit auditum: pulsus autem diuinus merè internus si intellectualis sit, immedietè, ac formaliter efficit intellectum, & reddit illum attendentem, & aliquid apprehendentem, vel intelligentem, & ideo eodem actu percipit intellectus eandem Dei locutionem, quatenus perceptio mentis in se virtualiter reflectitur. nam qui aliquid denuo apprehendit, simul virtute concipit, quod aliquid apprehendat, & consequenter quod ab aliquo excitetur, & moueatur. Si autem inspiratio sit in voluntate, talis motus non percipitur nisi per intellectum, atque ideo per alium actum ex priori naturaliter resultantem, & ita ibi clariùs distinguitur pulsus ab auditu.

Psalm. 84.

Psalm. 85.

Eadem operatio prout à Deo fit est pulsus prout fit & recipitur in intellectu est auditus.

CAPVT IV.

Alijs fundamentis primæ sententiæ satisfit, & quod sit principium proximum efficiens gratiæ excitantis inquiritur.

ALia fundamenta primæ sententiæ petunt dubium, si actus gratiæ excitantis effectiuè fiunt à nostris potentiis, quæ virtute proximè, vel quo adiutore preximo illos efficiant; supponimus enim nunc illos actus esse supernaturales, & ideo non posse à sola naturali potentia virtute sua elici; propter hanc enim rationem præcipuè moti sunt dicti auctores ad dicendum infundi nobis aliam gratiam priorem his actibus, quæ sit principium illorum, quam volunt esse rem creatam, & inhærentem potentiæ reipsa distinctam ab actu gratiæ existentis, & principium eius, quam alij vocant motionem, virtuosam puram, ita vt qualitas non sit. Alij dicunt esse qualitatem actualem, seu transeuntem in nobis receptam, & nullo modo à nobis factam.

1. Dubium decidens, quæ causa proxima connaturaliter eliciendi actus gratiæ excitantis.

Ego verò conseo nullam talem entitatem infundi, quæ sit prior tempore, vel natura ipso actu gratiæ excitantis, vel principium proximum ejus, sed solùm Spiritum sanctum immediatè ac per seipsum infundere hos actus eleuando potentiam ad conficiendum illos. Probatur primò ex his quæ diximus, nimirum gratiam excitantem esse primam, quæ nobis infunditur, vt Patres & Concilia docent. Dicent fortasse sub hac excitante gratia includere Concilia illam priorem gratiam, quæ adeliciendam inspirationem infunditur. Sed qui sic respondet, ostendere hoc debet ex ipsis Conciliis, aut Patribus, in illis enim nullum vestigium talis gratiæ inuenimus, quin potiùs ipsam inspirationem ponunt vt gratiam primam, & præterea indicant immediatè infundi ab ipso Spiritu sancto, & non mediante alia qualitate. Vnde Concilium Arausic. can. 6. de hujusmodi inspiratione ait fieri *sic.* in nobis per sancti Spiritus infusionem, & operationem, & per hanc dicit præparari voluntatem à Domino, & cap. 6. similiter vocat inspirationem, & infusionem sancti Spiritus, & eodem modo loquitur Concilium Tridentinum. Vnde etiam communiter Theologi antiqui non docuerunt infundi nobis aliquod donum gratiæ per modum actus primi præter habitus infusos. Certum est enim ad alliciendum actum gratiæ excitantis non infundi habitum, nullus enim supernaturalis habitus infunditur adulto, nisi præuio consensu libero, tanquam necessaria dispositione, vt infrà dicitur; ergo talis gratia, quæ sit prior actu secundo, & est principium eius, & non habitus, non habet fundamentum in aliqua doctrina Patrum, aut Theologorum.

2. Assertio. Solus Spiritus sanctus immediatè per seipsum eleuat potentiam ad eliciendos actus gratiæ excitantis. Prob. 1. ex auctoritate. *Conc. Arausic. Concil. Trident.*

Denique ratione impugnatur tale genus gratiæ expendendo dictos duos modos explicandi hanc gratiam: prior dicit, esse spiritualem quandam, & supernaturalem motionem virtuosam, quæ est res distincta ab actu vitali; & à solo Deo immissa, & non est qualitas vel formaliter, vel realiter, sed pura tantùm motio virtuosa, per quam Deus dat virtutem potentiæ, vel eleuat illam ad hos

3. Secundo impugnando duos modos quibus hæc gratia potest explicari.

hos actus efficiendos. Hic verò dicendi modus supponit hanc motionem constituere potentiam in actu primo ad hos actus eliciendos, & nihilominus ait non esse qualitatem, sed puram motionem, quod gratis dictum videtur, nam in potentiis animæ firmæ constituentes illas in actu primo sunt qualitates, vt in sensibus externis, & internis videre licet, præterquam quòd generaliter loquēdo secundùm Philosophorum principia non intelligimus, qualis sit motio, quæ tantùm sit motio, & non sit qualitas, nec res alterius prædicamenti, cùm non possit intelligi motio, quin ad aliquem terminum intrinsecum tendat: in motione autem spirituali non potest intelligi terminus actionis, vel motionis, nisi qualitas, omitto enim locum, aut vbi qualecumque illud sit, quod in rebus spiritualibus esse potest, quia in præsentem considerationem venire non potest: si ergo motio illa nullam qualitatem infundit intellectui, aut voluntati, non habet intrinsecum terminum qui per illam fiat; quomodo ergo est pura motio, vel ad quid mouet, eo vel maximè quòd talis motio si ponitur per modum actionis, est actio transiens, nam est ab agente Deo, & recipitur in passo. Non solent autem dicti auctores actionem transeuntem in Deo concedere, neque scio auctorem aliquem actionem transeuntem sine termino hactenus posuisse. Vel illa motio est tantùm per modum passionis, & sic concipi non potest, nisi per modum viæ, ac proinde per modum tendentiæ ad aliquem terminum: nam si nec est via, nec tendentia, erit profectò entitas aliqua facta à Deo in tali potentia solùm per modum effectus. Oportebit ergo vt sit qualitas, alioqui extra omnia prædicamenta vagabitur, vt facile patebit discurrenti per singula: id autem concedere philosophicum non est, neque etiam est, quòd Theologiæ attribuamus, quod nos cogat contra drincipia Philosophiæ hujusmodi entitates introducere.

4. Aliud inconmodi contrariæ sententiæ. Alia etiam difficultas in illa sententia occurrit, quia defensores eius ad omnem actionem causæ secundæ, aliàs in actu primo plenissimo constitutæ requirunt simílem ratinoem virtuosam præuiam, vt infrà videbimus. Vnde etiam asserunt quòd licèt potentia sit instructa, & eleuata per habitum infusum, indiget illa motione virtuosa primæ causæ, vt possit actum infusum elicere; ergo signum est illam motionem non postulari tunc vt principium proximum efficiendi actum infusum, nam habitus est huiusmodi principium sufficiens; ergo etiam respectu actuum gratiæ excitantis, illa motio (si detur) non est principium proximum, ex parte causæ secundæ; sed pertinebit tantùm ad concursum vniuersalem primæ causæ. Vnde vlteriùs sequitur, etiam iuxta illam sententiam illos actus elici à potentia nuda sine alio actu primo supernaturali ipsi inhærente, qui cum illa fit principium proximum actu gratiæ excitantis; quia illa motio virtuosa per se sola non supplet vicem habitus quando ille deest, aliàs superfluè daretur simul cum habitu.

Si daretur motio virtuosa non esset principium proxi. mum et pars tantùm causæ secundum sed pertineret ad concursum causæ primæ.

Præterea dicitur Duobus modis respondere possunt, vnus est ad hos actus supernaturales, qui sine habitibus fiunt, dari duas motiones virtuosas, vnam, quæ fit proprius actus primus, & suppleat vicem habitus. Alius est dari vnam, quæ vtramque vim eminenter habeat. Priorem modum in dictis auctoribus non inuenio, nec videtur certè verisimilis, tot gratiarum, seu occultarum motionum multiplicatio, quæ neque probari, nec satis intelligi possunt, præterquam quòd frustrà fit per plura, quod per vnum fieri potest; cur enim non poterit? vel si duæ motiones postulantur, cur non plures, etiam sine certo termino postulari poterunt. Alium ergo modum dicti auctores eligunt, à quibus nos vlteriùs interrogamus, an illa motio sit eiusdem rationis, quando datur ad operandum, tam ex habitu, quàm sine illo; an verò sit diuersæ rationis. Hoc posterius non videtur verisimile, quia motiones illæ supponuntur tendere ad actus, & quasi terminos eiusdem rationis: motiones autem sumunt speciem à terminis; cur ergo erunt illæ diuersæ rationis. Nam quòd is, cui datur, quælibet illarum habeat, vel non habeat habitum, valde accidentarium est, & in hoc etiam distinctiones multiplicare sine alia ratione, vel explicatione philosophicum non est.

Secunda.

Vnde illimet auctores priorem partem eligunt, dicentes, motiones illas esse ejusdem rationis, Ex quo necesse est sequi, vt vel illa motio data potentiæ non habenti habitum, non suppleat vicem habitus, nec constituat potentiam in actu primo, nec compleat illam in ratione causæ proximæ, sed solùm sit concursus causæ primæ, quod destruit sententiam illorum, & nostram confirmat, vel certè oportebit dicere, eum qui operatur ex habitu infuso, recipere duos actus primos, habitum scilicet, & motionem. Sequela patet, quia illa motio data potentiæ non habenti habitum, formaliter constituit illam in actu primo; ergo etiam data potentiæ habenti habitum dabit eumdem effectum, quia neque habitus præexistens formalem effectum motionis impedire potest, neque forma potest esse impotens, quin illi suum effectum formalem conferat. Habet ergo illa potentia duos actus primos, duàsque virtutes actiuas proximas ad eundem actum, quod superfluum est.

Illæ motiones nequeũt esse eiusdam rationis.

Primò quia daretur duo actus primi ad eundem actum.

Præterea ex illo duplici actu primo maior prodiret actio, quàm ab altero tantum, sicut à duplici luminoso, major fit illuminatio; quia si motio est per se sufficiens actus primus, sine miraculo impediri non potest, quin operante potentia cum habitu, ipsa etiam motio cooperetur non solum vt concursus Dei, sed etiam vt actus primus potentiæ. Ex quo vlterius posset quis facilè inferre, superfluos esse habitus operatiuos infusos, cùm nunquam operentur sine aliquo actu primo magis actuali, de se dante sufficientem virtutem in actu primo ad efficiendos eosdem actus. Neque tandem dici potest, illas duas motiones esse eiusdem rationis in operante sine habitu, & cum illo, & nihilominus vnam illarum ratione suæ entitatis dare vim agendi habitus, & alteram de se non habere tantam perfectionem, quia si forma est ejusdem rationis, etiam vis agendi, & formalis effectus eiusdem rationis esse debet. Et hæc obiter de ista motione sint, dicta, nam plura in sequentibus sunt dicenda.

Secũdò maior ex triplici actu primo prodiret actio.

Tertiò superfluerent habitus.

Eędem motiones non sunt eiusdẽ rationis in operãte sine habitu.

Supereſt alter modus explicandi gratiam præuiam ad hos actus excitantis gratiæ, qui solùm differt à præcedenti, quia non dicit hanc gratiam esse motionem, sed qualitatem quandam actualem, seu transeuntem, quæ sit principium supernaturale, & proximum talis actus. Cuius opinionis fundamentum ex parte est idem, scilicet, quòd non potest potentia elicere actum secundum supernaturalem, nisi habeat actum primum eiusdem ordinis sibi inhærentem. Quòd autem hic actus primus sit qualitas, probari potest argumentis factis contra priorem sententiam: vocatur autem à sic opinantibus actualis, seu transiens, qui solùm datur vt actualiter efficiat, & quia tantum durat, quandiu efficit, seu quamdiu durat operatio, propter quam datur, sicut ictus impressus lapidi, vt sursum moueatur, dici potest qualitas actualis, & transiens propter similem rationem; in reliquis verò conuenit hæc opinio cum præcedẽti,

Proponitur alter explicãdi modus per qualitatem transeuntem.

Prima.

nam etiam qui de illa gratia sic sentiunt, ponunt præuiam gratiam per modum concursus: & ita eodem modo procedit discursus factus in præcedentiopinione. Nam si per qualitatem intelligunt solum concursum præuium, ille non satis est, vt suppleat vicem habitus, neque vt constituat potentiam in actu primo: si verò in his actibus gratiæ excitantis præter concursum præuium ponunt qualitatem realiter ab ipso distinctam; sic multiplicantur entia & auxilia gratiæ sine fundamento auctoritatis, aut rationis, vel sentiunt ipsum concursum præuium includere illam qualitatem, & sic aut eadem qualitas dabitur homini operanti per habitum, quod etiam superfluum est, vt declaraui, vel concursus præuius erit distinctæ rationis in eo, qui cum habitu, vel sine habitu operatur, quod ipsi non admittunt.

Reiicitur.

Dubium secundum. Noua eiusdem qualitatis admittendæ ratio.

Quidquid verò sit de concursu præuio, potest quis dicere hanc præuiam qualitatem per modum actus primi esse necessariam ad hos actus gratiæ excitantis eliciendos per se, & propter insufficientiã potentiæ, etiamsi fortasse alius concursus præuius necessarius non sit. Quòd si hæc necessitas vera est, satisque fundata non tantùm in actibus gratiæ excitantis, sed etiam in multis actibus plenè deliberatis, & propriè gratiæ cooperantis, qui tempore, vel natura infusionem gratiæ habitualis antecedunt, inuenitur, & ideo tractando de illis actibus in ordine iustificationis examinandũ est à quo principio proximo supernaturali procedant, & ibi commodius & vniuersalius opinionem hanc expendimus. Nunc ergo solùm dicimus ad quæstionem præsentem parum referre, siue illa qualitas infundatur cum actu gratiæ excitantis, siue non: nam si fortasse infunditur, computatur tanquam vnum donum cum ipsa excitatione, & ipsa per se non meretur nomen gratiæ excitantis, neque Augustinus, neque Concilium Tridentinum aliter ea voce vtuntur, nisi ad significandam gratiam, quæ potentiam formaliter excitat, ac moraliter moueat, & dirigat, vel trahat, afficiat, vel regat. His enim, & similibus verbis perpetuò Augustinus vtitur, cùm excitantem gratiam, & efficiens excitationem, vt dicatur propriè auxilium excitans nisi vtendo terminis æquiuocè, & præter vsitatum morem Conciliorum, alioquin etiam Deus ipse poterit dici gratia, vel auxilium excitans: nam est principale principium efficiens in nobis excitationem. Fateor tamen contentionem hanc forè tantùm de vsu vocis, si semel qualitas illa admittatur.

Assertio 1. Nulla huiusmodi qualitatis necessitas est, neque vsus. Prior pars ostenditur.

Ego verò qualitatem illam neque necessariam esse censeo, neque esse cur credamus illam infundi; priorem partem ostendo, quia probabilius est, posse Deum eleuare potentiam animæ, ad eliciendum actum supernaturalem, sine habitu, & sine qualitate inhærente, supplente vicem eius, scilicet adiuuante ipso Deo, & per seipsum supplente efficacitatem habitus; quod de visione beatifica suo loco probaui, & infrà cap. 6. & 8. latiùs dicam, quia cùm actus non sit vitalis ex influxu habitus, sed ex influxu potentiæ vitalis, qui est distinctus, & in suo genere proximus, potest Deus per seipsum facilè supplere efficientiam habitus, quia secluso vitali influxu, quidquid Deus potest facere per causam secundam, potest facere se solo; ita ergo in præsenti potest infundere immediatè ipsi potentiæ actum vitalem gratiæ excitantis, cooperante simul potentia, & in actum illum vitaliter influente: hac ergo ratione non est necessaria simpliciter talis qualitas.

Posterior pars.

Alteram verò partem de facto, quam verisimiliorem credimus, per rationes suprà factas, nunc tantùm probamus, alias enim in citatum locum remittimus, quæ de actibus liberis specialiter procedunt, in quibus illa sententia maiorem habet difficultatem, quam in his actibus gratiæ excitantis, eo quòd necessarij sint; nihilominus tamen ad illos efficiendos non credimus dari talem qualitatem, quia fortè non est possibilis spiritualis qualitas, quæ non sit actus vitalis, sed per modum actus primi, & sit natura sua transiens, & quasi dependens à suo effectu, nam si ab illo non penderet, cur cessante illo statim corrumpitur, cùm sit in subjecto incorruptibili, & à nullo contrario expellatur, neque habeat aliam causam corruptionis, præter suspensionem influxus diuini, per quam etiam habitus infusi, imò & anima ipsa potest esse animata.

Fortasse est possibilis spiritualis qualis quidam actus primi, transiens Quæ non sit actus vitalis sed habens per modum actus permanens.

Neque potest assignari ratio, cur suspensio illa diuini influxus sit magis connaturalis, aut debita illi qualitati, quàm habitibus, vel alijs similibus. Præterea, quia quoties potentia operatur supernaturalem actum sine habitu infuso, non elicit illum connaturali modo, nam ad hoc datur habitus, & ideo non est necesse, vt ad operandum eleuetur per qualitatem inhærentem præuiam, nam cùm illa non sit permansura in potentia post operationem, & tunc potentia eleuetur ad agendum præternaturali modo, tanquam Dei instrumentum, superuacanea est illa qualitas, cùm Spiritus sanctus ipse immediatè possit vti potentiis animæ illo modo infundendo illis illuminationem, ac inspirationem, vt Concilia magis indicant.

Cæterum principio quæ dicto. Dum potentia non eliciat actum supernaturalem connaturali modo, non debet eleuari per qualitatem inhærentem. Instantiam pellitur.

Neque hinc sequitur, quòd primum auxilium gratiæ sit à nobis, vel à natura, integrè, vel ex parte. Quia in primis illa gratia excitans principaliter est à Spiritu sancto. Deinde datur omnino gratis, & sine vllo merito, vel dispositione nostra, imò & sine cooperatione libera nostra, vt statim dicemus; & ob has omnes, & solas causas dicitur non esse à nobis, vt constat ex Augustino lib. 2. contra duas epistolas Pelagiorum cap. 9. Deinde intellectus, vel voluntas non solùm non habet vires naturales, ad efficiendum talem actum sufficientes, verùm etiam neque ad illum concurrit per potentiam naturalem sed per obedientiam tanquam Spiritus sancti organum, & ideo nullo modo dici potest ille actus esse à natura, licèt verissimè dicatur ab intellectu, vel voluntate à Spiritu sancto specialiter motis, seu eleuatis produci.

Et ità facilè patet responsio ad fundamenta contrariæ sententiæ, in primo, & secundo capite proposita. Ad principale enim vltimo loco positum concedimus nunc (quòd infrà supereſt videndum) actum gratiæ excitantis esse supernaturalem, ideoque non posse fieri viribus naturæ, & consequenter esse necessarium principium superioris ordinis adiuuans, & eleuans potentiam. Dicimus autem hoc principium esse ipsummet Spiritum sanctum. Ad primam verò replicam, quia illud principium debet esse inhærens, vt constituat potentiã in actu primo; respondemus duplicem, secundùm rationem, esse influxum in illum actum, vnum intrinsecum, & vitalem, qui necessariò esse debet immediatè ab entitate ipsius potentiæ, & ideo respectu illius non constituitur potentia in actu primo per aliquid à se distinctum, sed per potentiam obedientialem, quæ ab entitate eius non distinguitur. Alius est influxus ex parte principij coadiuuantis potentiam ad substantiam actus, & ad hunc influxum vt connaturali modo fiat necessarius, est actus primus inhærens potentiæ: vt autem fiat præternaturali modo non debito potentiæ, satis est quod ità principio superiori assistente ipsi potentiæ, vt est ipsemet Spiritus sactus. Neque oportet ad alia proposita in capite primo sigillatim respondere, quia infrà explicandum est vitalitatem actus supernaturalis

Satisfit fundamentis contrariæ sententiæ.

Actus supernaturalis elicitus à potentia sine habitu fit præternaturaliter à potentia per potentiam obedientialem immediatam Spiritui sancto.

ruralis esse posse ab ipsa facultate per potentiam obedientialem influente. Item dictum est quomodo hæc gratia pendeat à solo Deo, vt excludit, vel meritum, vel naturalem influxum potentiæ, non verò vt excludit omnem efficientiam per potentiam obedientialem. Ac tandem manifestum ex dictis est, etiam de his actibus verisimè dici, non esse nos sufficientes ad illos habendos à nobis, quasi ex nobis, quia tota efficientia imò & efficacia illorum est ab Spiritu sancto, vt declaratum est.

CAPVT V.

Vtrùm motus gratiæ excitantis sint indeliberati, ita vt ex necessitate, non libertate fiant.

1. Status quæstionis.

RAtio dubitandi esse potest, quia gratia excitans est necessaria ad salutem, & ad bene operandum: motus autem indeliberati, præsertim voluntatis, nihil conferunt ad salutem, quia nec moraliter boni, neque meritorij esse possunt, ergo non potest gratia excitans in his motibus consistere. Deinde quoties Sancti postulant à Deo dona gratiæ, non postulant ab ipso motus indeliberatos, sed morales ac perfectè humanos; ergo signum est indeliberatos motus non pertinere ad dona gratiæ, præsertim quæ sunt ad salutem necessaria: nam omnia hujusmodi dona frequenter postulantur à Sanctis, vt passim in Scriptura constat, & refert latè Augustinus in lib. de Grat. Christi, & de nat. & grat. & de Grat. & lib. arbitr. & alijs, inde ostendens gratiæ necessitatem. Vnde è contrario, ex eo quòd tales motus non postulantur à Deo, rectè inferimus non pertinere ad dona gratiæ. Denique inductione id ostenditur. nam actus fidei liber est, & gratia excitans ad spem: spes etiam est actus liber, & tamen excitat ad charitatem; similiter timor voluntatis, est actus liber, & excitat ad pœnitentiam, & sic de alijs; ergo non oportet, vt gratia excitans sit actus indeliberatus.

Augus.

2. Assertio. Actus gratiæ purè ex excitantis sunt necessarij & indeliberati. Est communis. *Vega.* Probatur 1. authorit. *Conc. Arausic. August.*

Nihilominus dicendum est proprios actus purè excitantis gratiæ liberos non posse esse, sed necessitate quadam sine operantis deliberatione fieri, & in hoc sensu rectè indeliberatos dici. Assertio est communiter recepta à Theologis in c. 2. allegatis: nam Vega tam necessarios putat hos motus gratiæ excitantis, vt homo passiuè in eis recipiendis tantùm se habet. Alij verò licèt dicant efficienter à nobis elici, dicunt tamen fieri sine cooperatione libera; & in fine ejusdem capitis explicauimus de his actibus sententiam Concilij Arausic. & August. multa esse in homine bona quæ non facit homo, vtique liberè cooperando, propter quod dicuntur hi actus à solo Deo fieri, vt loquitur Augustinus lib. 2. contra duas epistolas Pelagian. cap. 9. dicens, *in vno istorum* (id est, in actu deliberato) *cooperatur Deus hominifacienti, alterum verò* (id est, actum gratiæ excitantis) *solus facit*; ergo talis actus non est liber, quia sine cooperatione hominis libera, non fit actus liber. Dices, esto non fit talis actus in se, & proximè formaliter liber, nihilominus potest esse aliquo modo liber, quatenus pendet ex aliqua dispositione libera, sine qua nō daretur. Respondetur nos nunc loqui priori modo, & cum proprietate de actu libero: deinde addimus licèt fortasse aliqua gratia excitans sit ex priori dispositione libera hominis, nihilominus totam gratiam excitantem hoc modo liberam esse non posse, quia prima dispositio libera priorem excitantem gratiam necessariò supponit, vt inferiùs ostendemus.

Vnde argumentor secundò: nam vocatio est gratia excitans, vt suprà visum est, sed vocatio non est homini libera, quia non est in potestate ejus, & ideo non potest ipsi attribui; ergo etiam gratia excitans non est libera. Minor. est Augustini lib. 83. quæstionum in 68. dicentis. *Si quis sibi tribuat, quod veniat vocatus, non tamen potest sibi tribuere, quòd vocatus sit*, quia nimirum venire est liberum hominis, non autem vocari: & ideò Paulus primum prædestinationis effectum posuit in vocatione, dicens ad Roman. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit*: & in cap. 9. vt declararet opus gratiæ, dixit: *non ex operibus, sed ex vocante*, quia ex vocatione, quæ à solo Deo est, gratiæ opus incipit, vt latè ponderat Augustinus dicta qu. 2. ad Simplician. dicens, *nisi vocando præcedat misericordia Dei, neque credere quisquam potest, vt ex hoc incipiat iustificari.* Et infrà dicit. *quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quod bene volumus, nobis verò tribui non potest quod vocamur.* Non est ergo nobis libera vocatio: vnde multo minus est in potestate hominis, quòd hoc, vel illo modo vocetur, sed in hoc maximè gratia Dei commendatur, vt dixit idem Augustinus lib. de Spiritu & liter. cap. 34. vbi docet piam voluntatem diuino muneri tribui, quia *visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus, siue extrinsecus per euangelicas exhortationes, siue intrinsecus vbi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem.* Antecedit ergo hæc gratia potestatem hominis, & à fortiori etiam vsum libertatis præcedit; non ergo consistit in actu libero, sed necessario.

3. Probatur secundò. *August.* *Rom. 8. 29.* *Rom. 9. 11.*

Ratio denique ex eisdem locis Augustini sumitur, quia hæc gratia hominem quasi dormientem vel non attendentem ad vigilandum, vel attendendum excitat; ergo ex modo suo habet, vt à foris veniat, & non ab ipso homine; ergo ex propria ratione habet, vt non sit libera, & ideo satis indicatur hæc proprietas hujus gratiæ illis verbis, *Ego sto ad ostium, & pulso*, Apocal. 3. & in ipso nomine vocationis includitur. nam vocatio non est à vocato, sed à vocante. Vnde est illud Prouerb. 1. *Vocaui, & renuistis.* Deinde excitatio hæc ab intellectu incipit, quia non potest voluntas nisi per intellectum excitari: intellectus autem excitari potest medio objecto ab extrinseco agente proposito. Primus ergo actus excitantis gratiæ in intellectu est; ille ergo actus non potest esse liber, cùm antecedat motionem voluntatis, quæ sola est formaliter libera. Et hoc modo reducit sæpe Augustinus hanc primam excitantem gratiam ad sanctam, & piam cogitationem, vt libro 2. contra duas epistol. Pelagian. cap. 8. & de prædestinatione Sanctorum cap. 2. sic interpretans illud Pauli, *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.* Et eodem modo dixit Bernardus lib. de Grat. & liber. arbitr. *Deum inchoare gratiam in nobis dum seminat cogitatum.* Est autem quasi naturalis modus operandi voluntatis nostræ, vt præuenta cogitatione aliqua, perquam sibi objectum fugiendum vel prosequendum proponitur, statim in actum indeliberatum prodeat, priusquam intellectus plenè aduertat vt deliberare possit; vt ergo Deus in his motibus gratiæ sese accommodet naturæ, & vt vtramque potentiam iuuet, per illam cogitationem intellectus statim mouet, & excitat voluntatem ad aliquem effectum amoris, vel timoris, prosecutionis, aut fugæ, qui proinde indeliberatus est, & per modum motus, quem primò primum appellant.

4. Probatur tertiò ratione ex Augustino desumpta. Gratia hominem qua si dormientem vel non attendentē ad attendēdum excitat *Apoc. 3. 20.*

Dices hinc solùm includi vnum actum intellectus, & alterum voluntatis, esse non liberum in ordine gratiæ excitantis. Respondetur in primis

5. Obiectio Diluitur

hos

hos primos actus non semel tantùm in vita esse necessarios, sed singulis temporibus, diebus, seu horis, in quibus mens incipit ad nouum supernaturalem actum moueri postquam prior excitatio, & cogitatio omnino cessauit, ita vt neque ipsa, neque virtus ejus manserit. & hac ratione sæpissimè hac prima gratia excitante indigemus. Deinde addimus etiamsi mens iam inciperit operari, vel etiam deliberare, aut consentire, Deum sæpe immittere nouas illustrationes, & inspirationes, vel vt intellectus meliùs, & clariùs rem apprehendat, vel vt majori firmitate iudicet, vel plura intelligat, & penetret, vel vt voluntas magis afficiatur majori cum suauitate, & delectatione operando, & isti omnes motus præueniunt vsum libertatis, vt per se patet. Addendum verò est post primam cogitationem, & motionem posse etiam subsequi aliquam liberam applicationem mentis ad maiorem considerationem rei per illam primam cogitationem propositæ. Quia ordinario, & humano modo procedendo inter illam primam cogitationem, & consensum, vel dissensum planè deliberatum intercedit aliquod tempus in quo voluntas iam excitata per primam cogitationem, & diuina gratia adiuta potest vel applicare intellectum, vt ex illa piam cogitationem magis inquirat, & discurrat, vel auertere alias cogitationes, quæ illam primam possunt impedire. Hoc enim & est consentaneum connaturali modo procedendi hominis in suo discursu, & progressu mentis, & non repugnat gratiæ, ideo est valde consentaneum suaui ejus motioni, ideoque nullam cooperationem liberam impedit quam voluntas per gratiam reparat possit adhibere. Quod ex antiquis notauit Alensis 3. p. q. 30. aliàs 61. memb. 3. art. 4. §. *Ad aliud*, & ex modernis Molina in Concord. disput. 34. & ideo in assertione limitatè loquutus sum de actibus puræ gratiæ excitantis, quia illi soli sunt simpliciter necessarij: cum illis autem misceri possunt considerationes, vel volitiones, aut affectiones liberæ, quæ iam non sunt ex sola gratia excitante, sed etiam ex adjuuante, vt infrà dicemus.

Addendum primò.

Addendum secundò.

Alens.

9

Ad rationē dubitandi. sup. n. 1.

Ad primam ergo rationem dubitandi in principio positam respondetur, hos actus gratiæ excitantis præcisè spectatos non conferre quidem ad salutem tanquam per se meritorios vitæ æternæ, neque tanquam dispositiones proprias, quibus homo iste moraliter se ad iustitiam disponit; nihilominus tamen conferre multum, vt per eos Deus inchoet in nobis opus gratiæ præparando voluntatem, & initium bonæ voluntatis illi conferendo, quod sine vsu libertatis optimè fit.

Ad secundam.

Ad secundam negamus Sanctos non postulare à Deo hanc gratiam excitantem, contrarium enim constat experimento omnium, qui sapienter, & secundùm fidem orare didicerunt. Et in Scriptura ejusmodi petitiones sæpe leguntur; hujusmodi enim sunt illæ orationes, *Conuerte nos Deus salutaris noster*, Psal. 84. *Conuerte nos Domine, & conuertemur*, Thren. 5. & sæpiùs in Psalm. 79. *Deus conuerte nos*. Et in Psal. 118. omnes illæ petitiones, Reuela oculos meos, da mihi intellectum, inclina cor meum in testimonia tua, sunt de hac gratia excitante, & ad eandem pertinet illud, *Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilatasti cor meum*. Et eandem postulat sæpe Ecclesia in orationibus publicis, vt suprà veluti ex collectis Dominicæ 24. post Pentecostem, & Dominicæ 2. Aduentus.

Psal. 84. 5. *Thren.* 5. 21. *Psal.* 79. 4. 8. 15. 20. *Psalm.* 118. 59. 79.

7.

Ad tertiam.

Ad tertiam respondetur gratiam excitante m simpliciter, & per antonomasiam dictam esse illam, quæ fit in nobis sine nobis v t diximus, & ideo non omnis excitans alium, etiamsi supernaturalis sit, ex gratia factus dicitur gratia excitans, si fit actus deliberatus, & humano ac morali modo factus. Tum, quia talis actus est effectus gratiæ adiuuantis, & cooperantis; tum etiam, quia hujusmodi actus non computantur propriè inter auxilia gratiæ, sed potiùs sunt fructus auxiliorum gratiæ: tum denique, quia hi actus non dantur per se primò, vt excitent ad alios, sed per se, ac propter se donantur; consequenter verò habent vim excitandi: gratia autem excitans propriè datur ad illa, quæ per se primò datur ad hoc munus, & per modum auxilij ad alium similem deliberatum, esse gratiam excitantem respectu alterius actus subsequentis, & ideo, vt sic, non tribui homini, sed soli Deo, quia homo non excitat seipsum, sed quod spectat ad appellationem gratiæ excitantis, non est contendendum de nomine, nam in bono sensu potest admitti, cùm reuera prior actus gratiæ deliberatè factus possit ad subsequentem excitare, dummodo non negetur differentia talis actus à propria, & pura gratia excitante, quam explicuimus. Et tamen modò quòd vnus ex his actibus excitat ad alium, non video, cur non possit hoc tribui tali actui, vt ab homine fit cum auxilio Dei, quia illa excitatio non est necessaria, & quasi ab extrinseco; sicut est altera, quæ fit per proprios motus gratiæ excitantis, sed est libera; ergo est non tantùm à Deo, sed etiam ab homine, vnde propriissimè etiam dicitur homo excitare seipsum, vel per se in naturalibus actionibus, vel per auxilium Dei in supernaturalibus; sicut enim vnum corpus ab alio motum potest mouere aliud ita homo excitatus à Deo potest vlteriùs excitare seipsum, & ad hoc vtimur consideratione, & meditatione rerum æternarum, vt nos ipsos cum diuina gratia ad bene operandum excitemus. Non tamen erit idem si verbo *vocandi* vtamur, quia licèt vocatio etiam sit excitatio, non tamen omnis excitatio est vocatio. Vnde etiam verbum vocandi specialius est, quàm excitandi, nam illud propriè refertur ad alium; & ita in præsenti significat primam Dei excitationem: verbum autem excitandi non includit illum respectum, & dici potest de quacumque motione ad subsequentem actum, quæ ex vi præcedentis fit. Et est simile de verbo *operandi*; nam homo propriè dicitur imperare sibi ipsi: imperium autem quædam excitatio est, & in supernaturalibus actibus media prudentia infusa locum habet.

Sicut vnum corpus ab alio motum potest mouere aliud ita homo excitatus à Deo potest excitare alium.

Caput VI.

Vtrùm gratia excitans in intellectu sit, & quæ sit necessitas, vel munus eius.

1. Assertio. Gratia excitans est in intellectu. *Trident.*

CVm in superioribus dictum sit initium interioris gratiæ ab excitante auxilio desumi, tanquam certum supponimus hanc gratiam esse in intellectu, imò & in illo primitus inchoari, vt satis significauit Conc. Trid. sess. 6. c. 5. docens vocationem fieri tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem; illuminatio enim interna & spiritualis ad intellectum pertinet, & in illo fieri necesse est, idèmque multis aliis testimonijs statim confirmabimus. Præterea est hoc manifestum in primis ex naturali subordinatione potentiarum animæ, nam inter eas præcedit intellectus, sine cujus motione non potest voluntas moueri, nisi ab aliquo extrinseco agente, vel objecto excitetur; ergo prima excitatio necessariò debet in intellectu præcedere. Atque hoc modo explicuit necessitatem hanc gratiæ excitantis *D.* Th. 1. 2. q. 109. art. 2. ad 1. & q. 24. de verit. art. 14. & 15. Si tamen generaliter hæc ratio sumatur, non solùm probat necessariam

D. Thom.

sariam esse prævuiam excitationem in ordine actuũ gratiæ, sed etiam in ordine naturalium actuum, & ita illum discursum confirmat D. Thom. auctoritate Aristot. lib. 7. Ethic. ad Eundem. cap. 18. de bona fortuna, vbi sentit voluntatem humanam non ita esse dominam suorum actuum, quin saltem in prima cogitatione indigeat moueri ab alio, quia non potest mouere seipsum ante cogitationem, & consequenter neque potest intellectum ad primam cogitationem mouere: oportet ergo vt ab alio moueatur; & quia omnes causæ inferiores subordinantur prouidentiæ diuinæ, talis excitatio etiam in naturali ordine principaliter in Deum reducitur, vt in lib. 2. explicaui. Quamuis autem hæc ratio, vt dixi, ad vtrumque ordinem gratiæ, & naturæ communis sit, vnicuique est cum proportione applicanda, quia motio primi mouentis est accommodata vltimo fini: per gratiam autem mouetur homo ad finem naturam superantem; ergo prima motio quæ per excitationem fit, esse debet per motionem ejusdem ordinis, & quæ à Deo auctore gratiæ procedat. quo discursu vtitur etiam D. Thomas. 1. 2. q. 69. art. 6. dicens, cùm Deus conuertat omnia ad seipsum, homines tamen conuertere ad se, vt ad specialem finem cui intendunt, & cui cupiunt adhærere sicut bono proprio, secundùm illud Psalm. 72. *Mihi adhærere Deo bonum est.* Et dicta q. 24. de verit. art. 15. id declarat, quia modus præparationis, & conuersionis ad Deum vt supernaturalem finem est homini naturaliter ignotus, & ideo necesse est, vt ad illum assequendum speciali modo diuinitus dirigatur, & gubernetur, quæ directio per sanctam cogitationem inchoatur.

Idem.

Idem.

2. Confirmatur vlteriùs ex doctrina Augustini.

Est etiam hæc doctrina D. Augustini, qui necessitatem hujus gratiæ excitantis ad sanctam cogitationem vbique reducit, præsertim in dicta quæstio. 2. ad Simplician. vbi circa finem ait *Quis potest credere nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo eius voluntas moueatur ad fidem? aut quis habet in potestate, vt vel occurrat, quod tunc delectare possit, vel delectet tùm occurrerit.* Eandem doctrinam habet lib. 2. de peccator. merit. cap. 17. & 18. & lib. 2. contra duas epistolas. Pelagianorum cap. 8. sempèrque ad hoc inducit illud 2. ad Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Est autem naturale intellectui, vt ad primam suam cogitationem ab extrinseco objecto, vel quod suppleat vicem objecti, moueri incipiat, & ideo in hac excitatione gratiæ id seruari necesse est, imò in eo est maior necessitas, quia intellectus magis distat, magisque est in pura potentia respectu objectorum, quæ ordinem naturæ superant, & ideo necesse est, vt per influxum incipiat in actum reduci. Quamuis autem naturale sit intellectui per sensum excitari, tamen diuina virtute, & per auxilium gratiæ potest aliquando interna tantùm motione excitari, quamuis frequentiùs, & regulariter mediis externis obiectis illuminetur. Et ideo D. Augustinus duos modos hujus excitationis, internum nimirum, & externum sæpe distinguit, vt lib. 83. quæstion. quæst. 68. ait. *Quoniam neque velle quisquam potest, nisi admonitus, & vocatus siue intrinsecus, vbi nullus hominum videt, siue intrinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia efficitur, vt etiam ipsum velle Deus operatur in nobis.* Et ibidem subdit de Pharaone ipsum non latuisse quantum boni consequutæ fuerint terræ illæ per aduentum Ioseph, & illius (ait) *rei gestæ cognitio vocatio eius fuit, vt populus Israël misericorditer tractans, non esset ingratus.* Simili modo libro de spirit. & liter. cap. 34. dicens, *Visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus, siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonet hominem infirmitatis suæ, vt ad gratiam iustificantem credendo, confugiat; siue intrinsecus vbi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est.* Atque eodem modo D. Prosper libro 2. de vocat. gent. cap. 25. & 26. & libro contra Collatorem explicat hanc gratiam excitantem nostra cognitione incipientem partim per extrinseca objecta, vel signa, partim per internam reuelationem, vel monitionem.

1. Cor. 3.

Augustin.

Idem.

D. Thom.

Prosper

Quamuis autem vt dixi, excitatio hæc interior possit ab externa separari per virtutem gratiæ, quia Deus in actione sua non pendet à sensibus, sed potest virtute sua immediatè immutare mentem, & loqui ad cor hominis, nihilominùs exterior excitatio ab interiori non separatur: nam si vox, vel alia species sensibilis perueniret ad sensum, & non attingeret intellectum, eumque admoneret, non posset talis motio externa inter auxilia gratiæ computari, quia nullum adjutorium ad bene operandum præberet. Deinde circa priorem excitationem merè internam aduertendum est, licet posset à Deo fieri per species supernaturales, & infusas, vel per accidens, vel etiam per se, nihilominus regulariter & secundùm ordinariam legem non ita fieri, sed mouendo, & excitando species à sensibus acceptas ad aliquid salutare cogitandum, quod intellectus facere sua voluntate non posset. Quod si interdum Deus præbet nouas species, in eo supplet vicem sensibilium objectorum, & cùm per eas non eleuetur homo ad cogitandum fine dependentia à phantasmatibus, necesse est, vt cum eis dentur phantasmata proportionata; imò verisimile est talem impressionem specierum à phantasia incipere, & illa mediante ad intellectum transire media affectione intellectus agentis, quia in his operibus gratiæ non multiplicat Deus miracula non necessaria, sed vbi commodè fieri potest, naturalem ordinem seruat. Vbi autem hæc impressio specierum per diuinam actionem antecedit, licèt ad beneficia gratiæ pertineat, quia supernaturalis est saltem in modo, non est tamen interna gratia excitans, sed potiùs ad exteriorem gratiam spectat, quia per se, & ex natura sua per sensibilia objecta fieri posset. Vnde à contrario circa alium modum externæ excitationis aduertendum est, quòd licèt per externas voces, aut signa imprimantur species, quæ possunt etiam in intellectu aliquam naturalem cogitationem excitare, nihilominus illa non pertinet ad proprium internum auxilium gratiæ excitantis, quia illa cogitatio reuera fit solis viribus naturæ, & solùm ea quadam exteriori gratia, quæ est quasi plantatio, & rigatio, de qua dixit Paulus, *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Item illa cogitatio est à nobis quasi ex nobis, sicut aliæ cogitationes naturales, quia propria virtute intellectus fit, so lùmque requirit impressionẽ specierũ, quæ à talibus objectis sensibilibus naturaliter etiã nt: at verò pia cogitatio, quæ est gratia existens, talis est, vt ad illam non simus sufficientes ex nobis, sed sufficiẽtia nostra ex Deo esse debeat. Deniq; gratia, quę datur ad illã cogitationẽ, nõ trãscendit legẽ, vel doctrinã, vnde Pelagius (vt in lib. 1. & 3. sæpe aduertimus) in hoc sensu etiã admittebat excitantẽ gratiam, & inspirationẽ; Augustinus verò contra illam vrget, exigendo iuxta Scripturas, altiorem gratiam excitantem, quam internam doctrinam, & occultam gratiam vocat, vt videre licet in toto lib. de Grat. Christi, & aliis frequenter, (vt ita rem explicem) etiam est interna, & spiritualis cogitatio, quæ diuina virtute fit in intellectu, & ab intellectu meditis

Assertio 2. Exteriorem citatio ab interiori non separatur regulariter.

Notatio 1. Excitatio merè interna communiter fit per species naturales a sensibus.

In operibus gratiæ Deus non multiplicat miracula non necessaria, sed vbi commodè fieri potest naturalem ordinem seruat.

Notatio 2. Cogitatio naturalis causata à signis quæ mouere possunt intellectum, non pertinet ad internum auxilium gratiæ excitantis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

specie-

ſpeciebus ab interioribus ſignis intellectus impreſsis.

Assertio 3. Munus & neceſsitas gratiæ excitantis colligitur ex dictis.

Ex his ergo ſatis declaratum relinquitur munus, & neceſsitas hujus gratiæ, quatenus ad intellectum pertinet. Nam munus illius, quæ vox ipſa præ ſe fert, eſt actu mouere, & mouere hominem, vt rebus diuinis, & ſupernaturalibus afficiatur: neceſsitas autem partim prouenit ex ea generali ratione, quòd homo non poteſt ſeipſum ad primam cogitationem mouere, partim ex potentia naturali hominis ad res ſupernaturales cognoſcendas, propter quam neceſſe eſt, vt illa prima motio ex gratia procedat, & vtrumque ſignificatum eſt ab auctore libri de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 20. dicente. *Manet ad ſalutem quærendam libertas arbitrij, ſed monente prius Deo, & mouente ad ſalutem, & ita initium ſalutis Deo operante habemus*; & eamdem ſententiam continent, quæ ſupra ex Auguſtino retulimus, præſertim in q. 2. ad Simplician. vbi in fine addit. *Voluntas niſi aliquid occurrat, quod inuitet animum, moueri nullo modo poteſt.* Hac ergo de cauſa præcedere excitationem in intellectu neceſſe eſt.

Dubium. Assertio 4. Non ſufficit apprehenſio, ſed requiritur iudicium imperfectum.

Quoniam verò in intellectu apprehenſio & iudicium inuenitur, inter quæ apprehenſio ordine naturæ præcedit, dubitare quis poteſt, an præuia hæc excitatio ſimpliciter neceſſaria in præuia apprehenſione tantum conſiſtat, vel etiam iudicium requirat. Reſpondetur nec ſufficere apprehenſionem ſolam, quæ non includat aliquam cogitationem rei apprehenſæ, & conſequenter iudicium aliquod, licèt imperfectum, neque etiam requiri iudicium perfectum, & conſummatum, quod cum perfecta cognitione, & deliberatione fit.

Ratio primæ partis.

Ratio prioris partis eſt, quia hæc excitatio talis eſſe debet, vt poſsit in voluntate aliquem effectum commouere, nam ad hunc finem datur, vt ex dictis allegatis Conciliis, & Patribus conſtat. Ad mouendum autem effectum, non ſufficit quælibet apprehenſio, ſed neceſſarium eſt aliquale iudicium, vt nunc ſuppono.

Ratio ſecundæ partis.

Ratio verò alterius partis eſt, quia ad primum motum voluntatis non requiritur perfectum iudicium: hæc autem excitatio intellectus ſatis eſt, vt proximè moueat voluntatem ad aliquem motum indeliberatum, qui ſolet primus appellari. Item perfectum iudicium de ſe ſupponit voluntatem applicantem intellectum vel ad perfectè conſiderandum, vel etiam ad ipſum iudicium ferendum; ergo non oportet vt tale iudicium præcedat in intellectu per modum puræ gratiæ excitantis, ſed ſatis eſt, quòd præcedat illa cogitatio, quæ ad inuitandum voluntatem ſufficiat, & vt illa poſita poſsit etiam voluntas applicare intellectum ad melius conſiderandum, quod facere poterit adiuuante gratia, quæ iam non erit purè excitans, vt ex dictis in ſuperioribus declaratum relinquitur.

Caput VII.

Vtrùm gratia excitans in voluntate ſit, & quæ ſit neceſſitas, vel munus eius.

1. Status quæſtionis & ratio dubitandi.

Ex dictis in præcedenti capite colligere aliquis poteſt excitantem gratiam in intellectu tantùm, & non in voluntate eſſe neceſſariam: conſequens autem non videtur admittendum; ergo. Sequela probatur, quia tota illa neceſsitas fundata eſt à nobis in ſubordinatione voluntatis ad intellectum; ex illa verò ſolum colligitur neceſſariam eſſe excitationem intellectus, quia illa poſita poteſt voluntas ſe mouere, etiamſi ab alio in ſeipſa non excitetur. Confirmatur, ac declaratur, quia motus voluntatis, quicunque ille ſit, ſupponit in intellectu ſufficientem cogitationem ex neceſſaria, & quaſi eſſentiali ſubordinatione: motus autem perfectè deliberatus voluntatis non habet hanc neceſſariam ſubordinationem, vel dependentiam à motu indeliberato, vt illum neceſſariò ſupponere debeat; ergo poteſt eſſe in voluntate motus gratiæ adiuuantis, ſeu cooperantis, qui ſit plenè liber, & ſupernaturalis, etiamſi in ipſamet voluntate non præcedat motus indeliberatus gratiæ excitantis. Quòd autem ſequela admittenda non ſit, probatur, tum quia Concilia explicant hanc gratiam excitantem nomine inſpirationis, & hanc dicunt eſſe neceſſariam: inſpiratio autem motum voluntatis ſignificare videtur, quem eadem Concilia tactum cordis vocant, tum etiam, quia videtur inde ſequi error Pelagij, qui dicebat præuenientem gratiam neceſſariam ad bene operandum, tantùm eſſe legem, & doctrinam. At verò ſi gratia excitans ſolùm eſt cogitatio intellectus, ſolùm deſeruit per modum doctrinæ reuelantis, & proponentis voluntati bonum, quod amandum eſt.

Confirmatur.

In hoc puncto videri poteſt alicui non eſſe inconueniens concedere, excitantem gratiam non eſſe neceſſariam in voluntate, id enim iudicare videtur Alexander Alenſ. 3. p. q. 61. mem. 6. art. 3. aliàs 7. memb. 3. dicit enim excitare liberum arbitrium eſſe effectum gratiæ. tamen quia liberum arbitrium eſt facultas voluntatis & rationis, excitare pertinere ad rationem, iuſtificare autem ad voluntatem. Vbi excitationem tribuit ſoli intellectui, & inter illam excitationem, & illum motum voluntatis, quo iuſtificamur, non videtur poſtulare aliquem motum indeliberatum voluntatis. Neque alij antiqui Scholaſtici, neque ipſe D. Thom. aliquid de neceſsitate horum motuum indeliberatorum gratiæ, quæ in voluntate præcedere debeat nobis, expreſsè crediderunt. Præterea non videtur hæc ſententia aliena à mente Conc. Trid. nam licèt illuminationem, & inſpirationem nominet, indicat tamen eſſe eandem motionem, ſic enim ait in dicto c. 5. *Tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens*, vbi quam vocauerat illuminationem, poſtea inſpirationem vocat, & de illa vt de ſingulari motione loquitur. Et ideo in Can. 3. ex parte gratiæ excitantis ac præuenientis ſolam inſpirationem requirit, ad actus iuſtificationis: non omiſiſſet autem illuminationem, ſi illa eſſet diſtincta motio, cùm ſit maximè neceſſaria. Idemque argumentum ſumi poteſt ex Concil. Arauſic. c. 5. & 6. vbi ſolam inſpirationem requirit, cùm tamen in 7. illuminationem, & inſpirationem appellet. Videtur ergò eadem facta cogitatio vocari illuminatio quatenus afficit intellectum; inſpiratio verò quatenus inuitat, & metaphoricè attrahit voluntatem. Vnde etiam ſumitur coniectura, quia per actum intellectus ſufficienter excitatur ipſa voluntas motione, ſeu tractione metaphorica. Non ergo eſt neceſſe, vt excitetur quaſi formaliter per inhærentem motum.

1. Quæritur an gratia excitans ſit neceſſaria in voluntate.

Dicendum eſt.

Neque etiam videtur ab hac ſententia alienus Aug. nam in multis locis, quæ iam allegauimus, neceſsitatem gratiæ excitantis ad ſanctam cogitationem reuocat, vt lib. de prædeſt. Sanctor. c. 2. & de bono perſeuer. c. 8. Illam ergo cenſet eſſe ſufficientem in ratione excitationis, vt in lib. de Grat. Chriſti, c. 13. vocat illam internam doctrinam, dicens, *Si doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, vt altius, & interius eam Deus cum ineffabili ſuauitate credatur infundere*

infundere non solùm per eos qui plantant, & rigant extrinsecus, & tract. 26. in Ioan. explicat verba illa Christi Domini. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum,* per alia dicta Petro ab eodem Christo Domino Matth. 16. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est*; addit enim Aug. ista reuelatio, ipsa est attractio: at reuelatio in intellectu tantùm fit, & subjungit. Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam; nuces puero demonstrantur, & trahitur. quibus modis per solam cognitionem hanc gratiam declarat, & simili modo; circa eundem locum loquitur Cyril. lib. 4. in Ioan. c. 6. dicens, non vi quadam cogi, trahique fideles putandum est, sed monitione, doctrina, reuelatione ineffabiliter facta, vt ille solus nouit, qui dignos cognouit, & in c. 7. id confirmat ex alijs verbis Christi. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me, Vbi enim* (inquit) *auditus, disciplina, doctrinaque adest, ibi fides non visu, sed persuasione oritur* persuasio autem ad intellectum fit, qua persuasione facta, immediatè sequi potest, cùm adjuuante gratia voluntas credendi absque interuentu preuij motus indeliberati eiusdem voluntatis. Eandemque doctrinam circa eundem locum indicat Chrys. Hom. 45. in Ioan. dicens. Quomodo trahat hoc, Propheta prædixerat, quod erunt omnes docibiles Dei.

Ioan. 6. 44. Matth. 16. 17. Cyrill. Ioan. 6. 45. Chrysost.

4. Hęc sententia non videtur inciderè in errorem Pelagij.

Denique sententia hæc nullo modo incidit in errorem Pelagij, nam Pelagius, vt ibi vidimus, gratiam solum ponebat in doctrina externa, quatenus naturali modo potest intellectum excitare, & instruere; hæc verò sententia requirit specialem illuminationem internam, quam Pelagius non agnoscebat. Et ideo signatim addit Augustinus in citato loco, *non solum per eos qui plantant, & rigant extrinsecus,* (vtique, vt dicebat Pelagius,) sed per seipsum quod est proprium Catholicæ doctrinæ. Et hoc ipsum significauit Cyrillus in verbo illo, *reuelatione ineffabiliter facta.* non enim dicitur ineffabilis, nisi propter internum, & occultum modum diuinæ illuminationis. Et in eodem sensu dixit Chrysostomus, per illud verbum *trahendi,* non liberum arbitrium tolli, sed necessitatem diuini auxilij demonstrari. Vnde est aliud manifestum etiam discrimen, nam Pelagius præter illam suam gratiam externam, non admittebat gratiam adiuuantem, quam hæc sententiain voluntate requirit. Quod satis esse ad distinguendam Catholicam doctrinam à Pelagiana, docuit Augustinus. in dicto lib. de Grat. Christi cap. 47. dicens ad Pelagium, si consenserit nobis etiam ipsam voluntatem & actionem diuinitus adjuuari, & sic adjuuari, vt sine illo adiutorio nihil bene velimus & agamus, &c. nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controuersiæ relinquatur.

Augustinus.

5. Assertio 1. Excitans gratia non solùm in intellectu sed etiam in voluntate infunditur ante deliberatum consensum supernaturalè. Certa est, quia est manifesta doctrina Augustini. Primus locus. Secundus.

Nihilominus dicendum est, excitantem gratiam non solùm in intellectu, sed etiam in voluntate infundi, ante piam voluntatem, seu deliberatum consensum supernaturalem. Hæc assertio certa est, & in ea conueniunt omnes moderni Scriptores, est enim manifesta doctrina Augustini. nam ferè semper piæ cogitationi adjungit aliquem voluntatis motum, & specialiter lib. de prædestinat. Sanctor. c. 20. *Cùm Deus* (inquit) *vult fieri, quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda vt hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur, & velle.* Et ita intelligit illud Psalm. 118. *Inclina cor meum in testimonia tua,* & illud 3. Reg. 8. *Fiat Dominus noster nobiscum, & inclinet corda nostra ad se.* & illud Prou. 8. iuxta Septuaginta, *præparatur voluntas à Domino.* propriè enim præparatur voluntas per aliquid in se receptum, & non per solam intellectus cogitationem; & lib. 2. de peccator. merit. c. 17. & 18. duos effectus huius excitantis, & præuenientis gratiæ declarat: vnus est, *vt innotescat, quod latebat, aliud vt suaue fiat, quod delectabat,* quorum prior ad intellectum, posterior ad voluntatem pertinet, & vtrumque dicit pertinere ad illam gratiam, qua Deus adiuuat voluntates, quam gratiam ibi appellat *victricem delectationem.* Et similiter in dicto lib. de Grat. Christi cap. 13. dicit doctrinam internam in qua vocatio consistit, cum mirabili suauitate infundi. Quę certè suauitas sine aliquo motu voluntatis intelligi non potest.

Tertius.

Præterea in lib. 2. contra duas epistol. Pelagian. cap. 8. dicit cupiditatem boni non incipere in nobis à nobis, sed à Deo, vtique per excitantem gratiam, & in cap. 9. dixit hominem præparare cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor. Et in fine eiusdem capitis ait, *Benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, vt nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis, in qua si nos non præuenit Deus, non solùm non perficitur, sed neque inchoatur in nobis.* & similia multa habet in epist. 106. & 107. & aliis libris contra Pelagian. Latiùs verò, & apertiùs Prosper lib. contra Collector. cap. 14. explicando verbum Christi, *Nisi Pater meus traxerit eum,* multa enumerat, quæ partim ad intellectum, partim ad voluntatem pertinent, trahit (inquit) ad Deum contemplatio, & trahit cognitio diuinorum operum, & statim addit, animum audientis inflammat. Item trahit timor, trahit lætitia, trahit desiderium, trahit delectatio quæ omnia testimonijs Scripturæ confirmat, & concludit. *Quis perspicere, aut enarrare possit per quot effectus visitatio Dei animum ducat humanum?* & similia multa habet lib. 2. de vocat. gent. cap. 26. vbi post multa quæ ad intellectum pertinent, concludit, & fidei affectionibus imbuendo. Et Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 8. dicit Deum primum inchoare in homine voluntatem bonam, deinde eandem voluntatem adiuuare inchoatam, & idem prosequitur cap. 14.

6. Quartus. Prosper. Fulgent.

Ex quibus vlteriùs addimus hanc gratiam excitantem, & voluntati inhærentem, non solùm vtilem; sed etiam necessariam esse in ordine humanæ iustificationis. Hæc assertio ex dictis Patribus, & testimoniis colligitur: nam in dictis locis sæpe de gratia necessaria ad fidem, vel conuersionem loquuntur: & inde Conc. Trident. illuminationem, & inspirationem tanquam necessarias requirit, & certè nomine inspirationis impulsum aliquem voluntatis intelligere videtur, hæc enim significant illa verba, *Tangente Deo cor hominis,* nomine enim cordis voluntas significatur: dicitur autem Deus tangere cor per Spiritus sancti illuminationem, quia ex illuminatione intellectus statim resultat in voluntate motus aliquis, quo Deus tangit cor, & hic motus est etiam inspiratio, quam voluntas amplecti, vel despicere potest, vt Concilium ait, estque hoc consentaneum verbis illis Apocal. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso.* Nomine etiam ostii voluntas significari videtur: nam per illam Deus ingreditur in animam, vel ab ea expellitur. Cùm ergo dicitur Deus pulsare ostium, rectè intelligitur id facere mouendo & excitando non tantùm intellectum, sed etiam voluntatem. Nam ex duobus quæ ibi statim subiunguntur, *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum*; & licèt primum ad intellectum pertineat, secundum proprium est voluntatis, illa enim est, quæ per liberum consensum D:o ianuam aperit; ergo ipsa est etiam ostium, quod per gratiam excitantem pulsatur. Et hìc sumi potest prima ratio huius necessitatis, quæ sumitur ex naturali sympathia istarum potentiarum: nam sicut voluntas non potest excitari nisi medio intellectu, ita è contrario posito in intellectu sufficienter excitatiuo, & non existente in intellectu sufficienti considera-

7. Assertio 2. Gratia excitans non modò vtilis, sed etiam necessaria voluntati. Apoc. 3. Prima ratio fundata in Scriptura. Posito intellectu sufficienti excitatiuo, & absente sufficienti

cienti consideratione ad deliberandum, statim consurgit necessariò in voluntate motus aliquis cogitationi intellectus proportionatus.

sideratione ad deliberandum, statim consurgit in voluntate necessitate quadam naturali motus aliquis cogitationi intellectus proportionatus. Nam si cogitatio est, v. g. de pœnis inferni, oritur timor; si verò est de diuinis beneficiis, resultat aliquis effectus amoris saltem imperfectus, & sic de cæteris. Quamuis enim isti motus non fiant sine intrinseco influxu gratuito, quia verò iam supponunt in intellectu priorem aliquam gratiam, cum qua habent cõnaturale quasi vinculum, ideo Deus consequenter concedit illum influxum in voluntate, illamque mouet modo accommodato ipsi naturæ.

8. Secunda ratio. Voluntas per motus gratiæ excitantis aliquo modo disponitur & trahitur ad perfectum consensum.

Accedit alia ratio quæ præcipua est, quia voluntas per hos imperfectos motus aliquo modo disponitur, & paulatim trahitur ad perfectum consensum, vel immediatè, vel mediante intellectu, quod in prima vocatione ad fidem ita potest applicari. nam prima gratia excitans intellectum per cogitationem alicujus virtutis credendæ imperfecta est, quia non statim repræsentat sufficienter omnes rationes credendi, & ideo necesse est vt voluntas afficiatur aliquo modo ad cogitationem illam, vel objectum eius, vt inde applicetur intellectus vel ad recogitandum, & expendendum ea, quæ audiuit, vel ad iterum audiendum, vel ad diligentiùs attendendum. Et hujusmodi videtur fuisse gratia data Lidiæ Purpurariæ, cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo Actor. 16. vt sumitur ex Prosper. lib. 1. de vocat. gentium cap. 23. alias 9. & contra Collator. cap. 3. & in epistol. ad Ruffinum; deinde verò crescente hoc modo cogitatione intellectus, crescit etiam ille indeliberatus voluntatis affectus, atque ita tandem eò peruenit, vt voluntas liberè, & efficaciter velit credere. Et hoc si quod Augustinus dixit, *Deum trahere hominem ad fidem ineffabili suauitate, ostendendo quod non apparebat, & faciendo vt suaue fiat quod non delectabat* Et sic etiam dixit Prosper libro 2. de vocat. gent. c. 16. Deum trahere hominem cor illuminando, & fidei affectionibus imbuendo, & cap. 14. contra Collator. Trahit (inquit) gestarum rerum cognitio, & diuinorum operum relaturæ cor audientis inflammant trahit contemplatio, trahit delectatio lectionis. Et quod de fide dictum est, ad dilectionem, & pœnitentiam, aliosque actus pietatis applicari potest.

Actor. 16.

Prosper.

Idem,

Declaratur & probatur vlteriùs, quia hic modus excitandi valde conformis est prouidentiæ, & necessarius in natura lapsa.

9. Estque hic modus excitandi, & trahendi animam valdè conformis sapienti prouidentiæ Dei, & valde necessarius homini, præsertim in natura lapsa. Primum patet, quia vtraque potentia intellectus, & voluntatis, est de se valde improportionata ad supernaturales actus, & ideo ad suauem prouidentiam pertinet paulatim illam subleuare, procedendo ab imperfecto ad perfectum; ergo sicut intellectus hoc modo dicitur à Deo præuia gratia excitante, ita etiam voluntas. Vnde in ipsa hominis iustificatione hoc ipsum ordinariè Deus obseruat, vt descripsit Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. vbi varios ponit actus ad vtramque potentiam, ex quibus aliqui sæpè possunt ad gratiam excitantem pertinere, vt diuino timore concuti, desiderium aliquod salutis concipere: & secundum patet, quia per originale peccatum non solam ignorantiam contraximus, sed multo magis infirmitatem & imbecillitatem bene operandi, vt rectè docet D. Thomas 2. 2. q. 109. art. 2. ad 3. & sumitur ex Augustino de nat. grat. cap. 63. & 1. Retract cap. 9. vt exponitur ab eodem D. Thoma 1. 2. q. 85. art. 3. ad 5. Ergo sicut intellectus indiget excitatione propter ignorantiam, ita debet excitari voluntas propter difficultatem bene operandi: quæ ratio in sequenti magis explicabitur.

Tertiam rationem addunt aliqui, quia voluntas priusquam aliquem motum gratiæ excitantis in se recipiat, nullum habet supernaturale principium ad eliciendum actum supernaturalem perfectum, seu deliberatum: ergo indiget excitante gratia, per quam tanquam per proximum principium possit elicere deliberatum consensum, si velit. Antecedens supponitur, quia ante excitantem gratiam non præcedunt habitus infusi, neque alia transiens qualitas, quæ illorum vicem suppleat, vt in præcedentibus capitibus ostensum est. Consequentia verò probatur, quia voluntas non potest operari sine aliquo principio proximo, neque excitatio solius intellectus illi potest ad hoc munus deseruire, quia est illi extrinseca, principium autem operationum intrinsecum esse oportet potentiæ operationem elicienti. 10. Tertia quandam ratio.

Hæc verò ratio vel nihil addit præcedentibus, vel efficax non est, neque subsistit, nam de duplici principio intelligi potest, scilicet morali, aut physico: si ergo solùm intelligatur de principio moraliter attrahente, inclinante, aut etiam adiuuante voluntatem; sic hæc ratio nihil addit præcedentibus, quin potius etiam pia cogitatio intellectus dicitur passim ab Augustino initium bonæ voluntatis, quia metaphoricè mouet illam, quæ est motio moralis, siue reducatur ad causalitatem finalem, siue ad efficientem moralem, vt est consilium, monitio, reprehensio, & similia. In hoc verò genere magis proprium, & propinquum principium voluntatis est motus alicuius delectationis, aut timoris, vel desiderij ejusdem voluntatis, his enim moribus magis disponitur ipsa potentia ad vlteriorem consensum, & ad applicandum intellectum ad meliùs considerandum, & practicè iudicandum, vt declarauimus, & ob hanc rationem diximus esse necessarios hos motus voluntatis, quod perinde est, ac dicere esse necessarios, vt principia moraliter inducentia voluntatem. Et hoc sanè modo explicat vbique Augustinus necessitatem, & causalitatem istorum motuum, vt in locis allegatis videre licet, & maximè in 2. lib. de peccator. merit. cap. 17. 11. Nihil addit præcedentibus si intelligatur de principio moraliter attrahente.

Si autem ratio illa intelligatur de principio physico, vt aliqui moderni illam intelligere videntur, mihi non videtur subsistere. Primo, quia gratia excitans per se, non ad hoc ponitur vt sit principium physicum efficiendi aliud, sed vt formaliter excitet & vigilare faciat potentiam, & ideo per se habet vt sit actus secundus & elicitus, non quod sit eliciens, seu producens, quod magis pertinet ad actum primum. Secundo, quia esse principium physicum consensus magis pertinet ad gratiam adjuuantem, vt infrà videbimus. Quod si quis dicat eandem gratiam excitantem fieri adjuuantem, quando concurrit cum potentia ad consensum, esto hoc verum sit in proprio genere moralis adjutorij, vt infrà videbimus, nihilominus de adjutorio physico (vt sic dicam) gratis hoc dicitur, quia hoc valde accidentarium est ad proprium munus, & necessitatem gratiæ excitantis. Tertiò hujus rei signum est, quia etiamsi supponatur impotentia supernaturale principium physicè sufficiens ad supernaturalem actum, adhuc est necessaria gratia excitans, vt capite sequenti dicemus. Et patet in puero baptizato ad vsum rationis perueniente nam licèt 12. Sit autem de principio physico quidam moderni voluntatis subsistere. Primò. Secundò. Tertiò.

licet habeat habitus infusos, excitandus est, vt possit actu credere, vel amare. Vnde fit etiam proportionem illam in dicta ratione assumptam, quòd excitatio non supponit habitus infusos, non esse in vniuersum veram, nam interdum potest ita esse, interdum non esse. Ex quo potiùs colligitur gratiam excitantem siue in voluntate, siue in intellectu, non requiri vt sit principium physicum alterius actus. An verò quasi concomitanter id habeat, saltem quando deest aliud physicum principium, controuerti potest. Id tamen commodiùs infrà tractabo, & ostendam excitantem gratiam hanc, physicam efficientiam per se non habere. Nunc solùm addo necessitatem illius principij, non rectè probari, ex eo quòd voluntas non potest dicere actum supernaturalem sine prævio principio physico supernaturali sibi inhærente, nam ipsummet actum gratiæ excitantis elicit sine tali principio; vt illimet Theologi non negant, & capite præcedenti à nobis ostensum est, vbi consequenter diximus, quòd idem contingere possit in primo actu supernaturali, & libero, quod iterum in dicto loco magis ex professo examinabitur.

13. Recentiorum placitum quatripartitum. Propositio secunda. Tertia.

Non omittam autem aduertere quosdam alios ex recentioribus Theologis sentire imprimis gratiam excitantem esse necessariam, vt voluntas habeat principium intrinsecum, quo possit efficere liberum actum supernaturalem; nihilominus negare principaliter hoc esse ipsos actus indeliberatos, quia vnus actus immanens non est principium formale effectiuum alterius. Et ideo dicunt tertiò, excitantem gratiam non consistere formaliter, & essentialiter in his actibus indeliberatis, sed in motione virtuali, & efficaci; per quam tanquam per principium formale Deus operatur in nobis tam indeliberatos actus, quam deliberatos supernaturales. Vnde quartò addunt huiusmodi actus indeliberatos non ex necessitate accedere perfectam conuersionem, etiamsi gratia excitans ordine naturæ necessariò illam antecedat.

Quarta.

14. Resolutio tenetur. Tertia prop.

Admittitur secunda.

Verumtamen tertiam istarum propositionum iam suprà impugnauimus, & ostendimus esse falsam præter communem Scholasticorum modum loquendi, & explicandi, gratiam excitantem solum videri inuentam ad introducendam illam motionem virtuosam, & efficacem; contra quam aliqua iam suprà diximus, & plura in hoc lib. 3. & infrà dicturi sumus. Hac igitur tertia propositione reiecta, & retenta secunda, quam veram censemus, prima non potest subsistere, quia nulla relinquitur gratia, quæ possit esse principium formale efficiendi actum deliberatum, iamque est à nobis ostensum, & iterum infrà probandum est, tale principium inhærens potentiæ non esse simpliciter necessarium ad eliciendum actum, sed tunc solùm quando potentia connaturali modo, seu ex habitu operatur.

15. Quarta improbatur.

Quartum verò dictũ horum Theologorum ego absolutè, & sine vlla limitatione affirmare non auderem, nec censeo esse admittendum. Nam concilia satis expressè docent: gratiam illam præuenientem, quæ tangit cor per illuminationem, & inspirationem, esse absolutè necessariam ante perfectam conuersionem peccatoris, vel ante voluntatẽ credendi; ita enim loquitur Concilium Arausicanum

Arausic.

Can. 4. 5. 6. & 7. Et Concilium Trident. cap. 5. &

Trident.

Can. 3. Et eodem modo Augustinus eundem iustificationis, & initij eius ordinem ponit. Vnde meritò Cardinalis Bellarminus lib. 6. de Grat. & liber. arbitr. cap. 15. ex professo probat, ex Conciliis, & Patribus sine gratia excitante, quam ipse in dictis actibus indeliberatis ponit, nullum modũ pietatis fieri posse, & tacitè reprehendit Vegam, qui lib. 6. in Trident. cap. 7. ausus est dicere, cum sola gratia

Bellarm.

adiuuante siue excitante posse interdũ iustificationem perfici, cùm tamen Vega per gratiam excitantem non intelligat, nisi prædictos motus, & eamdem sententiam nominato Vega reprobat Vasquez 1.2. disp. 85. c. 3. in fine & Valent. 2. tom. disp. 8. punct. 3. §. 1. in fine. Sed de hac opinione Vegæ iterũ capite sequenti dicam, nunc tantùm assero gratiam illam excitantem, qua Deus incipit cor mouere per actus non liberos, cõmuni & ordinaria lege esse simpliciter necessariam ad perfectos, & deliberatos actus supernaturales, quibus ad iustitiam disponimur efficiendos.

Vega.

Neque contra hanc resolutionem obstant coniecturæ quę in contrarium fiebant, quia de Concil. Trident. iam dictum est, quomodo sit intelligendum, nam inspiratio per tactum cordis explicatur; & eodem modo intelligendum est Concilium Arausicanum. Augustinus verò sub pia cogitatione intellexit, seu comprehendit bonum affectum voluntatis, qui vel cogitatione intellectus excitatur, vel vicissim illam promouet, vt explicatum est, & ad eumdem modum explicanda sunt alia loca Augustini, quamuis non semper vtrumq; modum declaret, non enim id semper necessarium est. Ex eodẽ modo intelligendi sunt alij Patres explicantes verbum *trahendi*. Nam licèt interdum illam tractionem explicent per verba pertinentia ad intellectũ, quia inde incipit tractio, nõ excludunt motus voluntatis sequentes cogitationem intellectus, & vim tractionis consummantes. Et hoc modo à Pelagio, qui in vtroque errauit, recedendum est.

16. Refelluntur coniecturæ in contrarium sup. n. 2.

Nihilominus tamen propter rationem dubitandi priùs propositam existimo necessitatem huius motionis per actum vitalem non liberum, non esse tam absolutam, & per se in voluntate, sicut in intellectu, ita docuit sine alia declaratione P. Vasquez tom. 2. disput. 38. cap. 1. in fine. Ratio autem est, quia non est tanta subordinatio, & causalitas per se inter actum indeliberatum, & deliberatum eiusdem voluntatis, quanta est inter actum non liberum intellectus, & liberum voluntatis. Nam hæc posterior prouenit ex intrinseca natura talium potentiarũ, & in genere causæ finalis, & quasi formalis ex parte obiecti, est quædam dependentia essentialis inter ipsos actus. Hæc autem non inuenitur in prioribus actibus eiusdem voluntatis, sed ibi necessitas oritur ex imperfecto modo, quo homo procedit in suis actibus ab imperfecto ad perfectum. Et fortasse hæc necessitas vel tota, vel maiori ex parte prouenit ex imperfectione præsentis status naturę lapsæ, vt in capite sequenti magis explicabo. Declaratur denique, quia de potentia absoluta, seu per miraculum, vel extraordinarium auxilium non apparet repugnantia, vt ita proponatur immediatè à Deo fides, & iudicium credulitatis eius in intellectu, vt possit voluntas statim moueri actu deliberato, ac perfecto ad volendum credere, quia neq; motus indeliberatus tunc apparet necessarius aliqua sufficienti ratione, neq; videtur habere locum, cum tam perfecta aduertentia intellectus, nec denique sit tarda molimina Spiritus sancti gratia, vt vel non possit ita subitò illuminare perfectè intellectum, vel statim etiam voluntatem ad deliberatè volendum adiuuare. Quia verò hic modus deliberandi, & iudicandi multum superat connaturalẽ modum operandi hominis, præsertim in natura lapsa, ideo in hoc statu communi lege accenditur voluntas, & mouetur per actus indeliberatos, priusquam perfectè cõsentiat.

17. *Assertio 3. Quæ facit rationi dubitandi sup. n. 1. P. Vasquez.*

Necessitas gratiæ excitantis in voluntate potissimum prouenit ex imperfectione status naturæ lapsæ.

At verò vt aliqua gratia excitans in intellectu non procedat ante primum motum deliberatũ voluntatis, nec per miraculũ fieri posse videtur, quia, vt suppono, fieri no potest, vt voluntas in incognitũ feratur. Scio P. Molinam in concordia absolutè

P. Molinæ mens elucidatur.

dixisse, de potentia absoluta posse in nobis fieri per gratiam actus supernaturales, & perfectos sine his præuiis motibus excitantis gratiæ. Sed ille procedit in eo fundamento, quòd gratia excitans nunc solùm requiritur vt principium per se efficiens illorum actuum, & ideo consequenter ait, Deum posse per se supplere illam efficientiã sine principio creato. Nos autẽ nõ credimus esse illud munus gratiæ excitãtis, ideóq; non solùm credimus posse Deũ illam efficientiam supplere, sed etiam de facto ita facere, quoties voluntas, non ex habitu, sed disponendo se ad recipiendum habitũ operatur. Et ideo necessitatem gratię excitantis ex proprio eius munere aliter sumimus, vt declaratum est, & hanc necessitatem ex parte intellectus tantam esse inuenimus, vt per solam efficientiam Dei in voluntate suppleri non possit, quia illa necessitas non fundatur tantùm in efficientia, sed in causalitate aliquo modo formali, seu obiectiua. Ideoque rectè dixit Augustinus de prædest. Sanct. c. 2. neminem posse credere nisi prius cogitet esse credendum, illa autem cogitatio est excitatio: de motibus autem voluntatis facilè illam sententiam admittimus, vt iam dixi.

Augustinus.

Vltimò addendum est gratiam hanc excitantem non solùm esse posse in intellectu, & voluntate, sed etiam in parte sentiente, vel quantum ad phantasiã, seu cogitatiuam, vel quantum ad appetitũ: nam vtriusq; potentiæ dispositio multum confert ad motionem superiorum potentiarum, quia intellectus pendet ex phantasia, & ideo phantasmata conuenientium obiectorũ, & bona coordinatio illorum, maximè conducit ad intellectus illuminationem. Similiter voluntas per quandã concomitantiã afficitur iuxta affectus appetitus, vt sunt timor, complacentia, spes, & similes, qui omnes maximè subsunt Spir. sancti motioni: nam altero modo potest illos excitare, quàm sensibilia obiecta sufficiant, & ita pertinent hæc ad gratiam excitantem. quæ doctrina est conformis Augustino, in citatis locis, præsertim de Spirit. & liter. & ad Simplicianũ; solũ aduerto hos motus appetitus, vel phãtasiæ interdũ redundare ex actibus deliberatis voluntatis, & intellectus, & tunc magis pertinere ad gratiam adiuuantẽ & subsequentem quàm ad excitantem, quia iam sunt à nobis aliquo modo liberè operantibus saltẽ per quandã dimanationẽ, seu concomitantiã; aliquando vero se habẽt hi motus antecedenter ad omnẽ consensum liberum, tunc propriè pertinent ad gratiam excitantẽ, quamuis remotè, & imperfectè. Suntq; valde vtiles, & moraliter necessarij spectata humanæ naturæ conditione; simpliciter verò non sunt ita necessarij, sicut intellectus, aut voluntatis excitationes, quia non afficiunt ipsasmet potentias à quibus supernaturales actus perfecti eliciuntur, neq; proximè illas disponunt, ac præparant, & alioquin potest Spiritus sanctus immediatè operari intellectu, & voluntate per illas potẽtias inferiores excitando potiùs, quàm è conuerso. Deniq; ad hoc genus reducuntur externæ occasiones bonę, & motiones externorum obiectorum, vt sunt prędicatio Euangelij, iuxta illud 2. Petr 13. *vestram excito commonitione sinceram mentem*, exempla Sanctorum, & similia, quæ licèt ab Augustino disputante contra Pelagium sub lege, & doctrina, magis quàm sub gratia soleant comprehendi, nihilominus generatim dicta continentur, vt in principio huius materiæ dixi. Et aliquo modo iuuant, quamuis per se non sufficiant, iuuant autem vt instrumenta, quibus Deus vtitur ad homines interius excitãdos, & ideo ad gratiam excitantem reuocantur, vt ex Augustini sententia sæpe in superioribus dixi, præsertim lib. de Spiritu & liter. cap. 33. lib. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 22. & q. 2. ad Simplicianum.

1p. Assertio 4. Excitãs gratia esse potest etiam in parte sentiente.

Augustinus.

2. Petr. 3. 1.

Augustinus.

CAPVT VIII.

Vtrùm gratia excitans sit necessaria solùm ante fidem, & alios habitus infusos, vel etiam post illos.

HÆc quæstio necessaria visa est, tum ad magis explicandum munus, & necessitatem gratiæ excitantis, tum etiam, quia est vnum ex punctis hoc tempore controuersis occasione eorum, quæ Molina in sua concordia docuit. Supponimus autem ex dictis in capite præcedenti, absolutè loquendo, neminem posse ad Deum conuerti, nisi præuia excitante gratia. Id enim apertis verbis definit Concilium Tridentinum sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit sine excitante, & adiuuante gratia*, &c. & Augustinus lib. octoginta trium quæstionum, q. 68. dixit, neminem posse venire ad Deum nisi admonitum, & vocatum, & lib. 2. de peccat. merit. cap. 18. ait ideo scriptum esse Deum operari velle in nobis, quia sine ipso excitante, & vocante nihil possumus. Quæ sententiæ, & definitiones non possunt explicari regulariter, velut in plurimum, tum quia est nõ contra vim Conciliorum, & Patrum, qui contra Pelagium absolutam gratiæ necessitatem ponunt in gratia excitante, & in adiuuante; non obstante autem hac necessitate in explicatione, & applicatione illius ad diuersos casus opinionum diuersitatem inuenio ad quos explicandos varios status hominis in ordine ad Dei excitationem, & vocationem distinguo.

1. Absolutè quemlibet posse conuerti Deum præuia gratia excitante. Trident. Arausic.

Primus est eorum, qui nunquam exteriùs, vel interiùs vocati sunt, & de his nulla est in præsenti quæstio: nam illi indigent maximè diuina excitatione, & hoc nimirum docent Concilia: quomodo autem possint hi homines hanc vocationem obtinere libro sequenti videbimus. Secundus status est hominis semel ad fidem sufficienter vocati, qui vocationi restitit, & credere noluit, retinetta-men vocationis memoriam: nam si penitus fuisset illius oblitus, perinde reputaretur, ac si nunquam illam habuisset. In tertio statu ponimus hominem non solùm vocatum ad fidem, sed etiam iam credentem, ac proinde habentem habitum fidei infusum, vel etiam habitum spei nam quoad hoc vtriusque est eadem ratio. Et in hoc statu potest moueri quæstio de necessitate excitationis, vel ad eliciendos actus fidei, & spei, vel ad eliciendum actum contritionis, & se disponendum ad iustificationem. Quartus denique status esse potest hominis iam iustificati.

1. Status quæstionis.

Prima ergo opinio esse potest, gratiam excitantem in solo primo actu esse simpliciter necessariam, in reliquis verò esse posse vtilem, non tamen necessariam, saltem ad conuersionem. Ita sentit Vega lib. 6. in Trident. c. 7. vt in vltimis verbis apertè declarat, dicens. *Neque nos solam adiuuantem gratiam posse sufficere concedimus in aliis, quàm in fidelibus, sufficere concedimus in aliis, quàm in fidelibus, vel in eo, qui iam aliquando beneficio gratiæ excitantis ad fidem, aut conuersionem suam exstimulati sunt, nouo stimulo non indigent.* Et ideo cùm Concilium dicit, peccatores excitante, vel adiuuante Dei gratia conuerti c. 5. & vtramque esse necessariam can. 3. Vega exponit, ideo dictum esse, quia est communis & trita via conuersionis, & pœnitentiæ peccatorum, & in illis qui non essent vel fide iam illum nati, vel certè iam aliqua excitante gratia præuenti, vt raq; gratia est necessaria. Omissis autem, quæ pertinent ad duos vltimos status, quæ aliis sententijs communia sunt, quoad secundum statum potest fundari

1. Opinio Vegæ.

fundari hæc sententia, quia si præcessit aliqua excitatio, per illam satis factum est necessitati gratiæ, ex hac parte, nam Concil. Trident. solum requirit præuiam vocationem, vel excitationem, quę in dicto homine, de quo loquimur, iam præcessit: manet autem illa excitatio iam præcedens virtute, & veluti semen cordi immissum; ergo illud sufficit, vt per adiuuantem gratiam postea fructificari possit.

4. Opinio 2. bipartita.

Secunda sententia est, peccatorem fidelem habentem habitum fidei infusæ mortuæ, non indigere noua gratia excitante ad subsequentia pietatis opera sigillatim sumpta, per se loquendo, & exclusis extrinsecis difficultatibus ex tentationibus, vel aliunde ortis. Quæ sententia duas habet partes, vna est de actibus elicitis ab habitu fidei, idémque erit de actu spei, si peccator infusum habitum spei habeat. & hæc pars coincidit cum tertia sententia statim referenda, quæ loquitur de hominibus iustis. Altera pars est de actibus charitatis, aut pœnitentiæ, vel aliarum virtutum infusarum, quarum habitus peccator non habet. Et quoad hanc partem insinuat hanc sententiam Rossens. art 36. contra Luther. quatenus dicit peccatorem non prorsus derelictum à Deo se ipsum per fidem excitare ad contritionem, seu dispositionem ad iustitiam sine noua gratia. Et idem sentiunt Ruardus, & Cumel infrà citandi clariùs tenet hanc opinionem Vega loco suprà citato. Videtur tamen requirere, vt aliqua excitatio ad pœnitentiam in peccatore præcesserit, in virtute cuius possit postea moueri. Hæc autem limitatio habet eandem rationem & difficultatem, quam præcedens opinio, & ideo pro nunc omittenda est. Fundamentum itaque huius sententiæ est, quia qui habet fidem, potest per illam operari sine noua excitatione: per actum tamen fidei potest sufficienter excitari ad pœnitentiam, vel aliam virtutem; ergo etiam ad opera aliarum virtutum non indiget noua gratia excitante, quam Deus in ipso peccatore, sine, ipso operetur, & confirmatur; quia iustus per fidem potest seipsum excitare ad amorem: ergo & peccator. Probatur consequentia, quia licèt peccator non habeat actum charitatis, habet nihilominus paratũ auxilium adiuuans sufficiens ad amorem eliciendum; ergo quòd illa gratia adiuuans sit per habitum, vel per aliud auxilium adiuuans Dei, nihil refert ad excitationem fidei, quia solus habitus licèt det facultatem intrinsecã operandi, parum immutat dispositionem hominis, vt facilius, vel difficilius possit per fidem excitari. Eo vel maximè, quòd potest interdum peccator sua fide efficacius vti ad se excitandum, quàm iustus. Denique hoc videtur significare Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. vbi post primam excitationem ad fidem, per hanc dicit moueri liberum arbitrium in Deum, & deinceps per vnum actum liberum alium excitari.

Rossens. Ruar. Cumel. Trident.

5. Opinio 3. Caietan.

Tertia sententia est, iustum posse sine excitante gratia speciali elicere opera pietatis, seu actus earundem virtutum infusarum. Ita tenet apertè Caietanus 1. 2. q. 109. art 9. vbi ita etiam exponit D. Thomam dicentem hominem habentem habitum gratiæ, indigere auxilio actuali, ad opera gratiæ per se quidem, & in ordine ad singula opera ratione generali, videlicet, *quia nulla res creata potest in quemcunque actum prodire, nisi virtute motionis diuinæ*, vtique generalis concursus: quem non excludit ibi Caietanus cum dixit, *quòd homo ex sola gratia potest ipsa gratia vti bonâ faciendo, & mala vitando nunc, & ad hoc*; ergo particula illa *sola* excludit excitantem gratiam, nam actualis concursus ad adiuuantem pertinet, vt infrà dicam. Eandem sententiam tenet Soto lib. 3. de natur. & grat. cap. 4. art. 2. vbi tantùm sub probabilitate dicit, iustum præter gratiam gratum facientem non indigere alio speciali auxilio Dei mouentis ad singula opera præceptorum, vel meritoria. In eadem sententia est Ruardus art 7. §. ex propositionibus, vbi generaliter de fidelibus loquitur, & affirmat posse actu credere ea, quæ sunt fidei cum sola cooperatione Dei vniuersali in ordine gratiæ, & addit similiter posse operari opera salutis; in quo videtur ad secundam sententiam accedere, nisi intelligatur de proportione cum fideli iustificato; & ita etiam docuit hanc sententiam Bellarm. lib. 6. de grat. & liber. arbitr. cap. 15. propos. vltima. Tenet etiam Cumel. 1. 2. q. 111. art. 3. disp. 1. dub. 3. Appendice §. *restat dicere*, vbi etiam loquitur de peccatore habente fidem respectu actuum fidei, tamen statim consequenter dicit idem de iusto, & allegat Lunerum in tract. de grat. Christi, cap. 11. & 12. citari etiam potest Pauia lib. 3. orthodoxar. explicat. quatenus ait iustum à fide excitari ad bene operandum. Item Camerarius lib. 1. de liber. arbitr. cap. 10. quatenus dicit per habitum infusum fidei mortuæ posse peccatorem assentiri veritati reuelatæ sine noua motu gratiæ excitantis. Eandem sententiam tenet Molina in concord. disp. 8.

Ruard. *Bellarm.* *Cumel.* *Pauia.* *Molina.*

Fundari potest hæc sententia primò in verbis Concilij Arausicani, cap. 25. vbi sic habet, *hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, quod ad salutem pertinet, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*; vbi videtur non requirere in iustis, nisi auxilium cooperantis gratiæ; & paulo inferiùs, hoc magis declarans ait. *Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & postea per misericordiam Dei adiuuamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus meritis fidem, & amorem sui prius inspirat, vt & Baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post Baptismum cum ipsius adiutorio, quæ sibi sunt placita implere possimus.* vbi ante Baptismum, id est, ante iustificationem fidei & boni operis initium per diuinam inspirationem, post iustificationem verò, solum Dei auxilium requirit. Vnde etiam iudicat opera pietatis, quæ post iustificationem sunt, eatenus non incipere à nobis, quatenus sine gratia fieri à nobis non possunt, quæ gratia per inspirationem à nobis incepit. Ratione probatur eadem sententia, quia duo nomina, propter quæ potest gratia excitans requiri, per habitum infusum sufficienter implentur. Nam si gratia excitans ponitur, vt sit principium physicum actus, vt Molina vult, multo magis hoc præstat habitus; si verò gratia excitans est necessaria ad inclinandum animum, id etiam sufficienter supplet habitus infusus, qui est veluti fons aquæ viuæ salutis in vitam æternam, vt dixit idem Molina in Appendice ad concordiam in responsione ad obiectionem tertiam §. *illud obiter*. vbi consequenter dicit habitus quatenus arbitrium nostrum alliciunt, & inclinant ad supernaturales actus eliciendos præuenientis gratiæ rationem habere. Idemque sentit Bellarm. supra sic argumentando. Si potest homo nondum iustificatus ex semine bonæ inspirationis, producere bonum conuersionis, quanto magis ex semine gratiæ gratiam facientis poterit fructum iustitiæ efficere. Secundò potest suaderi hæc opinio naturali ratione, quæ maximè videtur dictos auctores mouisse: nam potentia naturalis cum solo concursu Dei potest suum actum elicere; ergo & potentia supernaturalis, qualis est habitus infusus, poterit cum solo concursu generali gratiæ suum actum elicere. Dices necessarium esse præuiam obiecti propositionem; sed contrà, quia re-

6. Fundari potest in Arausicano.

Ratione tuadetur primo.

Molina.

Bellarm.

Secundò.

ſpectu fidei iam infuſæ hæc propoſitio ſufficienter fit per media externa, & naturali modo, quoad apprehenſionem obiecti: fides autem poteſt reliquis virtutibus obiecta proponere.

7. Opinio 4. Vaſq.

Quarta opinio eſſe poteſt ad omnem actum ſupernaturalem etiam in iuſtis neceſſariam eſſe excitationem præuiam, quam aliqui moderni videntur defendere, præſertim Vaſquez diſp. 185. cap. 6. vſque ad 9. & diſp. 193. cap. 1. & 2. nititur in illo principio, quòd non ſit opus bonum ſine cogitatione congrua proportionata, quæ cognitio ſemper habet rationem gratiæ excitantis, ideóque non ſolùm de actibus ſupernaturalibus, ſed etiam de naturalibus idem ſentit: nos autem de ſolis operibus pietatis loquimur, nam de cæteris in lib. 2. ſatis dictum eſt. Quid ego de his ſententiis ſentiam, diſcurrendo per dictos tres ſtatus hominis breuiter explicabo.

Aſſertio prima circa primum punctum difficultatis.

8. In eo qui nunquam credidit præter primam excitationem neceſſaria eſt inſpiratio.

Dico ergo primò, in eo, qui nunquam credidit, præcedens excitatio, vel vocatio non ſufficit vt credere incipiat, ſed noua inſpiratio neceſſaria eſt. Probatur, quia Concilia ad conuerſionem ad fidem, quando primò fit, ſeu (quod idem eſt) ad primam voluntatem credendi requirunt inſpirationem, quæ det homini poteſtatem ad talem conuerſionem, ſeu voluntatem habendam, & ſit aliquo modo principium eius. Inſpiratio autem præterita, cum iam non ſit, non poteſt dare in præſenti poteſtatem, nec adiuuare ad conuerſionem, quæ nunc ſit, vt per ſe eſt euidens, ſiue talis excitatio ſit principium morale ſiue phyſicum illius actus, qui in præſenti fit. Quòd ſi dicatur excitatio præterita in præſenti eſſe aliquo modo, interrogo, an ſit actu, vel virtute: ſi primum dicatur, neceſſarium eſt, vt ſit eadem quæ prius incepit, & vſque nunc durat, & tunc erimus extra caſum diſputationis, quia nunc conuerſio non fit ſine præuia inſpiratione actuali, quia licèt prius tempore inceperit, quod ferè ſemper contingit, adhuc durat: vel ſi prior abiit, & nunc altera exiſtit, illud ipſum eſt, quod in aſſertione intendimus, nam hæc ſecunda excitatio non poteſt eſſe à nobis, ſed eſſe debet ab eodem auctore à quo fuit prima, alioqui non eſſet per infuſionem, vel inſpirationem Spiritus ſancti, vt Concilia loquuntur.

9. Prior excitatio non manet in virtute.

Si verò altera pars eligatur, nimirum, priorem excitantem manere in virtute, vel quaſi in ſemine, quod videtur Vega intendere, contra hoc argumentor in hunc modum. Quia virtus illa non eſt niſi aliquid per modum actus primi, imò non poteſt eſſe aliud niſi ſpecies aliqua præcedentis excitationis, quæ in memoria maneat; quid enim aliud cogitari, aut ſignificari poteſt? Vnde ſi homo eſſet omnino oblitus præcedentis excitationis, ita vt nullo modo poſſet illius recordari, non magis poteſt præterita excitatio ad præſentem conuerſionem deſeruire, quàm ſi nunquam fuiſſet, ergo poteſt dici manere in virtute, quia in memoria manet. Illa autem memoria vt eſt tantùm in habitu, non excitat mentem formaliter, nam in homine dormiente eſſe poteſt, ergo per ſe, ſeu formaliter, & immediatè non iuuat ad conuerſionem per modum gratiæ excitantis; ergo, vt iuuet, oportet, vt illa ſpecies, quæ ex præterita excitatione in memoria manſit, ad operandum excitetur: hoc autem non fit ſufficienter ſine noua inſpiratione ab Spiritu ſancto immiſſa, ergo ſemper hæc eſt neceſſaria, non obſtante præcedenti excitatione. Totus diſcurſus eſt euidens, quoad omnes partes ſi ſolùmque antecedens vltimæ conſequentiæ declaratione, & oſtenſione indiget.

10. Species relicta in memoria excitatæ ſufficiens ad nouam inſpiratio.

Probatur autem in hunc modum, quia in primis ſicut intellectus nudus non excitatur primò ad operandum ab ipſomet intellectu, vel à voluntate, ita etiam licèt includat intellectum iam conſtitutum in actu primo per ſpeciem, non poteſt à ſe, vel à voluntate primò, vel directè applicari ad actualem conſiderationem, ſed oportet, vt ab aliqua cauſa extrinſeca, vel obiecto excitetur, vt eſt in Philoſophia notum, quia neque memoria eſt potentia libera, quæ ſe applicet ad opus, neque voluntas poteſt aliquid in memoria retentum, niſi eius conſideratio præexiſtat; ergo etiam in præſenti memoria præteritæ excitationis, non poteſt per ſeipſam, vel per voluntatem primùm excitari; oportet ergo vt ab aliqua cauſa extrinſeca, vel obiecto excitetur; ergo ab Spiritu ſancto excitari debet. Probatur hæc vltima conſequentia, quia in hac excitatione duo poſſunt conſiderari. Primum eſt externum obiectum, quod occurrit ſenſibus. Aliud eſt id quod interiùs fit per conſiderationem actualem, præteritæ excitationis, vel obiecti eius. Vtrumque autem horum, ſi ad ſalutem conferat, eſt à gratia Spiritus ſancti exteriùs, vel interiùs excitante. De priori patet, quia licèt illa exterior excitatio fieri poſſet per naturalem efficientiam obiectorum ſenſibilium, tamen quòd occaſio talis excitationis occurrat, & quòd cauſæ ad illam ſufficientes conueniant, non fit abſque nutu, & ſingulari prouidentia Dei ordinata ad ſpiritualem ſalutem eius, qui ſic excitetur, & ideo illamet externa excitatio inter beneficia gratiæ interiora computatur, iuxta doctrinam Auguſtini in multis locis ſuprà allegatis, præſertim lib. de prædeſtinat. Sanctor. cap. 8 & de bono perſeuer. nt. cap. 14. & dicto cap. 33. de ſpirit. & liter. & d. q. 1. ad Simplician. & homil. 23. & 50. de quo etiam in lib. 2. & 3. multa dicta ſunt, & in ſequentibus ſæpe inculcabitur.

In hac vltima conſequentia duo conſiderantur. 1. Externum obiectum. Aug.

Quod verò attinet ab alteram partem de interiori excitatione, probatur, quia ſi memoria interiùs excitata ab illo obiecto ſolum prodeat in aliquam recordationem, vel conſiderationem merè naturalem excitationis præteritæ, vel obiectorum eius, illa non ſufficiet ad excitandum hominem ad ſupernaturalem conuerſionem ad fidem, vel pœnitentiam; ergo neceſſe eſt, vt peculiaris actio Spiritus ſancti ibi intercedat, & vtatur illo medio exteriori, & ſpecie interiori tanquam inſtrumento, ad illuminandum intellectum hominis, & commouendum voluntatem eius altiori modo, quàm ex vi naturæ fieri poſſit per illa media. Vtrumque declaratur, quia in prima excitatione ad fidem, vt ſit verum auxilium gratiæ ſufficiens, non ſatis eſt prædicatio exterior ſufficientiſsimè propoſita, cum tota naturali ſuaſione, quæ ex vi exterioris prædicationis interiùs fieri poteſt naturaliter, ſed neceſſarium eſt, vt Spiritus ſancti actio ad vtendum altiori modo illis inſtrumentis, internè, & occultè interueniat, alioquin illa non eſſet ſufficiens excitatio, & vocatio, vt in lib. ſequenti oſtendendum eſt, & gradit Auguſtinus toto libro de gratia Chriſti, & præ- deſt. Sanctor. cap. 8. & Proſper contra collator. cap. 28, & Gregor. lib. 11. Moral. cap. 5. ergo à fortiori ſola naturalis memoria, vel conſideratio prioris excitationis cauſata ab obiecto exteriori, multo minus poteſt habere vim ſufficientis excitationis, ſine altera doctrina, & motione interna Spiritus ſancti; patet conſequentia, quia ſpecies relicta in memoria ex præterita excitatione fuit merè

Aug. Proſp. Greg.

Declaratur amplius.

Alterum excitationis pars ſpecies interna.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

merè naturalis, & acquisita, & non potest maiorem habere efficaciam, quàm species impressæ in ipsa actuali excitatione, seu externa fidei propositione, ergo quamuis prior excitatio præcesserit in homine infideli, noua excitatio necessaria est, vt conuertatur. Solúmque potest assignari differentia inter hominem prius excitatum, & alium nunquam vocatum, quod ille prior si facile recordari possit illorum, quæ antea viderat, vel audierat, faciliùs poterit nunc instrui, vel excitari, quia præteria in memoriam reuocata aliquid iuuare possunt, ad enm modum, quo melius ingenium potest aliqno modo deseruire ad facilius apprehendendam fidem si proponatur: semper tamen interior excitatio noua necessaria est, & confirmatur, quia in isto homine, de quo loquimur: voluntas nunquam fuit inducta ad consentiendum per voluntatem credendi; ergo nunc indiget excitatione in ipsamet recepta; quæ eleuetur ad illam voluntatem eliciendam, nam si quæ foras excitatio præcessit, illa iam non est, nec aliquid in voluntate reliquit, sed ad summum aliquam sui memoriam in intellectu, sicut mansit in discipulis, qui dicebant. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via?* Hæc autem memoria non sufficit pro voluntate, nam oportet in se afficiatur, & paulatim subleuetur, vt suprà explicaui. Ergo noua excitatio in voluntate necessaria est. Vnde quia voluntas non excitatur nisi præuio intellectu, vt illa excitatio voluntatis sit sufficiens, oportet, vt ex proportionata cogitatione intellectus præcedat; ergo in ipso intellectu etiam præcedere debet noua excitatio, etiamsi ad illam possit præcedens aliquid iuuare, modo iam dicto.

Confirmatur.

Luc. 24. 33.

Assertio secunda circa secundum punctum difficultatis.

12. Peccator fidelis vt conuerti possit egere gratia excitante. *Bellarm. in. Tolentia. Driedo.*

Secundò dicendum est peccatorem, etiamsi habeat fidei habitum, indigere aliqua gratia excitante vt ad iustificationem disponi, & in Deum conuerti possit, hæc assertio communior est, tenet illam Bellarminus dicto cap. 15. & ad 3. contra 4. concluſ. & Valent. disp. 8. q. 3. punct. 3. §. 1. propoſit. 8. Driedo de capt. & redempt. gener. humani tractatu 5. cap. 2. p. 2. in ſolutione tertiæ quæſtionis, & Vega in hoc conſenſit, quodque loquitur de conuerſione ad fidem, vel pœnitentiam, & idem ſentiunt communiter alij moderni, & habet magnum fundamentum in Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 14. vbi loquitur de fidelibus, lapſis, dicit rurſus iuſtificari poſſe *cum excitante Deo*, &c. vbi apertè iudicat etiam illius iuſtificationis initium à noua excitante gratia ſumendum eſſe. Idem ſumi poteſt ex ead. ſeſſ. can. 3. vbi definit neminem poſſe credere, ſperare, amare, vel pœnitere ſicut oportet, ſine prævéniente Spiritus ſancti inſpiratione: quæ definitio non ſolum in totam collationem illorum actuũ, ſed etiam in ſingulos actus cadit; ergo licèt quis iam credat etiã ad pœnitentiam agendam, ſicut oportet, indiget Spiritus ſancti inſpiratione, quæ eſt gratia excitans. Idem ſumi poteſt ex eodem Concilio ſeſſ. 14. cap. 4. vbi non ſolùm de contritione perfecta, ſed etiam de imperfecta, quæ attritio dicitur, docet donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non quidem adhuc inhabitantis, ſed tantùm mouentis; ergo multo magis ad perfectam contritionem neceſſarius eſt Spiritus ſancti impulſus, qui eſt gratia excitans. Denique plura teſtimonia quæ ad ſequentem aſſertionem confirmandam afferemus, hanc à fortiori conueniunt.

Fundatur in Trident.

Ratione probatur assertio, quia vel gratia excitans requiritur tanquam principium physicum illius actus deliberati ad quem excitat, vel propter peculiare munus excitandi potentiam: vtroque autem titulo est necessaria peculiaris excitatio ad contritionem in peccatore credente, etiamsi fidei habitum habeat; ergo. Probatur minor quoad priorem partem, quia etiam ille peccator caret habitibus infusis charitatis, & pœnitentiæ, ac proinde caret connaturali principio intrinseco talium actuum; ergo ex hoc capite etiam indiget gratia excitante, si munus illius est huius principij rationem subire, & vicem habitus supplere: neque enim habitus fidei, vel actus eius potest esse principium formale, quo voluntas elicit contritionem, vt per se notum est. Quoad alteram verò partem probatur minor, quia licèt peccator habeat habitum fidei, ille solus non potest supplere munus vitalis excitationis voluntatis. Primò, quia non afficit illam neque formaliter inclinat, ergo vt illam excitet, oportet, vt noua formalis motio fiat in voluntate; ergò hæc erit noua inspiratio, quamuis ex actu fidei resultare possit, quod non negamus: dicimus autem necessarium esse vt præcedat, & præparet voluntatem ante perfectam conuersionem, deinde vt intellectus per fidem voluntatem excitet, necesse est prius ipse excitari, nam solus fidei habitus ad hoc non sufficit, quia si homo sit tantùm in actu primo, & quasi dormiens in vsu talis habitus, non potest incipere illo vti, nisi diuinitus excitetur, propter rationem in præcedenti assertione factam, quæ eodem modo hic locum habet, quia habitus non magis excitat potentiam, quàm species præcedentis excitationis in memoria relicta, quia habitus solùm deseruit ad constituendum potentiam in primo actu, & ad cooperandum illi per modum gratiæ adiuuantis, quando elicit actum, non verò ad excitandum formaliter, & vitaliter potentiam, tota enim inchoatio habitus est dormientis, vt sic dicam, non vigilantis, qualis in motibus gratiæ requiritur, & ideo nunquam potest excitatio ab ipso habitu initium sumere, sicut potentia ipsa naturalis intellectus, vel memoriæ est naturaliter propensa ad suum actum, tamen non potest illum inchoare; nisi aliunde excitetur, vel applicetur. Idem ergo est cum propositione de ipso actu fidei, seu de homine illum habente.

13. Ratione stabilitur.

1. Pars minoris.

1. Pars minoris.

Tota inclinatio habitus dormientis potius est quàm vigilantis; idcirco non sufficit in motibus gratiæ.

Obiici verò potest, quia in eo, qui iam credit, excitatio ipsius fidei sine noua excitatione voluntatis ad credendum fieri potest per solam nouam apprehensionem, & memoriam obiecti fidei quia potest naturaliter fieri occurrente obiecto externo sufficiente ad excitandas species, & memoriam mysteriorum fidei; ergo hæc sola excitatio quasi externa sufficit, vt homo postea per actum fidei possit seipsum excitare cum sola gratia adiuuante ad contritionem habendam. Et confirmatur: nam licèt homo indigeat tunc aliqua inspiratione, si illam facit, vel impetrat ex vi fidei, iam illa non erit gratia excitans, quam Deus in nobis sine nobis operatur.

14. Obiectio.

Confirmatio.

Respondeo ad priorem partem, assensum fidei dupliciter posse considerari. Primò quasi speculatiuè tantùm, vt est assensus cuiusdam veritatis. Secundò practicè, vt suadet voluntati conuersionem, est enim fides eminenter practica, & speculatiua, vt suppono. Priori modo probabile est peccatorem assuetum ad credendum, posse cum externa propositione obiectorum fidei excitari sufficienter ad exercendum actum fidei, quia obiectum illud statim offertur, vt credibile, & intellectus iam est sufficienter constitutus in actu primo ad eliciendum secundum cum commun concursu, seu

15. Respons. Assensus fidei considerari potest speculatiuè.

auxilio gratiæ cooperantis, præsertim, quia vt suprà lib. 2. dixi, probabile est ad illud exercitium fidei non semper esse necessariam voluntatem supernaturalem, siue qua ille actus fidei non est practicè, & moraliter (vt sic dicam) supernaturalis, sed speculatiuè tantùm, & intellectualiter, ad quod sufficit intellectuale lumen infusum habens communem concursum gratiæ paratum, & obiectum sufficienter propositum, & applicatum ad operandum per quamcunque voluntatem, de quo in tertio puncto plura dicam. At verò practicè non potest actus fidei, præsertim mortuæ, sufficienter applicari ad excitandam voluntatem ad veram conuersionem, ed pœnitentiam agendam, nisi diuina gratia excitans circa vsum eiusdem fidei intercedat. Tum applicando fidem ad iudicium practicum, & illuminando intellectum, ad commouendam voluntatem; tum ex parte voluntatis, quæ per se impotens est ad talem conuersionem, & per peccatum priuata est spiritualibus donis, & per conuersionem ad creaturas est debilior facta. Et ideo licèt verum sit actum fidei mortuæ aliquid posse iuuare, eo quod etiam actus ille sit ex gratia, nihilominus etiam diuina inspiratio necessaria est.

& practicè

Ad alteram partem respondeo in primis non esse contra rationem gratiæ excitantis, quod possit cadere sub aliquod meritum, quando non est prima gratia excitans, sed aliam supponit. Cum enim gratia excitans dicitur fieri in nobis sine nobis, solum excluditur nostra cooperatio libera in ipsomet actu gratiæ excitantis, iuxta superius dicta, non tamen excluditur omnis prior causa moralis ex parte hominis cum priori gratia operantis, & alteram excitationem impetrantis, tanquam gratiam pro gratia. Hoc enim non est contra communem rationem gratiæ, imò pertinet ad eius virtutem, & perfectionem, vt in libro sequenti cap. 12. latius dicam. Neque etiam est contra peculiarem rationem gratiæ excitantis, quia licèt præcedat aliqua hominis consideratio, vel meritum, vel impetratio: nihilominus id quod datur, potest esse sola gratia præueniens, & Spiritus sancti impulsus, qui nec ad libertatem hominis proximè pendeat, neque per se primo in eius potestate existat. Sic ergo in præsenti fieri potest, vt inspiratio proximè voluntatem excitans, & adiuuans ad pœnitentiam, licèt in se vera gratia sit, non detur nisi consideranti, vel appetenti ex fide. Tunc autem necessarium erit, vt præcedat inspiratio, quæ fidem ipsam excitet, & applicet practicè ad sic petendum, quæ tunc erit prima in illo ordine, ac proinde omnino gratuita, & cum illa saltem mediatè detur propter pœnitentiam, etiam ratione illius verum erit peccatorem fidelem non conuerti ad pœnitentiam sine excitatione gratiæ gratuita, omnino, ac præueniente.

26. Ad confirmat. suprà n. 4. Non est contra rationem gratiæ excitantis vt sit quod sub aliquod meritum cadat

Assertio tertia circa tertium punctum difficultatis.

17. Iustus ad opera pietatis eget gratia excitante ad duos præsertim effectus. 1. Est ad diu perseverandum. *Trident.* 2. Ad vincendam grauem tentationem.

Tertiò dicendum est hominem iustificatum indigere, etiam in suis operibus pietatis gratia excitante; hæc assertio quoad aliquid videtur certa; quoad aliquid verò solùm probabilior, iuxta varios effectus, ad quos talis gratia in homine iustò desiderari potest. Vnus est perseuerantia in gratia vsque ad mortem, vel longo tempore; ad hanc enim non sufficiunt habitus, nisi diuina protectio intercedat, vt sumitur ex Concil. Trident. sess. 6. c. 11. & 13. & suprà in lib. 2. probatum est, & infrà tractando de bono perseuerantiæ latiùs dicitur. Alius effectus est particularis victoria alicuius grauis tentationis, vel (quod idem est) certa, ac definita obseruatio præcepti, vbi magna difficultas occurrit, tunc enim est peculiare Dei auxilium, iuxta suprà dicta in lib. 1. & 2. doctrina enim ibi data communis est hominibus lapsis, tam iustis, quàm peccatoribus: nam testimonia ibi adducta indifferenter de his hominibus loquuntur.

Rationes verò æq; de vtrisque procedunt, quia soli habitus infusi parum ad difficultates superandas conferunt, nisi homo, qui illos habet, diuinitus adiuuetur, quod adiutorium ab excitante gratia præcipuè incipere debet, quia, vt dixit Bernardus. lib. de Grat. & libr. arbitr. *conatus libri arbitrij, & cassi sunt, si non adiuuentur, & nulli, si non excitentur.* 18. *Bernard.*

Circa hos verò effectus obseruare oportet, non solùm internam gratiam excitantem, sed etiam externam excitationem, vel protectionem posse ad illos multum iuuare, ideóq; magna ex parte posset hanc excitationem per prouidentiam gratiæ supleri, vel minui necessitas gratiæ excitantis ad huiusmodi effectus. Nam si Deus sua speciali prouidentia efficiat, vt iusto pauciores occasiones peccandi occurrant, paucioribus etiam internis excitationibus indigebit ad perseuerandum: & simili modo, si Deus efficiat, vt tentatio, vel suasio ad malum non sit vehemens, nec diuturna, fieri potest, vt possit vinci tentatio cum communi adiuuante gratia, sine alia speciali excitatione; & ideo Augustinus sæpe multum commendat hanc diuinâ protectionem præseruandi, & inter auxilia gratiæ illâ ponit, eiq; effectū hominem ab aliquibus peccatis tribuit, vt videre licet in Soliloquiis c. 15. & 16. quæ vel sunt Augustini, vel ex sententiis eius desumpta, & ita ferè eadem verba habentur in l. 50. Homiliar. in 23. c. 6. vbi sic ait. *Hoc dicit tibi Deus tuus, Regebā te mihi, vt adulterium non committeres, suasor defuit, vt suasor deesset; ego feci, locus, & tempus defuit vt hæc deessent, ego fui, adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus, vt consentires, ego terrui.* vel vt in Soliloquiis habetur, *Sed vt non consentirem, tu me tenuisti,* sed in idem redit, nam terrendo hominem, Deus tenet illum, ne consentiat, & vtroque modo gratia excitans indicatur. 19. Notandum. Ad operā pietatis pro tectio Dei multùm iuuat. *Augus.*

Simili modo obseruari potest circa duos dictos effectus interdum posse fieri per gratiam excitantem appetitum sentientem, vel moderantem affectum eius, aut phantasiam illum commouentem: Gratia enim, vt dixi in fine capitis præcedentis, gratia excitans interior, etiam in internis potentijs sensitiuis sæpe operatur. Vnde cum ab his sæpissimè pendeat, vel tentationis grauitas, vel propensio ad peccandum, fieri optimè potest, vt per internam excitationem in portione inferiori factam, eo ipso confortetur voluntas ad non consentiendum, non tam per positiuam virtutem, quam in se recipiat, quàm per ablationē difficultatis, ex motu appetitus proueuientis. Quamquam verum sit motionem gratiæ factam in appetitu sensitiuo non posse non redundare in voluntatem, saltem per sympathiam naturalem. Dicimus fieri posse, vt non sit necessaria specialis excitatio in voluntate, quàm sit illa, quæ per appetitum insurgere potest. Et interdum fieri potest, vt sufficiat sola moderatio concupiscentiæ sensitiuæ, vel apprehensionis phantasiæ, licèt nulla positiua motio in voluntate redundet, sed sola ablatio difficultatis in obiecto, vt dictum est. Hæc autem locum habent vbi ablata difficultate potest præceptum impleri, vel peccatum vitari per actum naturalem: nam si supernaturalis necessarius sit, ad punctum sequens pertinebit. 20. Notandum secundò. Gratia excitans in cultatibus sensitiuis quid possit circa effectus duos recensitos n. 17. Motio gratiæ facta in appetitu sensitiuo redundat ordinariè in voluntatem.

Tertius effectus gratiæ in iustis considerari potest in ordinario modo operandi actus fructuosos, seu meritorios iustitiæ. In quo in primis certū est frequentem Dei inspirationem, & excitationem vtilissimam esse iustis ad hæc opera præstanda, & ad proficiendū per illa in via virtutis, & sanitatis; ipso ferè experimento constat, & ideo fideles frequen- 21. 3. Effectus grauis tentationis in ordine ad actus meritorios.

quenter à Deo petunt huiusmodi inspirationes, & quo sanctiores, eo anxiùs illa desiderãt: ideo in Scriptura sacra, præsertim in Psalmis huiusmodi petitiones frequẽtes sunt. Ex quo etiã intelligimus hoc genus gratiæ esse moraliter necessariũ ad frequenter, & cum spirituali fructu hæc opera præstanda.

Ampliatur & probatur vlteriùs assertio tertia.

11. Difficultas verò est, an ad singula opera pietatis sit excitans gratia necessaria in nobis iustificatis? Et in hoc sensu negant huius gratiæ necessitatem auctores tertiæ opinionis, & paucos inuenio contradicentes. Valentia tamen suprà propositi. 3. videtur oppositũ sentire, quamuis non dicat expressè hanc gratiam esse necessariam, sed habere locum in his actibus iustorum. Clariùs hoc sentit Vasquez, & consequenter loquendo cogitur id affirmare, nam ipse docet hominem per vires liberi arbitrij non posse efficere bonum actum moralẽ ordinis naturæ sine excitante gratia, quam vocat cogitationem congruam, & gratiam ordinis naturalis; ergo consequenti ratione in homine iusto erit necessaria cogitatio cõgrua ad singula opera supernaturalia, seu pietatis; quæ erit gratia ordinis supernaturalis. Ex hoc tamen discursu solùm concluditur illã cogitationem congruam esse necessariam, vt actus fiat, nõ tamen vt fieri possit quia cogitatio congrua eo modo, quo est gratia, pertinet semper ad gratiã efficacem, sine qua datur potestas operandi. Hic autem generatim loquimur de necessitate huius gratiæ, vt possit iustus operari, siue sit efficax, siue sufficiens tantùm. Item tota ratio gratiæ iuxta illam sententiam ponitur in congruitate cogitationis, nõ in cogitatione ipsa, seu substãtia eius, (vt sic dicam:) nos autem à congruitate abstrahimus, & de excitatione inquirimus, siue sit congrua, siue non.

Vasquez.

Ad singula opera pietatis in iusti ficans excitans gratia prout ab habitu ab efficaci & inefficaci, & necessaria.

13. Aliter igitur argumentor Augustini ferè discursu in lib. de præstinat. Sanct. cap... & sequentibus, & lib. de grat & liber. arbit. cap. 7. quia ad piè operandum necessariò præcedere debet pia cogitatio etiam in homine iustificato: sed pia cogitatio non potest incipere in nobis à nobis, etiam post iustificationem; ergo debet incipere ab Spiritu sancto, & consequenter ad gratiam excitantem pertinet, ergo saltem hoc titulo indiget iustus gratia excitante ad singula opera pietatis. Maior euidens est, quia operatio pia includit pium actum voluntatis: voluntas autem moueri non potest sine proportionata cogitatione intellectus, & ideo pia voluntas necessariò supponit piam cogitationem. Minor autem probatur ex Paulo ad Philippens. 2. dicente, *Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere.* quod ideo dictũ est, quia sine illo excitante nõ possumus habere voluntatem bonam, vt dixit Augustinus l. 2. de peccator. merit. c. 18. Item ex eodem Paulo 2. Corinth. 3. dicente, *Nõ sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* vbi in primis Paulus non de solis peccatoribus, sed maximè de iustis loquitur; imò etiam de seipso, cùm dicat. *Non sumus sufficientes*, & infra subiungat. *Qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti.* Nec etiam loquitur de cogitatione congrua, sed absolutè de cogitatione pia, & sufficienti: nam simpliciter dicit, *non sumus sufficientes aliquid cogitare*, & postea subdit, *sed sufficientia nostra ex Deo est.* Loqui autem ibi Paulum de cogitatione pia, id est, quæ ad bonam etiam voluntatem sufficiat, suprà lib. 2. latè à nobis ostensum est; ergo etiam iusti vt bene operari possint, necesse habent, vt initium sanctæ cogitationis à Deo recipiant. Sancta cogitatio est gratia excitans, quando est prima, nam à Deo mittitur, & non à nobis procedit; ergo hæc excitatio etiam iustis necessaria est ad singula opera pietatis.

Probatur 1. ex Augus.

Philip. 2. 13.

Augus.

2. Cor. 3. 5.

Secundò probari potest hæc sententia ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 16. vbi de iustificatis hominibus loquens inquit: *Cùm Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona ipsorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur*, & c. gratia autem quæ antecedit opera, non videtur esse nisi gratia excitans, ideo dici posse per gratiam antecedentem intellexisse ibi Concilium ipsos habitus virtutum infusarum. Verisimilius tamen loqui videtur de actuali motione gratiæ, nam loquitur de iustificatis, in quibus iam supponit iustitiam eius donatam, per quam Christo tanquam viti sicut viui palmites vniti sunt, & in eos sic iustificatos dicit influere virtutem. loquitur ergo de influxu actuali, quod etiam optimè intelligitur persistendo in metaphora, nam vitis non dicitur influere virtutem in palmites, quia substantiam (vt sic dicam,) vel potentias illis tribuit, sed quia succum, vel alimentum, vel aliquod simile quo nutriantur, & augeantur, & fructum ferant; in illos influit, ergo in eodem sensu dicit Concil. influere Christum in iustificatos virtutem antecedentem comitantem, & subsequentem ad bene, ac meritoriè operandum.

Probatur 2. ex Trident.

14.

Præterea est optimum testimonium Cælestini Papæ in Epistol. ad Episcopos Galliæ c. 8. dicentis, *Omnia studia, & omnia opera, ac merita Sanctorum ad Dei gloriam, laudemque referenda sunt, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donauerit.* Ne verò quis sufficienter dicat donare per habitualem, & adiuuantem gratiam, vlteriùs pergat, & consideret testimonium Zosimi Papæ, quo Cælestinus suam sententiam confirmat. *Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, vnde nascuntur,) ad fratrum, & Episcoporum nostrorum conscientiam vniuersa retulimus.* quæ verba Africani Patres, vt ibidem refertur, ita expendunt. *Quid tam libero fecisti arbitrio, quàm quod vniuersa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti, & tamen instinctu Dei factum esse fideliter, sapienterque vidisti, veraciter, fidenterque dixisti? ideo vtique quia præparatur voluntas à Domino, & vt boni aliquid agant paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium.* Quo vnico testimonio videtur hæc sententia confirmari auctoritate duorum Pontificum, & vnius Concilij Africani, quibus accedit etiam Prosper, qui lib. contra Collator. cap. 10. hoc etiam testimonio vtitur contra Casianum, & alios. Est autem in illis verbis ponderandum, sermonem esse de fidelibus, & per hoc in primis improbari primam, & secundam sententiam, & duas primas assertiones nostras confirmari. Deinde etiam, quia indifinitè dicit, *suorum corda fidelium*, iustos etiam comprehendit, imò illos maximè, qui illi maximè sunt fideles, & quos Deus vt suos præcipuè gubernat. Quod etiam apertè colligitur ex testimonio Pauli, quod idem Concilium statim adduxit; quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Deinde ponderandum est illud, *vt aliquid boni agant, paternis inspirationibus suorum tangit corda fidelium.* Nam in hoc casu supponunt Africani Patres, sine huiusmodi inspiratione nihil posse agere etiam fideles, & filios Dei, ac proinde ad singula opera pietatis indigere iustos diuina gratia excitante. Vnde de hoc eodem auxilio loquuntur cum subiiciunt; *Vt nostrum sentiamus deesse arbitrium, & in bonu quibusque, ac voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.*

Africani Patres.

Prosper.

Probatur 3. auctoritate Patrum.

Cælestinus Papa.

Zosimus Papa.

Atque in hunc modum possunt ad comprobandam hanc sententiam referri omnia testimonia, quibus lib. 1. vsi sumus ad probandum nullum opus bonum posse ab homine fieri sine auxilio gratiæ Dei, quæ ita exposuimus, vt de pietatis operibus omnibus, & singulis intelligantur. Nam

16. *Alia Patrum testimonia.*

doctrina illa generalis est ad iustos, & iniustos, perfectos, & imperfectos, quia de omnibus, & singulis operibus pietatis traditur, sine vlla personarum, vel statuum distinctione. Et ex vi illius doctrinæ nullus Catholicus audebit dicere, posse iustum exercere actum fidei, vel charitatis sine gratia Dei, non tantùm habituali, sed etiam actuali, saltem adiuuante; ergo signum est sub illa vniuersali doctrina, etiam opera pietatis iustorum comprehendi in quibus propterea etiam locum habet

Augusti. sententia Augusti lib. 2. de peccator. merit. cap. 18. *Sine Deo excitante, & adiuuante, nihil possumus.* Imò idem Augustinus expressè de iustificatis eodem modo loquitur l. de natur. & Grat. c. 26. vbi habet illam celebrem sententiam. *Sicut oculus corporis etiam planissimè sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere, sic homo etiam perfectissimè iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non potest viuere.* Et prius dixerat, *vt pie semper, iustèque viuatur*, vbi ponderanda est comparatio, & verbum illud, *non potest cernere*, quod denotat tum necessitatem ad singula opera sicut ad singulos actus videndi, tum etiam necessitatem adiutorij antecedentis, quod in suo genere dat potestatem operandi, sicut in oculo, & luce contingit. Simili modo lib. de Grat. & lib.

Idem. arbitr. cap. 6. de homine iustificato ait, necessarium esse illi vt ambulet cum illo gratia, & incumbat super istam, vt rectè viuat, vbi vtrumque auxilium indicat §. *denique.* Alij autem Patres & Concilia gratiam illam, quam vniuersè ad opera pietatis requirunt, declarant per inspirationes, & illuminationes diuinas, & per motiones præuias, quibus præparatur voluntas à Domino, & per initium bonæ voluntatis, & operationis, quæ omnia

Arausic. excitantem gratiam significant. Et hoc etiam confirmant illæ sententiæ Concilij Arausicani. *Hoc salubriter profitemur, quòd in omni opere bono, nos non incipimus*, quod statim declarat. *quia fidem, & amorem prius Deus inspirat.* Vnde cùm post ea subdit, post Baptismum ea, quæ Deo sunt placita, posse à baptizatis per Dei adiutorium impleri, de eodem adiutorio diuinæ inspirationis loquitur sine dubio. Item illam sententiam, *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo; nulla verò facit bona homo, quæ non præstet Deus, vt faciat homo.* Nemo negabit de omni homine etiam iusto intelligendam esse. Et tamen ratione excitantis gratiæ, dictam esse manifestum est, tum ex vsitata phrasi Augustini, quòd Deus per vocationem facit vt faciamus: tum ex eodem Augustino lib. 2. contra duas epistol. Pelagian. cap. 9. vbi eandem sententiam prius tradidit,

Augusti. & ratione excitantis gratiæ declarat, Deum facere in nobis, *vt quicquid est boni, cum illo faciamus.* Denique idem confirmat illa sententia eiusdem Concilij, *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum vt operemur, operatur.* quia iuxta frequentem modum loquendi Augustini, Deus operatur in nobis per gratiam excitantem, nobiscum autem per adiuuantem. Et ita ponitur eadem sententia à Prospero inter alias Augustini sententia 22. Denique hoc confirmant testimonia Scripturæ, quibus similes sententiæ solent ab eisdem Patribus confirmari, quales sunt illud Prouerb. *Præparatur voluntas à Domino*, & illud ad Romanos 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, & similia.

27. Prob. 4. ex Scriptura ponderando locum D. Pauli ad Hebr. 13. 20. 21.

Nunc autem libet peculiariter expendere rationem Pauli ad Hebr. 13. *Deus autem pacis*, &c. *aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram se per Iesum Christum.* quo loco non tantum pro peccatoribus sed etiam pro iustis Paulus orat, petens vt Deus illos aptet in omni bono: aptare autem idem est quod præparare, inclinando voluntatem ad bonum. Nam cùm voluntas sit principium omnis boni actus, tum homo aptatur ad bonum, quando voluntas eius inclinatur ad bonum, seu quando Deus illi immittit voluntatem bonam, vt ibi notat D. Thomas. Modum autem huius præparationis explicauit Paulus, dicens, *faciens in vobis quod placeat coram se* quia, vt alibi dixit, *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere.* Hoc autem facit Deus in nobis per gratiam excitantem, vt in lib. 5. latiùs videbimus ex Augustino, & indicat illud verbum, *faciens in vobis*, quia, vt nuper dicebam, per gratiam excitantem operatur solus Deus in nobis. Vnde Anselmus ibi rationem illius petitionis Pauli reddit, quia nisi ipso in vobis operante, nihil potestis agere, quod oculis eius placeat: hæc est gratia, quæ mentem præuenit. Hæc enim gratia omnibus tam iustis, quàm iniustis necessaria est vbique, & semper, vt opera, quæ Deo placeant facere possint.

Ratione probari potest eadem sententia, quia in homine non habente habitum infusum, necessaria est gratia excitans, quæ voluntatem inducat, & iuuet ad opus pietatis; ergo etiam in habente virtutes infusas, est eadem gratia necessaria, si nulla alia differentia inter duos operantes intercedat, nisi quòd vnus habeat habitum, & non alius. Antecedens suprà probatum est cum simili ferè illatione, quæ iterum probatur, quia probabilius est gratiam excitantem non requiri tanquam principium physicum, quod suppleat vicem habitus, quod nunc supponimus, & infrà, probandum est, & ideo ex hac parte habitus non tollit necessitatem excitantis gratiæ. Aliunde verò id quod est proprium gratiæ excitantis, quòd est formaliter præstare vt homo vitaliter attendat, & vigilet, vel afficiatur, hoc non præstat formaliter habitus, nec suppletur per naturalem illam propensionem, quam habet ad suum actum, quia est distinctæ rationis, & non transcendit statum dormientis (vt sic dicam, seu statum potentiæ in actu primo, qui semper est imperfectus, & potentialis respectu actus secundi, ergo non distante habitu manet eadem necessitas excitantis gratiæ, & declaratur in hunc modum. Nam si vera esset sententia, quam Vega tenet, catechumeno, etiamsi incipiat credere per verum actum fidei infusæ ante Baptismum, seu contritionem, non infundi habitum; tunc si ille post primum actum fidei interrupum secundum effecturus sit, ex pia voluntate supernaturali indigebat noua gratia excitante, quia nec habet habitum infusum, nec prior, quæ præcessit ad primum actum, sufficit ad secundum, vt probant rationes in primo puncto factæ. At profecto eadem ratio necessitatis inuenitur in catechumeno, etiam super primum actum, & infundatur habitus, vt probabilior fert opinio, quia per habitum non fit habilior, vel potentior ad se excitandum, sed ad credendum, ti excitetur. Eademq; ratiò fieri potest de cæteris virtutibus infusis, si fingamus hominem sanctificari sine illis per solam gratiam sanctificantem, vel alio modo.

Deinde potest necessitas gratiæ excitantis in homine iusto ita declarari, & temperari, vt creditu facilior fiat, nam loquimur in primis de homine, qui de nouo incipit operari, & transire ab actu primo ad secundum, quia si iam sit in actu secundo, & ab illo ad alium transeat per aliquam colligationem, tunc non indigebit noua gratia excitante, quia per primum actum excitari potest ad secundum in virtute primæ excitationis, ratione cuius vterq; actus, vel quotquot multiplicati fuerint sic connexi in Deum referuntur. Sic enim Prosper contra Collat. cap. 3. in fine excusat quædam verba Cassiani dicentis. *Cum Deus in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eum confestim, atq; confirmat, & incitat ad salutem*: addit autē Prosper,

Prob. 2ª ex ratione

Ab eadem consequenter ad quodlibet

3ª Aperitur euidentia huius consequentiæ

habitus

sper. *Et hic potest adhuc dicere illius se ortum bonæ voluntatis significasse, cuius à Deo sunt plantata, vel inspirata principia, quia illuminatis iam cordibus possunt salubres prodire conatus, qui ideo ipsius hominis proprii esse dicuntur, quia iam bonorum conatuum acceperit facultatem, & eorum semina ad suum referuntur auctorem.* quam doctrinam (quidquid Cassianus senserit) tanquam verissimam nobis tradit Prosper, & æquè procedit siue illi conatus sint tantùm circa vnum actum, siue circa plures connexos inter se, & ab eodem diuino semine procedentes. At verò quando iustus omnino de nouo incipit piè operari, vel quia antea dormiebat, & vigilare incipit per actum bonum, & sanctum, vel etiam, quia licèt de re sancta cogitaret, subitò transfertur ad aliam omnino distinctam, & cum præcedenti nullo modo connexam, in his casibus necessaria est motio saltem ex parte intellectus, quæ omnem libertatem antecedat; ergo si talis motio ex parte sua sit sufficiens ad actũ pietatis, non potest esse nisi ex gratia excitante diuina. Quod quidem est euidentius, quando illa motio est merè interna, quia si nihil externum occurrit, quod illam inchoaret, tunc enim, vt diximus, Zosimus Papa esse non potest nisi ex instinctu Dei, siue immediatè operantis, siue medio aliquo ministerio sanctorum Angelorum, saltem quoad motionem phantasmatum, quando ab illis incipit intellectualis cognitio.

31. Quando verò cogitatio interna per motionem alicuius sensibilis obiecti incipit, tunc aliquid potest operari habitus, vt talis excitatio fiat, potestq; etiam iuuare aliqua bona dispositio per priores actus bonos acquisita, præsertim species præteritorum actuum in memoria relictæ, illæ enim immediatè excitantur per obiecta externa, & dum repræsentant vel pium propositum prius habitũ, vel obiectum, vt iam prius amatum, aut creditũ, faciliùs inducunt cogitationem ad piũ actũ inclinantem, quæ vera gratia dicenda est, tum quia occasio talis excitationis, ex gratuita Dei prouidentia parata est, tum etiam, quia quodam modo præscitur in virtute prioris gratiæ ad præcedentes actus efficiendos data. Et nihilominus existimo, vt cogitatio illa, quæ per huiusmodi obiecta externa interius excitatur, sufficiens sit, vt voluntas possit pium, & supernaturalem actũ elicere, necessarium esse vt Deus aliquid interius speciali modo in iusto operetur, vel cogitationem dirigendo vt supernaturalem rationem operandi volũtati proponat, sicut oportet, vel suauitatem aliquam infundendo, quæ & inclinet, & satis attendere faciat ad talem operandi modum. Moueorque præcipuè, quia hoc videtur mihi magis consentaneum doctrinæ Conciliorũ, & Augustini, & quia ipse modus supernaturalis operandi reuera semper videtur hoc exigere, præsertim, vt eliciatur actus in substantia supernaturalis. Fateor tamen necessitatem hanc gratiæ excitantis in homine iusto per se ac simpliciter inueniri ex parte intellectus, & in cogitatione eius, non tantùm vt sit congrua, sed etiam vt sit sufficiens. Ex parte autem voluntatis, quia necessitas magis oritur ex infirmitate naturæ lapsæ, quæ infirmitas per iustitiam sanatur aliquo modo, vel reparatur, ideo si magna iustitiæ perfectio, & habilitas, ac promptitudo ad piè operandum ex frequenti vsu sanctè viuendi comparata sit, fieri poterit vt excitans gratia intellectus sufficiat ad eliciendum statim ex habitu gratiæ piam, ac deliberatam voluntatem, nullo interueniente motu indeliberato eiusdem voluntatis. Verumtamen quamuis hoc magis accidere possit iustis, quã peccatoribus, & perfectis, quàm imperfectis, nihilominus in omnibus ratum esse opinor, tunc propter tarditatem hominis deliberando, præsertim in materia tam graui, & supernaturali, tunc propter infirmitatem, & difficultatem, quæ in hac vita nunquam omnino tollitur.

Quãdo cogitatio interna habens à sensibus, potest aliquid operari habitus.

Quid requiratur vt cogitatio quæ per obiecta externa excitatur sufficiens sit vt voluntas possit super naturalem actum elicere.

32. Obiiciet saltem nobis aliquis, quia suprà in secunda conclusione diximus, peccatorem fidelem cum sola externa propositione obiecti fidei posse sine aliqua gratia excitante elicere actum fidei, saltem modo speculatiuo, cum tamen actus ille etiam supernaturalis sit: ergo similis propositio obiecti poterit esse sufficiens ex parte voluntatis. Respondetur in primis, illam particulam *solùm* non excludere concomitantia, id est, non excludere internam doctrinam qua Spiritus sanctus facit interiùs incipere obiectum fidei, prout necessarium est ad actum fidei eliciendum: probabile enim est etiam ad illum modum concipiendi vti Deum exteriori verbo vt instrumento, & adiuuare, seu manu ducere intellectum, vt melius id faciat, quàm suis viribus possit, & hoc genus auxilij ad omnes, & singulos actus fidei etiamsi ex habitu fiant, esse necessarium. Iuxta hoc ergo, particula *solùm* excludit tantùm alia auxilia, quæ ex parte piæ voluntatis ad credendum sunt necessaria, quia supponimus illum actum fieri posse ex habitu sine speciali motione voluntatis ad talem assensum in specie, sed tantùm ad considerandum, vel iudicandum de huiusmodi rebus. Deinde verò addimus in actibus voluntatis, vt sanctè fiant esse longè maiorem difficultatem, quàm in actu intellectus speculatiui, etiãsi sit fidei, quando iam intellectus supponitur captiuatus in obsequium eius; tunc enim simpliciter fertur in veritatem obiecti propositi, & difficultates fidei vel non considerantur, vel ex habitu tanquam nullæ reputantur. At verò rectitudo, & sanctitas in actu voluntatis, ex multis circunstantiis pendet, & præsertim ex puro motiuo consentaneo tali actui, quod difficile ab aliis motiuis secernitur, & plura etiam sunt, quæ illum impedire, vel obscurare possunt, & ideo maior necessitas excitantis gratiæ ad actus pietatis prout à voluntate pendent etiam in iustis inuenitur.

Obiectio.

Responsio.

In actibus voluntatis vt sanctè fiant maior est difficultas quam in actu intellectus speculatiuo.

33. Superest vt ad argumenta aliarum opinionum respondeamus. Et ad primum fundamentũ primæ sententiæ nihil noui est, quod dicamus, iam enim ostensum est, quomodo excitatio præcedens eodẽ modo, quo dicitur in virtute, vel in semine manere, non potest per se sufficere, nisi iterum excitetur, & iuuetur. Ideoque & cum proportione dicimus ad fundamentum secundæ sententiæ, nam etiam fides mortua indiget excitatione vt actu operari valeat, & per se est etiam inefficax ad excitandam sufficienter voluntatem ad perfectam conuersionem, non tam ratione sui, quàm ratione subiecti infirmi, & prauè affecti. Neque Concil. Trid. c. 6. dicit vnicam excitationem sufficere ad omnes dispositiones, quas ibi numerat: posset tamen id habere locum quoad excitationem omnino non liberam, & ab extrinseco prouenientem quando actus voluntatis ita essent inter se connexi, vt vnus ad alium moueret, tunc enim procedit saltem prima excitatio ab Spiritu sancto, quæ sufficiat mouere voluntatem ad aliquem liberum actum; ille verò statim excitat mentem ad alium sibi consentaneum, excitando etiam aliam cogitationem in intellectu, si necessaria fuerit, in qua etiam Spiritus sanctus habet suum proprium influxum. Vnde licet hoc modo procedatur, & vsque ad perfectam conuersionem, & iustificationem perueniatur, id non fit sine propria gratia excitante, vt iam declarauimus. Confirmatio autem quæ ibi additur in æquiparatione inter iustum, & peccatorem ex dictis in tertia assertione soluta relinquitur, & in capite sequenti amplius declarabitur.

Ad 1. fund. 1. sententiæ.

Ad fund. 2.

Trident.

Ad

54. Ad fund. 3. sentent. sup. num.

Ad fundamentum tertiæ sententiæ in primis respondendum est ad verba D. Thomæ in dicto art. 9. in quibus aliqui per auxilium gratiæ, & per motionem diuinam aliquam gratiam excitantem intelligunt. Vnde potius colligunt secundùm D. Thomam iustum indigere gratia excitante ad singula bona opera etiam ordinis naturalis; sed hoc verisimile non est, & latiùs in primo libro dixi. Dico ergo D. Thomam ibi indefinitè loqui de bono efficiendo, & malo euitando, & ita eodem modo loqui de motione Dei indefinitè, & cum partitione accommoda postulare illam ad omne opus bonum, generalem scilicet, seu naturalem, ad opera naturæ; specialem verò, seu gratuitam ad opera pietatis. Ad Concilium Arausicanum respondemus, cùm in prioribus verbis dicit, *Christo auxiliante, & cooperante*, & cùm in posterioribus dicit, *cum ipsius adiutorio*, semper intelligere auxilium diuinæ inspirationis, de quo in præcedentibus capitulis sæpe fuerat loquutum, & in sequentibus ostendemus Augustinum, & alios Patres in communi modo loquendi de diuina gratia nomine diuini auxilij excitantem gratiam in primis comprehendere.

Mens D. Thom.

35. Soluitur 1. ratio supra n. 6.

Ad primum rationem omissa efficientia physica, propter quam nos excitantem gratiam non requirimus, negamus, proprium munus eius, quod vtique formaliter præstat, posse per solum habitum suppleri, quia, vt declarauimus, neque formaliter dat habitus illum modum actualis, & vitalis inclinationis, quem dat excitatio, neque efficere aliquid potest nisi ipse excitetur. Vnde ad illam comparationem inter semen inspirationis, & semen gratiæ habitualis respondemus, in hoc potius seruandam esse proportionem, quòd sicut excitatio non potest facere bonum conuersionis sine adiuuante & cooperante gratia, ita neque habitus gratiæ potest efficere fructum iustitiæ sine diuina inspiratione, seu excitatione; in vniuersum enim vera est Augustini sententia, quòd Deus præparat voluntatem adiuuandam, & adiuuat præparatam. Ad secundam rationem rectè respondetur est, habitus gratiæ, quia sunt in potentijs animæ; & operantur ad modum illarum præter comitantem gratiæ concursum ind gere præuia excitatione ad operandum. Hanc autem dicimus non fieri sufficienter per obiecta externa sine interuentu specialis auxilij Dei interioris, vt auctoritate, & ratione explicatum est.

Soluitur 2.

Caput X.

Duo incidenter dubia de necessitate excitantis gratia, tam in natura lapsa, quàm integra expediuntur.

1. Dubium primum incidens. Vtrum iustus sine auxilio speciali possit aliquid boni facere, quod peccator sine tali auxilio efficere nequeat, Vega affirmat.

EX dictis in præcedenti capite duo incidentia dubia expediri possunt. Primum est, an quoties peccator indiget auxilio speciali ad aliquod bonum operandum, illo etiam indigeat homo iustificatus; vel è conuerso, an homo iustus ratione solius gratiæ habitualis possit aliquid boni facere sine auxilio speciali? quod homo peccator sine tali auxilio facere non potest. Quod dubium attingit Vega q. 14. de iustificat. Et in conclusione secunda respondet posse iustum aliquid facere sine speciali auxilio, quod non potest peccator; non declarat tamen quid illud sit, allegat verò Canonem 3. Concilij Mileuitani, in quo dicitur, gratiam Dei in qua iustificamur, non solùm valere in remissionem peccatorum, quæ commissa sunt, sed etiam in adiutorium, ne noua committantur quem canonem de gratia habituali intelligit, sentitque per illam sine aliquo alio speciali auxilio posse vinci tentationem, quæ ab homine existente in peccato, sine illo auxilio vinci non posset. Idque confirmat, quia per gratiam habitualem cum suis virtutibus sanatur anima, & confortatur ad bene operandum; ergo potest sua virtute hoc præstare sine alio speciali auxilio, alias frustrà daretur.

Contrariam sententiam docet Vasquez 1. 2. disp. 193. cap. 2. fundaturque in illo suo principio, quòd cogitatio congrua ad omnem operationem necessaria est, siue homo sit in peccato, siue in gratia, quia non magis potest voluntas, vel intellectus habens infusum habitum operari, sine cogitatione præuia, quàm cum caret habitu: cum autem operatio honesta ex tali cogitatione sequitur, non potest non esse, & congrua: talis autem cogitatio congrua semper est gratia, quæ non debita homini etiam habenti gratiam, nam in quauis occasione, & momento potest Deus illam non dare sine infidelitate, quia illam non promisit, & sine iniustitia, quia homo propter solum habitum iustitiæ illam non meretur. Hæc verò parui momenti sunt contra Vegam, tum quia ille facilè negaret omnem cogitationem congruam esse specialem gratiam, tum etiam quia fortasse diceret, gratiam habitualem, efficere, vt aliqua cogitatio sit congrua respectu hominis iusti, quæ non esset respectu peccatoris. Et ex hac parte specialius auxilium, id est, meliorem, seu intensiorem cogitationem esse necessariam peccatori, vt possit esse congrua, quàm iusto.

Vasq. 1. 2. disp. 193. cap. 2.

Mihi verò distinguendum videtur de auxilio excitante, vel cooperante, & de bonis operibus ordinis naturalis, vel supernaturalis. In operibus ergo naturalis ordinis nullum inuenio discrimen inter hominem habentem, vel non habentem habitum gratiæ, siue quoad auxilium excitans, siue quoad cooperans, vtique per se loquendo, & ex vi solius habitus. Ratio est, quia isti habitus infusi non dantur tamquam principia istorum operum naturalium, neque ad illa per se inclinant, ideòque si quæ est in illis difficultas, illam non minuunt, ac proinde relinquunt eandem auxilij specialis necessitatem, vbi propter difficultatem operis intercedit, & ideo non potest cum probabilitate dici solum habitum sufficere, vt eadem gratia sit efficax, vel congrua, quæ aliàs non esset, cum habitus gratiæ per se nihil ad talem efficaciam conferat. Et ita etiam quoad hanc partem cessat fundamentum Vegæ, quia licèt gratia sanet animam quo ad mortem culpæ apud Deum, non sanat illam quoad repugnantiam fomitis, nec vim tentationum dæmonis aufert. Quapropter cæteris paribus non magis potest vinci aliqua tentatio sine auxilio speciali ab homine iusto, quàm à peccatore. Nec rectè in contrarium inducitur Canon tertius Concilij Mileuitani; tum quia ibi gratia iustificationis non significat solum habitum, sed omnia auxlia gratiæ, quibus homo ad iustitiam assequendam iuuatur, vt infrà tractando de iustificatione videbimus, tum etiam, quia licèt de habitu loqueretur, non esset intelligendus habitus per se, & (vt ita dicam) formaliter non iuuat ad tentationem vincendam, sed est ratio ob quam, vel Deus magis protegit iustum ne grauiter tentetur, vel magis illum adiuuat, si tentetur, vel etiam quia facilius illum exaudit auxilium petentem ne cadat. Dixi autem per se, & *vi habitus infusi*, quia si aliunde iustus propter exercitium virtutis moderatas habeat passiones & ob-

Assertio. In vtrolibet istorum discrimine. In conclusione naturalis ordinis. Limitatio conclusionis. Ad Canon Mileuit.

& oblatam difficultatem, quæ ex consuetudine peccandi, vel ex aliquo affectu ad creaturam nascitur, contingere facilè poterit: vt aliquid boni naturalis facere vel aliquid mali vitare possit iustus sine speciali gratia, quod non possit peccator. Nam licèt in vtroque requiratur congrua cogitatio ad talem effectum, tamen si cogitatio congrua sit ordinis naturalis, non semper est speciale auxilium gratiæ, quæ ex principiis positis in libro primo facile constant.

4. In operibus supernaturalibus ordinis discrimen necessariò constituendum est, inter auxilium gratiæ excitantis, vel adiuuantis. Nam in necessitate excitationis ad actus supernaturales nulla differentia inuenitur inter iustum, & peccatorem, seu inter habentem, vel non habentem habitus infusos, hoc enim probant omnia, quæ in tertia assertione capitis præcedentis diximus. Hoc autem, sicut in priori puncto dixi, per se, ac præcisè ex vi habituum gratiæ intelligendum est, quia illi non supplent, neque auferunt necessitatem excitationis, sed potius illa indigent. Si verò contingat hominem iustum ex vsu præcedentium actuum, & ex speciebus illorum in memoria relictis, & moderatione affectuum à similibus dispositionibus inducta esse aptiorem, & faciliorem, ad excitationem capessendam, in hac facilitate poterit distingui à peccatore, nunquam tamen distingui poterit in absoluta necessitate excitationum, quia semper iustus illa indiget in hac vita, quantumuis perfectus sit. Imò etiam differentia in dicta facilitate non est vniuersalis, nec ratione habitus: nam si contingat iustum, & suo modo perfectum peccare mortaliter, licèt amittat habitus infusos, retinet illam bonam acquisitam dispositionem, qua physicè (vt ita rem explicem) redditur habilior seu minus ineptus ad excitationem diuinam, & tactum cordis sentiendum. At verò quoad gratiam adiuuantem est clara differentia inter iustum, & peccatorem, quia iustus habet intrinseca principia proxima ac per se supernaturalium actuum, & illa non supplentur per supernaturalem gratiam, ideoque indiget peccator magis quàm iustus alia speciali gratia adiuuante ad actus charitatis, pœnitentiæ, & aliarum infusarum, quas non habet. Et hoc tantùm probat ratio Andreæ Vegæ: nam habitus infusi operatiui ad hoc solum dantur, vt sint principia proxima intrinseca suorum actuum, vt hoc modo adiuuent potentiam ad illos physicè, & connaturali modo eliciendos.

In operibus supernaturalis ordinis quoad necessitatem gratiæ excitantis par est iusti & peccatoris conditio.

Disparitas vtriusque conditionis quoad gratiam adiuuantem.

5. Vltimò ex dictis definitur facilè aliud dubium cum doctrina data connexum, videlicet vtrùm Adam in statu innocentiæ indigerit gratia excitante ad actus iustitiæ, & ad perseuerantiam in illa. Aliqui enim negant, docéntque solum indiguisse cooperante gratia, seu generali concursu iustitiæ, ita docet absolutè Bellarm. lib. de gratia primi hominis, cap. 4. fundaturque in quibusdam locis Augustini, in quibus docet maiori quodam auxilio indigere hominem in statu naturæ lapsæ, quàm integræ, vt lib. de corrept. & grat. cap. 11. & lib. de bono perseuer. cap. 7. & lib. 3. Hypognost. in principio, hoc enim propter auxilium gratiæ excitantis videtur ab Augustino dictum, nam in hoc statu, illo maximè indigemus propter naturæ corruptionem, & ideo in natura integra non videtur fuisse ita necessarium. Contrariam sententiam latè docet Vasq. 1. 2. disp. 193. cap. 3. & 4. docetque ad omnes, & singulos, actus bonos tam naturalis, quàm supernaturalis ordinis indiguisse hominē in statu integrę naturæ auxilio gratiæ excitantis. Idemque dicit de Angelis viatoribus, semperque fundatur in illo suo principio de necessitate cogitationis congruæ, quam semper censet esse speciale auxilium gratiæ.

Dubium alterum. Vtrum homo in statu innocentiæ indiguerit gratia excitante ad actus iustitiæ, &c. Negant Bellarminus Augustinus.

Vasquez affirmat.

Nobis autem distinctione proximè data de bonis actibus ordinis naturalis, vel supernaturalis vtendum est, & in primis dicendum est ad actus ordinis naturalis non fuisse simpliciter necessarium in statu integræ naturæ auxilium gratiæ excitantis. Ratio est, quia ad talia opera per se non est necessarium tale auxilium gratiæ, sed ob infirmitatem, & ignorantiam naturæ lapsæ. Et hoc generatim de auxilio gratiæ probatum est latè lib. 1. vbi etiam ostendimus hanc esse communem sententiam D. Thomæ, & Theologorum, & fortasse hoc tantū voluit dicere Bellarminus: nam hoc tantùm suis rationibus affirmat. Neque fundamentum illud de cogitatione congrua oppositum probat, quia talis cogitatio naturalis est, & ideo licèt congrua sit, non pertinet ad auxilia gratiæ, vt latè in superioribus probatum est, quæ in sequenti libro quasi per recapitulationem iterum proponemus.

6. *Assert. 2. distinguendum est, Ad actus naturalis ordinis non fuit tunc necessaria gratia excitans.*

Neque obstat fund. Vasquez supra n. 2.

Deinde addendum est indiguisse hominem in statu innocentiæ gratia excitante ad actus ordinis supernaturalis, non solùm propter cogitationem congruam, quæ in ordine gratiæ pertinet ad auxilium efficax, sed etiam propter cogitationem auxilij sufficientes, licèt non esset futurum efficax. Ratio est, quia necessitas gratiæ excitantis ad hos actus non est quasi per accidens, propter corruptionem naturæ, sed per se, propter excellentiam talium actuum. Et hoc probant omnia quæ capite præcedenti adduximus in confirmationem tertiæ assertionis. Nam in primis si sit sermo de actibus disponentibus ad primam iustificationem, tam certum est hominem non potuisse in statu naturæ integræ, imò neque Angelos in sua conditione se disponere ad primam gratiam habitualem, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, & illuminatione, sicut est certum de homine, vt nunc supponimus ex materia de iustificatione; ergo ad hanc saltem indiguerunt gratia excitante. Si verò sit sermo de aliis bonis actibus, qui sunt fructus iustitiæ, sic proceduntrationes factæ de hominibus iustis, quia, vt dixi, non fundantur in peculiari conditione naturæ lapsæ, sed in propria natura talium actuum. Et ideo illæ sententiæ *Deus est qui operatur in nobis velle, & proficere, & qui cœpit in nobis opus bonum perficiet.* Non minus habent locum in Angelo', & in homine integro, quàm in lapsis. Denique in hoc sensu ait sæpe Augustinus indiguisse hominem in hoc statu diuino adiutorio ad perseuerandum, & fructificandum in operibus iustitiæ, vt videre licet lib. 14. de Ciuit. cap. 27. & de Natur. & Grat. cap. 26. & in Enchirid. cap. 106. vbi de quocunque homine perfectè iustificato loquitur, neque in lib. de Corrept. & Grat. est sibi contrarius, quia non loquitur de quacunque gratia excitante, sed de efficaci, & specialiter de peculiari dono perseuerantiæ hominibus lapsis necessario, & tractando de hoc dono, & de gratia efficaci locum illum Augustini vberiùs declarabimus.

7. *Necessaria tamen fuit ad actus ordinis supernaturalis.*

Augustin.

CAPVT X.

Vtrùm motus gratiæ excitantis sint in sua entitate supernaturales.

1. *Certum est motus gratiæ excitan-*

QVamuis ista quæstio ad existentiam istorum actuum pertinere videtur, eam in hunc locum distulimus, quia suppositis, quæ hactenus diximus, facilius poterit explicari. Primum ergo

tis esse aliqua ratione supernaturales.

ergo supponimus negari non posse, quin isti actus sint aliquo modo supernaturales, quia omnia vera dona gratiæ, quæ ad salutem conferunt, sunt aliquo modo supernaturalia: sed gratia excitans est verum donum gratiæ, & ad salutem multum confert; ergo motus illos, in quibus talis gratia consistit, est aliquo modo supernaturales esse necesse est, quia intrinsecè sunt ipsa gratia excitans, neque illa duo in re distinguuntur, vt suprà ostensum est. Item, quia aliàs poſset homo per naturales vires mereri hos motus gratiæ excitantis, si essent naturalia bona, quia huiusmodi bona ea de re possunt sub bonum meritum naturalis virtutis saltem de congruo, iuxta doctrinam D. Thomæ 1.2. quæst. 22. Denique si hi motus essent merè naturales, quidquid per illos seu virtute illorum fieret, profectò per naturales vires fieret: hi autem motus dantur, vt supernaturaliter faciamus, quod vires naturæ facere non possumus; ergo necesse est vt isti motus supernaturales sint. Hoc ergo supposito, inquirimus, quam rationem supernaturalitatis isti motus habeant in eodem ferè sensu, in quo facilem quæstionem de actibus deliberatis tractauimus in lib. 2. scilicet an sint supernaturales in substantia sua, vel in modo.

D. Thom.

Status quæstionis.

2. Ratio dubidandi.

Ratio autem dubitandi in vtramque partem ex dictis sumi potest: hic enim apparet necessarium esse, vt sint supernaturales in substantia, quia si entitas illorum naturalis est, explicari non potest quem modum supernaturalem necessariò habere debeat, vt ostendi potest discursu ibi facto. Nam vel ille modus est extrinsecus actui, vel intrinsecus. Primum dici non potest, tum quia in his actibus, cùm liberi non sint, non habet locum ratio meriti, vel acceptationis, vel relationis moralis in aliquem finem: tum etiam, quia nullus modus extrinsecus potest conferre actui perfectionem, vel virtutem, quæ dat vires ad supernaturaliter operandum, sed isti actus dantur vt auxilia ad supernaturaliter operandum, quod non habent per id, quod est naturale in ipsis, quidquid illud sit, sed vt sunt supernaturales, ergo non possunt sufficienter constitui in esse supernaturali per modum extrinsecum. Neque etiam modus intrinsecus satis esse, aut explicari potest; quid enim esse potest, nisi vel intensio, vel duratio, vel aliquid simile: hi autem modi vel necessarij non sunt, vel certè etiam ipsi naturales sunt, quia eiusdem ordinis cum ipsis actibus sunt.

Non videntur esse tantum supernaturales secundum modum.

3. Neque sis apparet necessaria supernaturalitas secundum substantiam.

Primò.

Secundò.

Aliunde verò multo difficilius est in his actibus entitatem, & speciem supernaturalem intelligere, quàm in propriis actibus virtutum infusarum. Primò, quia isti actus gratiæ excitantis non habent virtutes per se infusas, ad quas pertineant. Item non videntur habere obiecta formalia supernaturalia, quia nec sunt actus fidei, aut prudentiæ in intellectu, nec charitatis, aut spei, vel aliarum virtutum infusarum in voluntate: omnia autem supernaturalia obiecta harum potentiarum pro statu viæ sub his virtutibus comprehendi videntur. Ex his autem principiis præcipuè colligebamus superiùs supernaturalitatem in substantia actuum perfectorum gratiæ, ergo in his motibus indeliberatis non habemus, vnde tantam supernaturalitatem colligamus. Neque etiam videtur in illis tam necessaria, tum quia valdè imperfecti sunt in suo genere, & non sunt principia physica perfectorum actuum, vt supponimus: vt autem moraliter ad eos inducant, & iuuent, satis est, vt peculiari modo dirigantur, vel tribuantur à Deo, etiamsi absolutè, & in se, supernaturales non sint: tum etiam, quia in his actibus supernaturalitas hæc quoad modum potest faciliùs intelligi, nimirum, propter modum quo à Deo fiunt, necessitando potentias, & illas aliter immutando, quàm per sola obiecta externa fieri possit. Est præterea in his actibus peculiaris difficultas, quia in suo fieri, & esse ordinariè ac singulariter pendent à ministerio hominum, scilicet à verbo Dei, per ministros Ecclesiæ prædicato, & ab aliis admonitionibus, exemplis, & obiectis externis, quæ excitant vel ad timorem mortis, aut inferni, vel ad alium similem affectum: non videntur autem ex his omnibus occasionibus statim insurgere supernaturales motus, tandem, quia etiam pendent hi motus ex naturali conatu potentiarum nostrarum, non solùm, quia ab iis effectiuè procedunt, vt diximus, sed etiam, quia quando omnino sunt necessarij, videntur ex naturali conatu, & impetu prudentiæ prodire: quando verò sunt aliquo modo liberi, saltem remotè industria humana quæruntur, & obtinentur, nimirum, quia homo se mouet ad concionem audiendam, vel legit librum, vt ita excitetur ad virtutem; signum est ergo hos actus esse in se naturales.

Tertiò.

Quantò.

4. Iudicium

In puncto principali huius quæstionis pauca inuenio à Theologis dicta; iuxta principia verò posita in hac materia distinguendum videtur, inter excitantem gratiam, quæ ad naturalem legem seruandam, vel tentationibus contra illam resistendo; & bonos actus morales ordinis naturalis efficiendos, & excitantem gratiam, qua ad supernaturalem consensum, & alios actus infusos subleuamur, & adiuuamur, vtrumq; enim auxilium gratiæ nobis necessarium esse in lib. 1. & 2. satis ostensum est, & in vtroque seruata proportione initium sumi ab excitante gratia omnes etiam Doctores pro comperto habent, & de gratia requisita ad supernaturales actus satis clarè id docet Concil. Trid. & in totu discursu huius libri id præcipue à nobis declaratum est. De actibus tamen moralibus idem sumi potest ex Concilio Arausicano Can. 7. & per plures alios. Et quamuis illa non sit tam expressa definitio, quia loquitur de actibus factis, sicut oportet ad salutem æternam; tamen attenta identitate rationis, & seruata proportione, idem motus adiutorij diuini præstatur ad actus naturales, quando necessarium est per inspirationem alicuius bonæ cogitationis, aut motionis, quæ non sit in hominis potestate, & ad bene operandum iuuet; & in hoc sensu attigerunt diuisionem hanc Bellarminus lib. 5. de Grat. & lib. arbitr. cap. 7. Malin. in concord. disp. 19. & 35. & latiùs Vasquez 1. 2. disp. 189. cap. 14. & 19. disp. 190. cap. 12. vbi alios auctores refert. quos in lib. 1. & 2. tractando de necessitate gratiæ, ad vtrosque actus sufficienter retulimus, non ferè semper loquuntur sub generalibus nominibus gratiæ, vel auxilij, vel motionis, nihil verò speciale dicunt de gratia excitante, de qua nunc tractamus.

Trident.

Aurafic.

Bellarm. Molina. Vasquez.

5. Assertio prima. Gratia excitans quæ ad actus moraliter bonos, vt præcisè ad ordinem naturæ pertinent, necessaria, vel sufficiens non est supernaturalis in entitate, sed solùm in modo quo datur. In hac assertione addidi in primis illam particulam, *vt præcisè pertinent ad ordinem naturæ*, quia si tales actus fiant sub aliquo respectu supernaturali, tunc altior excitatio erit ad illos necessaria, non propter ipsos, sed propter actum, à quo supernaturaliter imperantur, aut referuntur. Dixi etiam sermonem esse de excitatione necessaria, quia etiam excitatio in sua entitate supernaturalis potest multum iuuare ad hos actus studiosè, & faciliùs efficiendos, non tamen est simpliciter necessaria. Sic ergo declarata assertio. Probatur prima pars negatiua eius, primò ex discursu facto in posteriori ratione dubitandi, quia nullum est principium tende talis supernaturalitas necessaria videatur. Item, quia adiutorium debet esse proportionatum effectui, propter quem

Assertio prima. Gratia excitans non est supernaturalis in entitate, sed in modo quo datur. Explicatur assertio. Probatur prima pars assertionis.

datur talis excitatio, est merè naturalis; ergo excitatio necessaria, quæ sit sufficiens adiutorium erit etiam ordinis naturalis. Præterea, quia hæc excitatio sufficiens ad seruandam legem naturæ dari posset, & necessaria esset etiam homini creato in puris naturalibus, & nunc etiam credibilius est, dari ad plures actus hominibus infidelibus, qui cogitationem in entitate supenaturalem nunquam habuerunt, quia nunquam supernaturaliter crediderunt, nec de supernaturali cogitarunt; ergo signum est excitationem per se requisitam, & sufficientem ad huiusmodi actus, non esse supernaturalem; & in hac parte videntur consentire Bellarminus, & Vasquez suprà, & fortasse Theologi antiqui, cùm dicunt, ad hos actus requiri auxilium gratiæ gratis datum non gratum facientis, hoc enim significare voluerunt, quamuis etiam concursum generalem comprehendant, vt in superioribus dixi.

Secundò à signo.

Bellarm. Vasquez.

6. Sufficit vt sit supernaturalis secundum modum.

Posterior pars quæ affirmat gratiam hanc excitantem esse supernaturalem quoad modum, aliqui ita declarant, vt modum illum solum in quadam congruitate honestæ cogitationis cõstituant, & in reliquis supponunt talem excitationem, intrinsecè esse cogitationem merè naturalem, quæ per actionem obiectorum externorum per naturales vires intellectus humani, Deo tantùm per generalem concursum influente, eliciatur, & non habeat aliam rationem gratiæ, nisi quia ex generali prouidentia ita fuerunt à Deo causæ secundæ dispositæ, vt in tali tempore, & occasione cogitationem illam excitarint, quando præsciebat hominem fuisse illi consensurum, quod est cogitationem esse congruam. Sed contra hanc explicationem variis modis argumentati sumus in lib. 2. ostendentes illam non esse veram auxiliantem gratiam, tum quia illa cogitatio non excedit rationem legis, & doctrinæ, tùm etiam, quia illa congruitas non dat vires ad operandum præter vires naturales, sed ad summum dicit easdem vires opportuno tempore datas, & ita quidquid per illam cogitationem fit, solis viribus naturæ fit. Accedit, quòd illud genus gratiæ dandi naturale beneficium congruo tempore, est quid extrinsecum ipsi cogitationi, & bono operi, quod ab illo procedit; ergo neque ipsi cogitationi addit virtutem aliquam, nec bono operi addit moralem bonitatem, aut valorem confert ad meritum. Aliunde verò illud genus beneficij totum continetur intra ordinem naturæ; ergo nullo modo dici potest illa cogitatio supernaturalis, nec opus eius fieri ex gratia, nec satis est dicere Deum ordinasse illam cogitationem ad finem supernaturalem, quia hæc etiam ordinatio extrinseca est, & non dat vires, nec adiutorium bene operandi: vnde neque Massilienses illam negarunt, quod tamen eos non excusat, quia illa ordinatio non reddit opera meliora, nec maioris valoris, & quia illa non obstante supernaturalis gratia subiicitur obedientiæ humanæ.

Impugnatur quorũdam ratio explicandi illum modum.

Primò.

Secundò.

Tertiò.

7. Vera explicatio in quo posita sit supernaturalitas secundum modum gratiæ.

Aliter igitur intelligi potest illa excitatio in sua entitate naturalis esse, & in modo quo efficitur supernaturalis, quia vel fit immediatè à Deo inspirante interiùs honestam cogitationem naturalem, quia videlicet licet possent naturalia obiecta illam excitare si occurrerent, cùm tamen non occurrunt, Deus misericorditer illam præbet, ideóque & gratia meritò appellatur, quia vltra debitum naturæ datur, & auxilium gratiæ, quia verè iuuat ad bene operandum in ipso ordine. Et supernaturalis dici potest, quia præter ordinem naturæ, & vltra debitum causarum naturalium datur. Vnde etiam dici posset per accidens infusa, quia ab Spiritu sancto inspiratur, & ita est ab ipso indita, per accidens tamen, quia ille modus productionis non est connaturalis, nec per se debitus illi cogitationi. Vnde hic modus gratiæ non solùm in cogitatione congrua, sed etiam in incongrua, id est, non efficaci, sed tantùm sufficiente inueniri potest. Quia etiamsi Deus inspiret naturalem cogitationem honestam ex peculiari gratia præter ordinem causarum, non necessitat voluntatem, & ideo potest illi dissentire, si velit; ergo in ipso etiam genere gratiæ potest esse excitatio incongrua.

Hic modus reperitur in cogitatione congrua, & incongrua.

Dicet aliquis, quamuis absolutè hoc sit possibile, nihilominus secundùm ordinariam prouidentiam non dari à Deo talem cogitationem illo peculiari modo, nisi quando futura est congrua. Sed hoc gratis dicitur, & sine vlla probabilitate; nam si Deus frequentissimè inspirat cogitationes supernaturales, quas præscit futuras esse incongruas, cur non etiam naturales? ac deinde alias sequeretur quoties homo non consentit simili cogitationi internæ, colligi posse illam non fuisse inspirationem diuinam, quod omninò falsum est, vt suprà in Cassiani doctrina notauimus. Certum enim est hoc genus auxilij indifferens esse ad sufficiens, & ad efficax in ratione excitantis. Ex quo sumi potest noua impugnatio præcedentis opinionis, quia iuxta illam nulla esset gratuita excitatio ordinis naturalis, nisi efficax: nam cogitatio congrua iuxta illam opinionem, semper est efficax, de quo argumento dicam plura in libro sequenti cap. 15.

8. Effugium. Præcluditur.

Atque ad eundem modum potest explicari in voluntate simile auxilium gratuitum per bonos motus indeliberatos in ea insurgentes, nam, quia licet motus non excitantur nisi media cogitatione, quando cogitatio ipsa est supernaturalis modo explicato, etiam motus voluntatis ex ea naturaliter resultantes ad idem genus gratiæ spectant. Potest autem contingere vt honesta cogitatio intellectus, siue naturali modo excitata, siue gratuitò, sufficiens non sit ad excitandam voluntatem ad bonum motum indeliberatum propter aliquam indispositionem eius, & nihilominus Deus ex peculiari misericordia illum motum excitet in voluntate necessitando illam, vt paulatim illam trahat ad liberum consensum, & tunc ille motus in se, & absolutè naturalis, in modo tamen quo immediatè fit, supernaturalis existit. Dico autem *immediatè*, quia etiam poterat Deus ex parte intellectus augere cogitationem mouendo intellectum, vt efficacius attendat, vel ad plura mouua, vsque ad eum gradum, seu quantitatem in quo valeat cogitatio naturalem motum in voluntate causare, & tunc ex tali suppositione motus voluntatis naturali modo fit, tamen in radice cogitationis semper est gratia. Et simili modo potest in ipsamet cogitatione accidere, vt licet supposita tali applicatione obiectorum externorum naturali modo ab illis excitetur, nihilhominus sit gratia, quando nimirum talis obiectorum concursus, & occursus non prouenit ex sola generali prouidentia, vel communi curiu causarum secundarum, sed ex peculiari prouidentia Dei volentis per illa media illo speciali modo hominem iuuare:

9. Simile auxilium gratuitum in voluntate adhibendum est.

Et iuxta hos fere modos potest penè infinita varietas in hoc genere gratiæ inueniri, siue quia Deus peculiariter disponit causas externas in ordine ad internam excitationem naturalem, siue quia vlteriùs illam confert sine adminiculo causarum externarum, siue quia interius plus mouet, quàm externæ causæ possent immutare. Quod interdum potest facere directè, per se efficiendo, interdum indirectè per specialem prouidentiam remouendo, quæ aliàs naturaliter impedirent si-

10. Infinita quę dam varietas auxiliorum.

milem excitationem, vel motionem causarum naturalium. Quæ tota doctrina sumpta est ex Augustino partim 2. lib. de peccat. merit. cap. 17. partim libro quinquaginta homiliar. homil. 17. & lib. 2. Confession. cap. 17. & lib. 9. cap. 8. & q. 2. ad Simplicianum, & aliis communibus locis, & ex Prospero lib. 2. de vocat. gent. per multa capita, præsertim 25. & 26. & contra Collator. cap. 14. In quibus tamen Patribus aduerto interdum videri loqui indifferenter de his beneficiis Dei, & illa gratiæ Dei deputare, etiamsi possent ex generali prouidentia prouenire: tamen vel loquuntur de illis, vel iuxta subiectam materiam, quia intelligunt in ordine ad salutem semper in his interuenire aliquam specialem efficaciam Dei, vel interdum generalius vtuntur nomine gratiæ, nam profectò quando talis excitatio ex solo cursu causarum cum generali influentia Dei: non aliter est gratia, quàm beneficium creationis, ad quod pertinet: propriè autem dicitur auxilium gratiæ, quando fit aliquo modo supernaturali, vt explicatum est; ita ergo sufficienter explicatur, & intelligitur auxilium naturale in entitate, & in modo supernaturale.

Augusti. *Idem.*

11. Enodatur ratio dubitandi posita in num 2.

Vnde quoad hanc patrem soluta manet prima ratio dubitandi in principio posita, quæ contra hanc primam assertionem directè procedit. Negamus enim non posse esse excitationem naturalem in substantia, & gratuitam, seu supernaturalem in modo. Hunc autem modum non ponimus in aliquo medio acceptatione, vel ratione ad finem supernaturalem, sed in modo faciendi, & causandi in nobis talem excitationem. qui modus quodammodo dici potest intrinsecus actui, quia & tanquam via ad ipsum, seu fieri ipsius prout est à Deo, & quodammodo dici potest extrinsecus, quatenus non est debitus actui, nec secundùm ordinarium cursum causarum fit. Addo etiam per hunc modum effectionis nihil poni in his motibus gratiæ, quod naturale non sit, imò ipsamet effectio absolutè spectata naturalis est, solumque respectiuè, ad ordinarias causas naturales dicitur supernaturalis, sicut illuminatio huius domus si clausis ianuis, vel noctu, & secluſis omnibus causis secundis à Deo solo immediatè fiat, dicetur quidem supernaturalis quoad modum per respectum ad causam in se tamen, & absolutè naturalis actio est. Denique hic modus supernaturalitatis sufficit in his motibus, quia non datur per se ac proximè propter actus supernaturales in substantia, sed propter actum virtutum acquisitarum, & ad vitandum peccatum contra legem naturæ, & ad hoc optimè iuuare possunt, quia virtutem aliquam physicam, vel moralem eiusdem ordinis conferunt, quam homo neque ex se, nec per ordinarium cursum causarum naturalium habere potuisset.

Confirm. responsio primò.

Confir. secundò.

12. Assertio 2. Gratia excitans quæ est principium proximum actus virtutis infusæ, est secundùm substantiam supernaturalis. *D. Thom. Bonauent. Bellarm. Vasquez. Molina. Augusti.*

Secundò dicendum est actus gratiæ excitantis, quæ sunt proxima auxilia ad actus supernaturalium virtutum infusarum, eiusdem ordinis sunt, & in sua substantia supernaturales. Hæc assertio communis est, significant illam ex antiquis D. Thomas 1. 2. q. 111. art. 2. & 3. Bonauent. in 2. dist. 28. art. 2. quæst. 1. & Alens. 3. part. quæst. 61. ex modernis Bellarminus & Vasquez suprà, & accuratè Molina in concord. disput. 35. & 36. & sine dubio est sententia Augustini, nam lib. de Grat. Christi cap. 13. de hac interna gratia excitante præcipuè loquitur, cùm dicit, *Si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altius & internius eam Deus cum ineffabili suauitate dicatur infundere, non solùm per eos, qui plantant, & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum nimirat occultus.* In quibus verbis indicat hanc gratiam esse altioris ordinis ab omni motu naturali, ideo enim tribuit eam soli Deo operanti, vltra omnem efficaciam Verbi humani, hoc enim significat per illa verba, *non solùm per eos, qui plantant, & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum.* Nam sub verbis plantandi, & rigandi, absque dubio non solùm includunt verba prædicantium, quatenus ad aures corporis perueniunt, sed etiam quantum ad omnem vim, quam habent ad instruendum intellectum, vel mouendum effectum operante eo, qui audit sola virtute naturali cum generali concursu Dei; vltra hæc ergo requiritur aliquid, quod solus Deus interius potest facere, quod etiam indicauit per illa verba ineffabili suauitate.

13. Differentia inter hoc genus gratiæ excitantis, & quæ gratia excitans.

Vnde in hoc magna est differentia inter hoc genus gratiæ excitantis, & aliud in superiori conclusione explicatum. Nam illud licèt interdum tieri possit à Deo immediatè ex defectu causarum secundarum, non excedit virtutem illarum, sed tantùm solum quòd interdum non occurrunt, vel non applicantur, Deus per se producit effectum; sæpè verò similes motus operatur per alias causas, & frequenter ministerio Angelorum illas applicat, vel exterius, vel interius media phantasia. Et quamuis interdum immediatè, & per se moueat intellectum, vel voluntatem (quod solus Deus facere potest etiam intra ordinem naturalem;) nihilominus similes effectus fieri possunt mediis causis creatis, & ideo ex modo solùm quasi accidentario effectui, tunc solus Deus libera sua voluntate operatur. At verò in hoc posteriori genere gratiæ illa interim motio tam propria est Dei, vt nunquam qui plantant, vel rigant ad similem efficiendam sua virtute sufficiant. Ex quo rectè colligitur talem excitationem esse per se infusam, & ordinis diuini, ac supernaturalis.

14. Confirm. ex eodem Augusti.

Quod præterea confirmatur verbis eiusdem Augusti. lib. 15. de Ciuitate, cap. 6. vbi postquam retulit varios modos, quibus per verbum Dei externum mouentur fideles ad proficiendum in bono, addit: *Spiritus autem sanctus operatur intrinsecus, vt valeat medicina, quæ adhibetur extrinsecus. Alioqui etiamsi ipse Deus viens creaturæ sibi subditæ in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos, siue istos corporis, siue illos quos istis similliimos habemus in somnis nec interiori gratia mentem regat, atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis.* Per quæ verba apertè declarat, quod dicebamus, tunc internam gratiam esse altioris ordinis ab omni illa, quæ per causas secundas fit, aut fieri potest. Et hoc ipsum significauit Augustin. in verbis illis, *valde remota est à sensibus hæc schola, in qua pater auditur.* Et docet lib. de prædest. Sanctor. cap. 8. significat enim gratiam illam talem esse, vt suo genere non possit per sensus acquiri, aç subinde esse per se infusam. Et hanc mentem Augustini cum eodem modo loquendi imitati sunt Prosper contra Collator. cap. 6. & 1. de vocat. gent. cap. 8. & 9. & Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 28. & lib. de Incarnat. & Grat. cap. 17. & sequentibus, & Petrus Diaconus cap. 6 & Gregor. lib. 3. Reg. cap. 3. & Bernard. lib. de Grat. & lib. arbitr. præsertim circa finem. Et in eodem sensu loquuntur Concilia de prima vocatione, inspiratione, aut illuminatione fidei præsertim Arausicanum & Tridentinum locis sæpe citatis.

Prosper. Fulgent. Greg. Mag. Bernard.

15. Ratio huius assertionis reddi potest. Primo à posteriori, quia si isti actus essent naturales quo ad substantiam, non essent per se infusi; ergo quantum est ex se, possunt interdum fieri in nobis per sensuum acquisitionem ex sensibus, & sensibilibus obiectis. Consequens autem admitti non potest, alias posset in aliquo casu homo habere sufficienter excitationem ad credendum ex vi externæ prædicationis sine peculiari interna inspiratione à Deo immissa, à quod repugnat definitionibus fidei. Vnde à contra-

Ratio à posteriori. à contrario

rio argumentor secundò, quia per hanc excitationem sufficientem, datur homini posse supernaturaliter credere, sed sola naturalis entitas non est sufficiens ad dandam hanc potestatem, quia est altioris ordinis, & per illam eleuatur potentia ad agendum vltrà vires naturales; ergo necesse est vt talis gratia excitans sit in sua entitate eiusdem ordinis naturalis. Tertiò potest hoc declarari, quia non est impossibile infundi hominibus huiusmodi motus hoc modo supernaturales, & illi sunt magis accommodati ad eleuandas potẽtias animæ ad ordinem supernaturalem suaui modo, & cum maiori proportione respectu perfectorum actuum supernaturalium, ergo ita fieri credendum est. Consequentia cum minori patent. Maior autem constabit respondendo ad posteriorem rationem dubitandi, quę contra hanc partem directè procedebat.

In nonnegantes.

16. *Diluitur ratio dubitandi supra num. 3.*

Et in primis in ea sumebatur actus istos non habere virtutes infusas, ad quas pertineant. Respondemus autem posse optimè ad dona, vel, virtutes reuocari, nam hæc assertio supernaturalis prout in intellectu tribuitur, ad intellectualia dona Spiritus sancti pertinere videtur; nam & in modo quo infunditur per specialem impulsum præuenientem, atque in munere, seu officio cum illis donis conuenit, quia talis gratia est interna doctrina Spiritus sancti, ad quam duo spectant, scilicet, specialiter dirigere intellectum, vt supernaturalia mysteria credenda, vel amanda conuenienter apprehendat, & de illis rectum iudicium practicum ferat. Vtrumque autem ex his muneribus pertinet ad dona Spiritus sancti, prius ad intellectum, posterius verò ad consilium, & suo modo ad scientiam, & sapientiam quatenus res propositæ dignæ creditu, vel amore, vel executione, vel fuga æstimari possunt. Et quamuis in principio vocationis nondum homo receperit habitus horum donorum, nihilominus ex motione Spiritus sancti potest elicere aliquos actus, qui sint veluti inchoationes eorum. qui actus licèt sint imperfecti, nihilominus in modo, quo circa sua obiecta versantur, eandem rationem formalem suæ specificationis supernaturalis participant, quam habent actus perfecti ab habitibus illorum donorum eliciti.

Motus huius gratiæ pertinentes ad voluntatem, reducuntur ad virtutes infusas.

Ad Spem.

Ad charitatem.

Simili modo motus huius gratiæ pertinentes ad voluntatem, ad virtutes infusas reuocari facile possunt. Nam si talis actus sit desiderium imperfectum salutis, ad spem reducitur; idemque dicimus de perfecto timore gehennæ; si verò sit complacentia aliqua in bono diuino, vel affectio imperfecta ad Deum ipsum, inchoatio est quædam charitatis, & cum eadem proportione discurri potest per alias virtutes infusas. Quibus addi potest, quod suprà lib. 2. diximus inter actus deliberatos harum virtutum dari aliquos, qui licèt imperfecti sint, supernaturalem substantiam, & entitatem habent. Atque hanc explicationem horum actuum sumpsit ex Prospero lib. 2. de vocat. gent. cap. 26. aliàs 9. vbi de hac gratia excitante priùs dicit, *in omnibus iustificationibus principaliter præeminere.* Et deinde declarat externum modum excitandi, tandem verò internum ita explicat, *dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo.* Quòd si quis obiiciat, quia antè actum fidei nullus est supernaturalis motus in voluntate. Respondemus id ad summum esse verum de actibus supernaturalibus planè deliberatis, & non in omnibus illis eodem modo, quia voluntas credendi supernaturalis est, & non supponit actum fides, sed illum secum affert. Ad hos autem motus imperfectos, & indeliberatos sufficit practica motio intellectus per illuminationem, & inspiratione Spiritus sancti, quæ est quædam inchoatio, & initium fidei, quod habet locum in homine nondum

Instantia expugnatur.

credente: nam in eo, qui iam credit, potest etiã ipsa fides excitari, & ad cæteras voluntatis motiones cooperari: & per hęc satis responsum est ad difficultatem positã in dicta ratione dubitãdi in priori parte eius, de altera verò parte dicam in capite sequẽti.

Caput XI.

Quomodo supernaturalis excitatio ex naturalibus actibus Ecclesiæ, seu eorum, per quos vocatur, pendere possit.

Dvo in titulo proponimus, quæ in vlteriori ratione dubitandi præcedentis quæstionis petebantur. Vnum est, quomodo hæc gratia excitans licèt supernaturalis sit, pendere possit ex ministerio hominum, & prædicatione Ecclesiæ, & aliis obiectis externis. Secundum est, quomodo pendeat à naturali conatu, vel aliquo libero vsu recipientis illam, de qua re disputant inter se moderni Theologi; sed nullam rationem difficultatis, aut controuersiæ in hoc inuenio.

Status quæstionis explicatur.

Circa primum ergo punctum suppono doctrinã suprà traditam, scilicet, excitationem gratię, dupliter fieri posse, scilicet, merè interiùs, aut per aliquã exteriorem, vel sensibilem motionem, quæ ex doctrina Augustini dicta q. 2. ad Simplicianum, & de spirit. & liter. cap. 33. & 34. & lib. octoginta trium quæstionum, q. 68. & lib. 1. de peccat. merit. cap. 25. & de catechizand. rudib. cap. 4. & 5. Prosperi in lib. 2. de vocat. gent. cap. 8. & 9. aliàs 25 & 26. & D. Gregor. lib. 2. Reg. suo cap. 4. & circa illa verba capitis 3. *Vocauit Dominus Samuel*, & D. Thomas lect. 6. in ad Roman. 8. circa illa verba, *Quos prædestinauit, hos & vocauit.* Et ratio est, quia excitatio voluntatis non fit, nisi præuia excitatione intellectus: at verò intellectus excitari potest vel immediatè ab ipso Deo, vt ex Dei omnipotentia manifestum est, & per obiecta sensibilia, & est illi connaturale. Quamuis autem spectatâ conditione supernaturalium obiectorum, & actuum excitatio interna, & specialis immediatè facta à solo Deo magis proportionata videatur: nihilominus attenta hominis conditione alter modus excitationis per sensibilia obiecta est viatori homini magis accõmodatus, & ideo secundùm legem ordinariam, & communem hunc modum Deus obseruat, & vt vsu ipso, ac experientia constat, & ex Scriptura sumitur ad Rom. 10. *Fides ex auditu*; & Luc. 7. *Messis quidem multa, operarij autem pauci: rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam*; & ideo Actor. 10. missus est Petrus ad Cornelium per peculiarem Dei reuelationẽ, &c. 16. Missus est Paulus in Macedoniam rogatus, à viro Macedo, qui per visionem ei apparuit.

Difficultas ergo posita quoad hanc partem procedit de hac posteriori, & ordinaria excitatione diuina, nam alia extraordinaria, & merè interna à Deo solo in mente fit sine dependentia ab exteriori ministerio. De hac verò ordinaria negari non potest, quin aliquo modo pendeat ab actibus sensibilibus, quæ sunt naturales quoad substantiam. Dicunt verò aliqui hanc dependentiam non repugnare supernaturali excitationi, quia solum est tanquam à conditione, sine qua non ex diuina prouidentia, & ordinatione: nam tota illa actio sensibilis, quæ ex parte ministrorum Ecclesiæ procedit, solùm est quasi applicatio materiæ, circa quam homo possit supernaturaliter operari, cui modo dicendi fauet Paulus 1. ad Corinth. 3. dicens: *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.* Et subiungit, *Itaque neque qui plantat est aliquid*

neque qui rigat, sed quid incrementum dat Deus. In negotio etiam salutis omnes ministri Ecclesiæ tantùm plantant, & rigant, & ideo dicuntur non esse aliquid, quia non per se faciunt effectum, quamuis eorum ministerium necessarium sit, & ad eum scilicet modum, quo in fructibus sensibilibus plantatio, & rigatio necessaria est, non vt per se causet, sed vt conditio applicans actiua passiuis.

Placitum aliorum.

Alij verò quibus hoc non satisfacit, dicunt ministerium Ecclesiæ non solũ esse conditionem necessariam, sed etiam esse actionem causæ moralis suadentis, & inuitantis exterius voluntatem: Nam talis causa aliqno modo operatur ad vocationem internam disponendo subiectum, & ideo Paulus eodem citato loco Euangelij Prædicatores vocat, *adiutores Dei*, & 2. Corinth. 6. ait, *adiuuantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, &c. Sed hoc in re non differt à præcedenti, quia tota causalitas moralis physica non transcendit causalitatem per accidens, & iuxta subiectam materiam durum est, illam conditionem esse per modum exhortationis, & inductionis moralis, præterquam quòd etiam in hoc genere causalitatis moralis aliquid deest huic exteriori excitationi ministrorum Ecclesiæ, propter quod etiam in genere moralis causæ dici debet potius conditio necessaria, seu causa per accidens, quàm propria causa per se, etiam moralis, vt videbimus.

Coincidit cum prior.

4. Assertio. Duæ res in hac excitatione considerãdæ, supernaturalitas, & gratia pura.

Supernaturalitati entitatiuè non repugnat ministeriũ.

Dico ergo duo posse in hac excitatione diuina considerari, vnum est esse entitatem supernaturalem, aliud esse gratiam puram, seu gratis datam: neutri ergo ratione repugnat, quòd ab aliquo ministerio externo, seu actione sensibili pendeat. Prior pars declaratur, quia, vt dictum est, verbum externum non est propria causa excitationis supernaturalis, sed per modum signi excitantis mentem, & quasi præbentis occasionem, vt supernaturaliter à Deo excitari possit; ergo quòd illa præuia occasio, & quasi physica præparatio aut animi commotio naturalis sit, non obstat quominus motio, quæ à Deo solo per se, ac principaliter fit, in sua entitate supernaturalis sit. Addo, etiam quòd licèt Deus vteretur verbo prædicationis, aut specie illius menti impressa, tanquam instrumento proprio, & physico ad excitandum intellectum, hoc non obstaret, quo minus illa excitatio esset in sua entitate supernaturalis, quia Deus potest vti re naturali, imò corporea ad efficiendam rem supernaturalem. Vnde aliqui probabiliter existimant per diuina Sacramenta, præsertim per Eucharistiam, Deum excitare in accedentibus dignè huiusmodi affectus gratiæ, quamuis supernaturales sint. Quod autem in hac patre dictum est de ministerio Ecclesiæ, & externa vocatione, extendi potest ad ministerium Angelorum, & ad vocationem non solùm externam, sed etiam internam, quatenus per Angelos fieri potest. Nam etiam illi non possunt per se efficere supernaturalem excitationem, hoc enim est proprium Dei, cuius solius est propriam gratiam infundere: possunt tamen ministerium aliquod adhibere, vel applicando obiecta sensibus externis, vel interiora phantasmata excitando, vt mentem hominis attendere faciant, & (vt sic dicam) Deo præbeant occasionem supernaturaliter illum excitandi.

Extenditur ad sacramentum Eucharistiæ in quo corpus Christi vim habet excitandi in nobis motus supernaturales entitatiuè. Extẽditur ad ministeriũ Angelorũ.

5. Neque repugnat puræ gratiæ.

Altera pars de ratione gratiæ probatur. Primum, quia hoc ministerium Ecclesiæ, per se loquendo, non inducit apud Deum aliquam rationem debiti, propter quod Deus talem excitationem supernaturaliter dare teneatur, quia solùm tenetur dare concursum generalem ex natura rei debitum illis actionibus, qui sufficiet quidem, ad excitandum in mente attentionem aliquam, vel conceptum; nunquam tamen satis erit ad excitationem necessariam, ad supernaturalem concursum faciendum, nisi Deus altiori modo mentem ipsam moueat, vt suprà declaratum est. Altior autem illa motio non fit debita propter prædicationem externam verbi Dei, vel aliud simile ministerium humanum, imò neque constat Deum ita promisisse dare similes excitationes audientibus verbum Dei, vel oblata alia simili occasione, quin interdum eas negare possit, & neget propter hominis demerita, vel alia occulta iudicia sua.

6. Assertio ampliatur & illustratur.

Dico verò vlteriùs, quòd licèt de hoc esset certa lex à Deo statuta dandi (vt ita dicam) hanc efficaciam verbo Euangelij sui, vt ita sit virtus in salutem omni credenti, & quasi instrumentum ad conuertendas, & curandas animas, ideóque ad præsentiam eius infallibiliter Deus excitet mentem non ponentem obicem; nihilominus hoc non minueret rationem gratiæ in tali excitatione, tum, quia totum illud ministerium verbi Dei est ex prouidentia supernaturali, & pertinet ad gratiam Dei externam, & ita in suo genere gratis etiam datur: tum etiam, quia ipsamet prædicatio Euangelij non fit sine speciali auxilio Dei, quod auxilium licèt respectu ministrorum sit gratia proximè illis concessa ad operandum, etiam est gratia respectu audientium, propter quorum fructum, vel conuersionem datur, & ideo etiam ex hac parte initium vocationis est omnino gratuitum: tum denique, quia, moraliter loquendo, illa exterior vocatio, & interior, quam Deus adiungit, non sunt veluti duæ gratiæ, sed est vna integra diuina vocatio, ad eum modum, quo ex actu interiori, & exteriori fit vnus actus moralis, & ita tota illa est vna vocatio, quæ omnino gratis datur.

7. Quo pacto ministerium Ecclesiæ possint concurrere ad primam vocationem eorum qui conuertuntur.

Vltimò verò addò posse ministros Ecclesiæ iuuare homines, quos instruunt, non solùm prædicando, mouendo, & alia externa ministeria exercendo, sed etiam apud Deum pro illis, quos docent, vel gubernant intercedendo. Et hoc modo possunt conatus Ecclesiæ concurrere ad excitationem, seu primam vocationem alterius: etiam ad fidem, non solùm per modum conditionis ordinariè requisitæ, seu causæ moralis inducentis, seu etiam per modum meriti de congruo, & impetrationis. Quia licèt nemo possit sibi primam vocationem mereri, vt dicemus libro sequenti, vnus tamen iustus potest alteri illam mereri, sicut Stephanus meruit vocationem Pauli, & ita potest etiam Ecclesia, vel minister eius impetrare à Deo, vt præbeat auxilium vocationis internæ eis, quibus Euangelium prædicant, neque hoc minuit rationem gratiæ in tali vocatione, quia respectu impetrantis, seu merentis præceditex priori gratia fidei, vel etiam charitatis: respectu autem eius, qui vocatur, semper vocatio illi omninò gratis datur, imò etiam gratia illa quæ Prædicatori data est ad orandum pro audiente, fuit gratuitum beneficium gratiæ ipsi vocato donatum, quia licèt alteri immediatè collatum fuerit, propter ipsum fuit ei datum. Et ita quocunque modo consideretur ministerium Ecclesiæ regulariter necessarium ad vocandos homines ad fidem, pœnitentiam, vel fructum bonorum operum, rationem gratiæ interna, & supernaturali vocatione non minuit.

CAPVT

CAPVT XII.

Quomodo supernaturalis vocatio ab actibus eorum, qui vocantur, pendere possit.

1. Status difficultatis.

SVpereſt dicendum de conatu, ſeu cooperatione eius qui vocatur, an ſit aliquo modo neceſſarius ad primam vocationem, quam quæſtionem aliqui confundunt cum illa, An facienti quod in ſe eſt, Deus conferat gratiam, etiam quo ad primam vocationem, ſeu excitationem. Sed immeritò, nam ſunt quæſtiones diuerſæ, & ideò hanc poſteriorem in librum ſequentem remittimus, quia cum declaratione ſufficientis auxilij coniuncta eſt. In priori ergo puncto aduertendum eſt ſermonem eſſe poſſe, aut de conatu ipſius hominis vocati, quo ſimul cum Deo influit in ipſummet actum ſupernaturalem quo interiùs excitatur, vel de aliquo conatu præuio, quo ad illam vocationem tandem perueniatur: de priori nulla ſupereſt difficultas, iam enim ſuprà definiuimus noſtras potentias effectiuè concurrere ad hos actus excitantis gratiæ, quantumuis ſupernaturales ſint: non poſſunt autem effectiuè concurrere niſi conatum adhibendo; ergo aliquis conatus ex parte recipientis neceſſarius eſt, ad primam etiam excitationem diuinam. Hic autem conatus non poteſt dici naturalis, niſi fortaſsè impropriè, & per denominationem extrinſecam, quatenus eſt ab ipſa potentia, quæ eſt entitas naturalis, in ſe tamen ſpectatus ſupernaturalis eſt, quia eſt realiter idem cum actu ſupernaturali, & ipſamet actio, quia talis actus fit à Deo, principaliter, & à potentia inſtrumentaliter, *D. Thom.* vt loquitur D. Thomas 3. contra gent. cap. 149. ideóque non eſt à potentia, vt naturalis eſt, ſed vt obedientialiter ſubeſt motioni diuinæ. Ac proinde ex tali conatu potentiæ non minuitur ratio gratiæ in tali motione, tum quia non eſt liber, ſed neceſſarius, tum etiam, quia non eſt præuius, ſed ſimultaneus cum influxu Dei. Neque etiam obeſt ſupernaturalitati actus, quia tribuitur per potentiam obedientialem, vt dixi: potentia autem obedientialis optimè poteſt influere in actum ſupernaturalem, vt in lib. 2. explicaui, & in his actibus neceſſariis multo facilius, quàm in liberis intelligitur.

2. Sententia Molinæ de concurſu ex parte hominis ad hibendo proponitur.

Difficultas ergo eſt de conatu præuio, qui interdum ex parte hominis adhibendus eſt, vel adhibetur, vt tandem naturalem vocationem internam obtineat, de quo conatu diſputant prædicti auctores. Nam Molina dicit poſſe, & debere hominem naturalem conatum ad aliquas actiones naturalis ordinis adhibere, vt per eum non ſtet, quominus proximè ad fidem vocetur interiùs. Huiuſmodi ſunt conatus, vt diligentia ad audiendam fidem, & conſiderandum. Item intentio, vel deſiderium aliquod inueniendi veritatem, ſeu veram religionem, & ſalutis viam, & ſimiles, nam hæc, & ſimilia regulariter neceſſaria ſunt ante fidem, quia Deus ſe accommodat naturali modo procedendi hominis in acquirenda cogitatione, & merito ab illo poſtulat diligentiam in his, quæ ex parte ſua cum generali concurſu ſuo efficere poteſt. Illa autem omnia, quæ diximus, talia ſunt, vt per conatum naturalem fieri poſſint, imperfecto quidem modo, ſufficiente tamen ad illud remotum, & quaſi externum initium fidei: nam adire concionem, & audire illam naturale quid eſt, & neceſſarium ad acquirendas ſpecies, quibus de rebus fidei cogitari poſsit. Item illa actio in initio non fit ex motiuo ſupernaturali, non enim poteſt tale motiuum haberi ante perfectum auditum fidei; ergo debet fieri ex motiuo naturali, ergo actu, & conatu naturali. Idemque conſequenter dicendum erit de aliis actionibus voluntariè attendendi, cogitandi, deſiderandi, imò & petendo agnitionem veritatis, ſeu veram fidem in illa materia: nam omnes iſti actus eſſe poſſunt ordinis naturalis, quatenus imperfecto, & humano modo poſſunt in illa materia verſari; ergo vt homo non ſit negligens in ſua ſalute, oportet, vt in his omnibus per naturalem conatum faciat, quod potuerit.

Hæc verò ſententia aliis modernis Theologis diſplicet, quia videtur nimium tribui naturæ, & libero arbitrio operanti ex ſolo conatu naturali in ordine ad ſuam ſalutem. Nam regula doctrinalis in hac materia eſt, nihil omnino poſſe facere hominem, quod aliquo modo conferat ad ſalutem æternam, ſine gratia Dei per Chriſtum; iuxta verbum Chriſti, *ſine me nihil poteſtis facere*, id eſt, vt ponderat Auguſtinus, *neque multum, neque parum, neque magnum, neque paruum*, vt multis aliis teſtimoniis in lib. 2. confirmatum eſt. In illis autem actionibus, quas enumerauimus, quibus auditor doctrinæ fidei paulatim tendit ad internam vocationem proximè ſufficientem ad voluntatem credendi multæ ſunt actiones valde vtiles, & regulariter neceſſariæ ad ſalutem, iuxtà ordinarium modum prouidentiæ diuinæ ergo non poſſumus dicere omnes illas fieri ſolo conatu naturali, neq; videtur modo loquendi Scripturæ, & conciliorũ conſentaneum. Minor cum conſequentia declaratur. Nam in primis opportunitas habendi Prædicatorem Euangelij, gratiæ Dei tribuenda eſt, vt probat exemplum vocationis Pauli ad prædicandum in Macedoniã, non in Aſia ſeu Bithynia; Actor 16. Et ſæpe docet Auguſtinus vt videri poteſt ſuprà Pſal. 87. & ſuper Pſalm 134. & lib. quinquaginta Homiliarum in 23. lib. 1. de peccator merit. & remiſſ. cap. 22. & q. 2. ad Simplic. & Gregorius 20. Moralium cap. 18. quia neque poteſt homo illam occaſionem ſibi præparare, neque ſine Dei prouidentia peculiari euenire poteſt. Deinde attendere vt oportet ad ea quæ prædicantur, gratiæ Dei eſt, iuxta illud quod de Lydia purpuraria dicitur Actor. 16. *cuius Dominus aperuit cor, attendere his, quæ dicebantur à Paulo.* Item cogitare de eiſdem rebus in ordine ad ſalutem comprehenditur ſub illa regula Pauli 2. ad Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis*, vt ſuprà cum Auguſtino, & aliis Patribus explicauimus. Denique deſiderium, petitio, & ſimilis actus ſi ad fidem aliquo modo conducunt, videntur comprehendi ſub regula Concilij Arauſicani cap. 6. & 7. *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, &c. non autem vt hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem, & inſpirationem ſancti Spiritus in nobis fieri confitetur, reſiſtit Apoſtolo dicenti, Quid habes quod non accepiſti? Item ſi quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet, vitæ æternæ cogitare poſſe affirmat ſine inſpiratione Spiritus ſancti, hæretico fallitur ſpiritu.*

3. Diſplicet modernis Theologis qui in contrarium adducunt loca Scripturæ & Patrum. Regula quædam doctrinalis in hoc matetra. *Auguſt.* *Greg. Magn.* *Act.* 16. 14. 2. *Cor.* 3. 5. Regula Arauſicani.

Vt item hanc aliquo modo componamus, & rem ipſam ſine verborum ambiguitate, vel contentione declaremus, diſtinguamus duplicem vocationem ad fidem, videlicet remotam & proximam, ſeu externam, & internam. Remotam voco illam, quam poteſt facere homo plantando, & rigando; proximam verò, quam interiùs facit homo, vt homo ſit maximè potens ad ſuam conuerſionem; aliqua dixit Gregorius Homil. 33. in Euangelium, loquens de Chriſto, & Magdalena, *ipſe eam per miſericordiam traxit intus, per manſuetudinem ſuſcepit foris.* Et Leo Papa loquens de Stella, & Magiſt. ſerm.

4. Ad eundã quæſtionẽ præmittitur diſtinctio duplicis vocationis ad fidem, i. eſt remota & externa, & proxima & interna.

1. de Epiphania, *Dedit* (inquit) *aspicientibus intellectum, qui præstitit signum, & quod fecit intelligi fecit requiri, & se inueniendum obtulit requisitus.* Et Augustinus de Corrept. & grat. cap. 6. *Corripiatur peccator, vt strepitu correptionis forinsecus insonare Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur & velle.* Priorem verò vocationem appello remotam, quia per se non sufficit, nec dat auxilium sufficiens, sed quamdam inchoationem, & quasi materialem præparationem ad illam; alteram verò proximam, quia vt dat sufficientem facultatem operandi, & ex illa potest immediatè sequi voluntas credendi.

5.

1. Conuenientia inter vtramque vocationē, vtraq; pertinet ad gratiam excitantem.

Secundò aduerto has duas vocationes partim conuenire, partim differre. Conueniunt in primis, quòd vtraque sit, vel incipit in nobis ad aliquam illarum proximè cooperantibus liberè: nam vtraque pertinet ad motionem, seu gratiam excitantem, de qua suprà ostensum est fieri in nobis sine nostra libera cooperatione. Et de priori quidem patet, quia per illam fit quasi prima apprehensio, vel conceptio rerum fidei, ante quam non potest præcedere voluntas, quæ circa eadem res versetur. Et licèt contingere possit, vt aliquis voluntariè accedat ad audiendam fidem, & hac ratione notitia, vel apprehensio inde comparata possit dici liberè acquisita, nihilominus necesse est, vt ante illam voluntatem antecedat prior aliqua apprehensio fidei, seu prædicationis eius saltem incitet, & tunc ab illa apprehensione incipit talis vocatio, & ita semper reducitur ad aliquam primam motionem, quæ in nobis fit sine libertate nostra. De altera vero interna vocatione, id est in superioribus probatum, & patebit magis ex dicendis. Secundò conueniunt quòd vtraque vocatio pertinet ad ordinem gratiæ, & prouidentiæ supernaturalis. De interna id satis patet ex dictis: de externa verò probatur, quia ordinatur ad internam, quæ supernaturalis est, & originem ducit ex donis gratiæ, quæ ad trahendos, & vocandos homines ad fidem & pœnitentiam Deus in Ecclesia sua præparauit, & ita est beneficium gratiæ, & prouidentiæ supernaturalis. Vnde D. Thomas in 2. d. 28. q. 1. art. 4. ait quodlibet exercitium etiam naturale, quatenus ordinatur à Deo ad conuersionem supernaturalem, dici posse gratiam. Denique ex distinctione posita in principio capitis præcedentis id manifestum est. Tertiò conueniunt, quia in vtraque saluatur vera ratio gratiæ, vt significat donum gratuitum, quod non ex operibus datur, quod quidem de prima vocatione externa manifestum est, quia ante illam nihil potest ex parte hominis præcedere, quod ad illam ordinetur, vt ex declaratione proximè data, & ex doctrina Augustini ad Simplician. q. 2. & de bono perseuer. cap. 14. de spirit. & liter. cap. 33. & 34. manifestum est. De posteriori autem probatum est latè superiori lib. cap. 15. & magis ex sequentibus declarabitur.

2. Conuenientia. Vtraq; pertinet ad ordinem gratiæ & prouidentiæ supernaturalis.

D. Thom.

Tertia conuenientia, in vtraque saluatur vera ratio gratiæ vt doni gratuitum est. *August.*

6.

Discrimen præcipuum inter vtrãque vocationem, exterior est in substantia sua naturalis, interior verò supernaturalis.

Differunt autem hæ duæ vocationes in hoc maximè, quòd exterior est in substantia sua naturalis, interior verò supernaturalis. Hoc secundum probatum est in cap. præcedenti. Primum autem indubitatum videtur, quia sicut ex parte ministrorum Ecclesiæ externa prædicatio est in substantialis, vt per se patet, ita ex parte audientis prima illa conceptio & apprehensio naturaliter fit. Vnde sicut de excitatione supernaturali diximus non fieri propriè conatu naturali, sed obedientiali à nostris potentiis, ita prorsus de interna vocatione dicendum est, quia sunt omnino idem. At verò excitatio illa, quæ proximè fit per vocationem externam, per naturalem connatum potentiæ fit, quia tam actus ipse, quàm productio eius naturalis est: vt diximus, & eadem ratione voluntas audiendi Prædicatorem, quæ interdum antecedit, vt dixi, in substantia sua naturalis est, quia non est voluntas credendi, sed audiendi tantùm, quæ in eo statu non potest ex motiuo supernaturali procedere; imò contingit aliquando vt sit peccaminosa, vt si quis velit audire prædicantem animo irridendi illum, & nihilominus potest Deus illamet voluntate postea bene vti ad conuertendum in illamet concione talem peccatorem. Et si licèt illa voluntas non fuerit ex gratia, permissio illius potuit esse ex prouidentia gratiæ. Aliquando verò esse potest illa voluntas ex intentione bona discendi veritatem, & tunc erit quidem ex aliqua bona inspiratione Dei, nondum tamen supernaturali in substantia, quia motiuum illud generale nondum est supernaturale, neque includit absolutam credendi voluntatem.

Vocatio illa externa potest esse interdum peccaminosa.

7.

Secundò differunt, quia externa vocatio est simpliciter prima, interna verò comparatione illius est secunda, quamuis in ordine superioris diuinæ gratiæ supernaturalis simpliciter, & in entitate sua interna vocatio sit prima simpliciter; quia verò vocatio exterior ad interiorem ordinatur, & per se sola, quasi nihil est, nisi per interiorem quasi formetur, ideo ex vtraque fieri censetur vna vocatio perfecta, quæ prima gratia auxilians simpliciter vocari solet.

Secundo differunt.

Exterior vocatio simpliciter prima interna respectiuè ad illius est secunda, sed in ordine supernaturali.

8.

Tertia differentia & notanda est, quòd ante vocationem primam externam nullus actus liber ex parte hominis antecedit, qui ad illam per se, vel ex intentione operantis referatur, vt paulo antea satis explicaui, quia ante illam vocationem nulla cogitatio salutis, vel rerum fidei in mentem subit: sine hac autem cogitatione, non potest subsequi actus liber. At verò possunt aliqui actus liberi ab homine fieri circa materiam talis vocationis, antequam supernaturalem vocationem internam recipiat, quia non semper dat Deus internam inspirationem supernaturalem in eodem momento, vel tempore in quo homo incipit audire res fidei, sed magna temporis mora inter illam, & alteram vocationem potest sæpiùs intercedere: tum quia de hoc nullam habemus certam legem, aut promissionem Dei, sed pendet ex eius libera voluntate, & ita quosdam velociùs, quosdam tardiùs vocat: tum etiam, quia non potest homo subitò percipere fidem sibi propositam, & credibilitatem eius, & sæpè necessarium est, errores priùs conceptos repellere, & de falsitate illorum aliquo modo conuinci, quod sine mora temporis non fit. Et quamuis possit Deus efficacitate sua, & abundantia luminis subitò mentem illuminare; regulariter tamen loquendo non ita facit, sed hominem humano modo paulatim ducit, priùs per homines instruendo, & postea tempore opportuno internam vocationem immittendo. Hac ergo ratione sæpè intendere potest homo iam exteriùs vocatus liberè facere aliquos actus, antequam supernaturalem inspirationem internam recipiat, vt sunt suprà numerati, scilicet applicare mentem ad cogitandum, vel meditandum de rebus auditis, aut velle iterum eas audire sicut Athenienses, qui Paulum audierant, licèt nondum credidissent, dixerunt Paulo, *Audiemus te de hoc iterum*, Actor. 17. & similes.

Tertia diff. circa hanc vocationē primam externam nullus actus liber potest habere ex parte hominis antecedit intentionē parati. Secus est in vocatione interna.

Sæpè intendere potest homo exteriùs vocatus liberè facere aliquos actus naturales antequam vocationē internam recipiat.

Explicantur actus intermedij liberi inter vtramque vocationem.

De his ergo actibus mediis inter vtramque vocationem videtur esse controuersia inter dictos

Cardo controuersiæ

auctores:

auctores, nam de vocationibus ipsis, quatenus, sunt actus quidam non liberi, nulla controuersia vel inqui potest, si ea, quæ diximus, attentè consideremus. De illis autem intermediis actibus liberis multa quæri possunt. Primum, quo conatu, quibusve fiant viribus. Secundum quantum ad obtinendam internam vocationem conferant. Tertium, quæ sint ad illam necessaria. Ex quibus primum est, quod præcipuè hîc agimus, in illóque dicendum in primis est, illos actus esse quoad substantiam naturales. Probatur primò, quia ante supernaturalem excitationem non potest esse in homine actus liber supernaturalis quoad substantiam, vt ex dictis hîc, & in libro præcedenti constat: sed isti actus antecedunt primam excitationem supernaturalem, vt declaratum est; ergo non sunt in substantia sua supernaturales; ergo naturales. Secundò est simile argumentum, quod ante voluntatem credendi supernaturalem, & primum actum fidei illi correspondentem, nullus est in homine actus humanus, ac liber supernaturalis ordinis: illi autem actus liberi, de quibus tractamus, antecedunt fidem infusam, & voluntatem credendi; ergo sunt ordinis naturalis. Tertiò est ratio à priori, quia isti actus non habent obiecta formalia supernaturalia, quia neque obiectum fide supponitur pro illo tempore sufficienter propositum, vt in discursu declaratum est, neque ante fidem excitatur voluntas ab obiectis propriis & formalibus aliarum virtutum infusarum. Igitur toto illo tempore versatur voluntas circa illam materiam, vt subest alicui motiuo naturali, siue illud speciale sit, quale est cupere, inuenire veram fidem, aut religionem, quod etiam Iudæi, & Ethnici facere possunt.

Hinc ergo vlterius sequitur, actus illos fieri conatu naturali, & viribus liberi arbitrij moraliter excitati, & adiuti per antecedentem vocationem, licèt externam. Primum patet, quia illi actus sunt naturales in substantia, ergo fiunt per actionem naturalem: actio autem, & conatio naturalis idem sunt; ergo fiunt conatu naturali. Ad exhibendum autem naturalem conatum, naturales vires sufficiunt; ergo actus illi quoad substantiam suam fiunt per naturales vires liberi arbitrij. Vlterius verò addimus illos actus non fieri cum modo aliquo reali, ac physico in illis existente, qui supernaturalis sit, nam talis motus neque nobis videtur possibilis, quantum sub philosophicam notitiam cadit, vt in loco præcedenti latè discurrimus, & quamuis cogitaretur possibilis, frustrà, & sine fundamento fingeretur inesse his actibus, ergo neque ratione talis modi necessariæ sunt vires, vel conatus vltra naturales ad efficiendos hos actus. Et ita de similibus actibus loquuntur communiter Theologi, vt patet ex Scoto, Gabriele, & aliis in 3. distinct. 23. dicentibus audita prædicatione Euangelij posse hominem prius credere per vires naturæ fide acquisita, quàm infusa. Imò Gabriel quæst. 3. concluf. 1. putat illum ordinem esse necessarium, scilicet, prius assentiri propriis viribus imperfectè, vt paulatim eleuetur ad actum infusum, & perfectum. Et Vega lib. 6. in Trident. cap. 13. dicit vt plurimum ita esse. Nobis verò satis est, quòd id possit fieri, & sæpè fiat. nam si audita fide potest homo progredi vsque ad assensum naturalem, sua libertate, discursu naturali fundato tantùm in humana authoritate, vel sensibilibus signis, & argumentis, multo magis poterit eadem libertate vel imperfectè desiderare maiorem cogitationem illarum, vel se mouendo ad audiendum verbum prædicationis, vel ad attendendum, cogitandum, &c.

Sunt ergo hæc naturalia in substantia sua, & naturali virtute fiunt ex propria efficacia physica: nam moraliter necessaria est excitatio præuia, quæ licèt in se naturalis sit, & naturali conatu fiat, nihilominus gratia est, quatenus ex prouidentia gratiæ procedit. Vnde simili modo possunt prædicti actus, licèt naturales sint, inter dona gratiæ computari, quia neque fiunt sine aliquo auxilio gratiæ, neque ipsi erant debiti naturæ, nec concursus, qui ad illos datur est prouidendebitus ex vi naturalis prouidentiæ, sed suppositio ordine gratiæ. 11. Resolutionis tertia pars necessaria est excitatio præuia naturalis, quæ prout datur ex prouidentia gratiæ. donum gratiæ est.

Et hoc ad summum probant, quæ in fauorem secundæ sententiæ adduximus: nam licet principaliter procedant de inspiratione diuina, & excitatione supernaturali, quæ datur tanquam proximum auxilium ad actum supernaturalem, & infusum, nihilominus cum proportione procedunt in his actibus imperfectis, quatenus aliquo modo ad finem vocationis conducunt, nam vt sic ad ordinem gratiæ pertinent secundùm quendam modum, & non fiunt sine aliquo auxilio gratiæ excitantis, nam, vt diximus, illa vocatio præuia, licèt ex sensibilibus orta, gratia quædam est, & propter Christum datur. Neque Molina, neque alius ex defensoribus primæ sententiæ excludunt à prædictis actibus hoc genus gratiæ, sed solam illam, quæ ordinis est supernaturalis, vt apertè declarauit Molina disput. 35. in fine, & 36. in principio in Concord. ad artic. 13. & ita in illo primo puncto nulla videtur superesse difficultas. 12. Ad motiua secundæ sententiæ. *Molina.*

Notanda circa secundum & tertium dubium propositum supra num. 9.

Circa secundum autem, & tertium punctum, quæ proposui, quia magis pertinent ad librum sequentem, hîc pauca breuiter aduertam. Vnum est, hos actus liberos qui possunt, & solent intercedere inter primam excitationem externam, duobus modis posse comparari ad primam excitationem supernaturalem, seu primum salutis auxilium, scilicet, vel per modum meriti, seu moralis dispositionis, vel remouendo impedimentum, & quasi materialiter habilitando subiectum. Aliqui ergo Auctores Catholici primum genus causalitatis in his actibus respectu primæ excitationis supernaturalis admittunt. qui in hoc à Semipelagianis discrepant, quòd illos actus, & qualemcunque rationem meriti, vel dispositionis moralis in eis inuentam non tribuunt soli libero arbitrio, sed vt excitato, & adiuto per excitationem illam externam, & cogitationem honestam inde conceptam, quæ gratia est, cùm sit vltra naturæ debitum, & ex supernaturali prouidentia proueniat, etiamsi nondum sit in sua entitate supernaturalis. Mihi autem hæc sententia non placet, tum, quia illa gratia non videtur excedere rationem legis, & doctrinæ, & ita neque Semipelagiani illam negarunt, tum, quia ante internum, & proximum fidei initium non potest esse in homine aliquod meritum doni alicuius supernaturalis, aliàs fides ipsa, & initium fidei posset sub aliquod meritum cadere, quod admittendum non est, vt libro sequenti ostendam. Dico ergo omnes illos actus, eo ipso quòd neque ex fide, neque ex interno auxilio supernaturali procedunt, non esse proportionatos ad meritum quodcunque in causalitatem moralem internæ vocationis supernaturalis. 13. Duplex ratio causalitatis in actibus intermedius considerati potest, per modum meriti, vel remouendo impedimentũ. Placet nonnullis orthodoxis Doctoribus primũ genus causalitatis. Improbatur à nobis. *Axioma,* Ante internum & proximum fidei initium non potest esse in homine aliquod meritum doni supernaturalis. 14.

Alio ergo modo possunt illi actus aliquo modo

conferre materialiter tantùm, & ex parte subiecti remouendo impedimenta vocationis, & acquirendo dispositionem corporalem, vel habitudinem, quæ minus ineptum reddat hominem ad vocationem. Et primò quidem dum homo se exercet in his actibus, noua cauet peccata, quæ possint vocationem impedire, & ex parte sua excutit torporem, & negligentiam, quæ possit illi ad culpam imputari: deinde si homo sit diligens in recogitatione eorum, quæ audiuit à Prædicatore fidei, fieri potest, vt perueniat ad cognoscendum errorem naturali rationi contrarium, in quo versabatur. Hac enim ratione Prædicatores Euangelij prius solent infideles suorum errorum conuincere, quàm eis supernaturalia mysteria persuadeant, quia deponere errorem, vel nimium affectum ad aliquam sectam, faciliorem reddit fidei introductionem, saltem remouendo prohibens. Idem ad recipiendam vocationem internam necessariæ sunt species intelligibiles, quæ per auditum Euangelij naturaliter acquiruntur, & per eas in principio naturaliter fit aliqua conceptio, & apprehensio imperfecta, & per recogitationem similem melius conseruantur in memoria, quod multum confert, vt postea Spiritus sanctus illis speciebus, & intellectu illis confirmato tanquam instrumento vtatur ad efficiendam internam vocationem supernaturalem. Et declaratur, nam, vt suprà dixi, hoc modo ministri Ecclesiæ per verbum Dei externum menres audientium præparant, & aliquo modo disponunt, vt eas postea Spiritus sanctus sua præsentia illustret, vt dixit Gregorius Hom. 17. in Euangelia, quam præparationem significauit Paulus per verbum plantandi, & rigandi; plantare enim dici possunt, quatenus species rerum diuinarum mentibus imprimunt, & ad eas concipiendas manuducunt; rigare verò quatenus ad aliquem affectum excitant: ergo etiam ipse homo potest suo ingenio, & arbitrio ad hanc quasi moralem præparationem cooperari, recogitando, & mentem eleuando, & semine verbi concepto, provt potuerit vtendo.

Expenditur causalitas materialis remouendo impedimenta vocationis variis modis.

Primus modus.

Secundus.

Tertius.

Illustratur hac doctrina.

Gregorius Magn.

15. Idem potest ex parte affectus declarari. Primum quoad remotionem impedimenti: nam affectio naturalis, & humana ad propriam opinionem, vel sectam, vel etiam ad honores, & res corporales nimium impediunt; ita vt neque animus conuenienter applicari possit ad res fidei audiendas, & concipiendas. Igitur si quis vel rationibus humanis inducatur ad tollendum, vel minuendum illum affectum, & ad hoc adhibeat suum conatum naturalem excitatum verbo Dei, aliquid poterit illa diligentia conferre ad vocationem saltem per modum remouentis prohibens. Et licèt verum sit simílem affectionem, si magna sit, non posse sine auxilio gratiæ superari, potest ad hoc interdum sufficere auxilium ordinis naturalis, quod peculiari etiam modo datur per ipsam vocationem ad fidem licèt externam, nam per illam excitantur in homine cogitationes, & affectiones honestæ, quæ licèt in illo initio sint imperfectæ, & ordinis naturalis, iuuare possunt ad aliquam contrariam affectionem eiusdem ordinis moderandam, & sic ad tollendum aliqua ex parte impedimentum fidei. Præterea naturalis complexio, vel proprietas ingenij potest ex parte subiecti esse magis accommodata huic vocationi, quàm illi, nam qui habet, v.g. complexionem sanguineam, facilius amore ducitur, alius verò magis timore mouetur: & Deus frequenter suam motionem hominis conditioni accommodat, licèt non semper eam proportionem seruet. Et Augustus de bono perseuer. cap. 14. dixit, *habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter lumen intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba vel signa conspiciant.* Sicut ergo naturalis complexio, vel proprietas potest quasi naturaliter ad vocationem conducere, non vt causa, & ratio eius, sed vt à nobis facilius percipiatur, si detur ita aliqua affectio acquisita per actus bonos, potest per illam proportionem, seu temperamentum inducere, vel augere. nam consuetudo imitatur naturam; vnde sicut per prauos actus contrarios prædicationi fidei induratur cor, ita per bonos licèt naturales, potest paulatim affici, & materialiter huic, vel illi vocationi magis coaptari, atque hoc modo dixit P. Vasquez 1. p. disp. 93. cap. 4. circa finem non pertinere ad Semipelagianam sententiam concedere dispositionem naturalem ex nobis, aut ex bona indole naturali, non quidem ad gratiam obtinendam, sed vt gratia, & misericordia collata faciliùs in nobis operetur.

Necnon ex parte complexionis naturalis vel genij.

Augustus.

Nec non ex parte complexionis naturalis vel genij.

Prædicatores.

Iudicium authoris, circa totum statum huius controuersiæ.

16. Igitur aliquo ex his modis non repugnat hominem vocatum exterius ad fidem illamet vocatione, & generali concursu Dei aduitum aliqua opera facere, quibus vel non fiet per illum vocatio interior, neque illi impedimentum ponat, vel etiam fiat materialiter aptior ad vocationem illam recipiendam, vel illi instrumentaliter cooperandum, cùm sine aliqua eius efficientia non fiat, vt suprà diximus. Estque hoc valdè consentaneum conditioni hominis, & ordinario modo prouidentiæ Dei, qui ab homine cooperationem accommodatam requirit. Et aliunde non repugnat gratiæ quatenus gratis danda est, quia talis dispositio, (vt dixi) nullum motiuum fundare potest. Vnde neque est mortuum, propter quod Spiritus sanctus conferre debeat supernaturalem excitationem, & ideo pro sua libera voluntate interdum excitat obduratum, vel illuminat negligentem, & alium non adeò prauum, vel aliquem bonum affectum habentem non ita præuenit interius, vt sequenti libro latius videbimus. Neque etiam hoc genus dispositionis repugnat gratiæ, vt supernaturalis forma, vel motio est, dispositio per se conferens ad illam, sed est quasi tollens impedimentum, vel minuens ineptitudinem & improportionem subiecti, sicut dicunt Theologi Deum distribuisse Angelis gratiam iuxtà proportionem naturalem, non quia naturalis perfectio fuerit motiuum dandi gratiam, vel dispositio per se ad illam; sed quia ex parte subiecti erat quasi materialis dispositio, congruitatem, & maiorem quandam habilitatem inducens. nec denique difficultas alia in hoc occurrit, quæ alicuius momenti esse videatur.

Affirm.

Non solùm possibile sit actus internos mediante vel etiam concomitante accelerari, prouocari & meliùs disponi ad illum recipiendum, sed etiam aliquando necessarium.

Quamuis certum.

17. Ex quo tandem facilè declaratur, quàm sint necessarij isti actus, quibus homo provt potest, primæ externæ vocationi cooperatur, seu illa benè vtitur, vt primam excitationem internam, & supernaturalem consequatur; si enim absolutè loquamur, & necessitatem hanc per respectum ad potentiam Dei spectemus, clarum est non esse cooperationem liberam hominis, nam si Deus velit, nescit tarda molimina eius gratia, vt Gregorius dixit; potest ergo ad vocem primam Prædicatoris illuminare mentem, non solùm sufficienter, sed etiam efficaciter sicut fecit vocando Matthæum, aut Paulum vel Magdalenam, imò non solum voce, sed etiam aspectu solo potest id facere, vt respiciendo Petrum illum interius ad pœnitentiam conuertit, & de Magis credibile est

Quamuis certum.

est visa sensibili stella statim fuisse interius illuminatos. Et cum multis aliis Deum illa liberalitate vti certissimum est: non pro illorum meritis, aut cooperatione, sed iuxta consilium voluntatis, & gratiæ suæ; ordinariè verò relinquit Deus homines operari per ordinaria media gratiæ, quæ in Ecclesia sua pro omnibus instituit, & iuxta hanc mensuram, & modum vocationis, & adiutorij quæri potest, quanta sit necessitas illarum actionum liberi arbitrij, quas explicuimus.

18. Duplex est illorum actuum ordo.

In quo breuiter distinguere possumus duos ordines talium actuum, quidam sunt ex natura rei aliquo modo ordinati ad complendam capacitatem hominis respectu supernaturalis excitationis, vt sunt v. g. audire verbum prædicationis, vel illo audito, & non satis intellecto, de illo

Primus ordinatur per se ad complendam capacitatē hominis respectu excitationis supernaturalis.

ampliùs interrogare, vel cogitare, & consequenter velle ad hoc applicare intellectum, & auertere cogitationes impedientes, & similia. Idemque cum proportione intelligendum est de vocatione ad pœnitentiam, vel ad perfectionem, aut ad quemlibet alium progressum virtutis. Nam omnes hæ vocationes ordinariè fiunt per verbum Dei externum, aut voce prolatum, aut scripta, aut per alia exteriora signa, vel exempla, quæ mentem excitant, non statim supernaturali excitatione, sed memoriam, & affectum naturali modo mouendo, & ideo non oportet vt homo contemnat illam inchoationem gratiæ, sed illi pro viribus cooperetur, vt altiori gratiæ Dei impedimentum non ponat. Ad hunc ergo modum possunt isti actus esse moraliter necessarij, & suo modo pertinent ad communem gratiæ cursum, vt explicatum est. Alij verò esse possunt actus,

Secundus non per se, sed liberè ad finem ordinatus ab homine.

non ita per se ordinati ad vlteriores, sed qui ex libertate hominis exerceri possunt, & sunt valde affines prioribus actibus, vt sunt desiderium salutis, licèt imperfectum per modum velleitatis, petitio eiusdem salutis, vel mediorum ad illam obtinendam. Et hi quidem actus, si sunt in homine iam fideli, & ex fide aliquo modo procedant, possunt esse dispositiones morales remotæ, seu impetratoriæ. Et sine dubio sunt valde vtiles etiamsi contingat non esse in substantia supernaturales, quia per influxum fidei aliquo modo eleuantur, & ita non fiunt sine auxilio aliquo gratiæ. At verò si tales actus præcedant fidem, & ex-

Limitatur superior doctrina.

ternam vocationem supernaturalem ad illam, tunc non solùm necessarij non sunt, sed etiam per se nihil conferunt ad obtinendam gratiam internam Dei, quia sunt improportionati, & nullo modo fundantur in fide; non sunt tamen contemnendi, quia & remouent impedimenta, & aliquo modo afficiunt hominem ad id quod bonum est, & ita relinquunt animum de se magis aptum, saltem physicè, vt suprà explicaui, vt facilius, & cum minori repugnantia possit ad perfectum fidei affectum supernaturaliter excitari, quod quidem nihil obest rationi gratiæ, cum hoc ipsum ex aliqua gratia procedat, vt declaratum est.

19. Quatuor modis mēs nostra excitari potest ad bene operandum vel cauendum malum.

Vltimò ex dictis colligere possumus tres, vel quatuor modos, quibus potest mens nostra excitari ad bene operandum, vel ad cauendum malum, qui omnes à Deo sunt, non tamen pariter, sed secundum eandem rationem. Prima excita-

Primò per excitationē merè naturalem secundum cursum naturalis prouidentiæ diuinæ.

tio est merè naturalis, id est, per communem cursum naturalis prouidentiæ diuinæ, & causarum secundarum, quam esse posse & congruam, & incongruam, & neutro modo pertinere ad beneficia gratiæ, sed naturæ, maiora, vel minora in libro primo ostensum est. Secundus ordo excitationis est, quæ dantur à Deo ex peculiari prouidentia, & liberalitate in maiori perfectione, vel abundantia, quàm per communem cursum causarum secundarum fieri possint, in se tamen naturales sunt, & circa obiecta solùm naturalia versantur. Et huiusmodi excitationes reuera sunt gratia, non tamen attingunt intrinsecè (vti dicam) ordinem supernaturalem, & dari possunt solùm ad iuuandam naturam in ordine ad honestatem, & finem naturalem, licèt de facto semper à Deo ad supernaturalem finem ordinentur. In tertio ordine sunt excitationes quæ immediatè pertinent ad ordinem gratiæ, & prouidentiæ supernaturalis; & hæ in duplici differentia esse possunt. Nam quædam sunt motus in sua substantia naturales, quia mediis sensibus in mente naturali virtute excitantur, nihilominus immediatè, & quasi intrinsecè pertinent ad ordinem gratiæ ratione materiæ in qua versantur, & quia ex peculiari & supernaturali prouidentia tribuuntur, & præparantur causæ à quibus proueniunt. Aliæ sunt in substantia sua supernaturales, & à Spiritu sancto immediatè mentibus infunduntur tanquam auxilia proxima, & proportionata actibus humanis per se infusis, & in se supernaturalibus. quæ omnia membra ex doctrina huius, & præcedentis capituli declarata manent: visum est autem sub compendio illa sic proponere, quia & ad omnia superiùs dicta de necessitate gratiæ, & ad distinguendum Semipelagianorum errorem à Catholica doctrina magnam lucem afferre possunt; & quia in libro sequenti ad explicandam sufficientiam gratiæ illorum cognitio erit nobis necessaria.

Secundò per excitationem data ex peculiari prouidentia. & liberalitate in ordine ad finem naturalem.

Tertiò per motus entitatiuè naturales in ordine ad finem supernaturalem

Quartò per motus in substantia sua supernaturales

CAPVT XIII.

Vtrùm præter excitantem gratiam sit necessaria gratia adiuuans ab illa distincta.

HActenus de excitante gratia dictum est nunc ad complendam diuisionem gratiæ in excitantem, & adiuuantem oportet ipsam adiuuantem explicare. Et in primis supponimus ad bene operandum sicut oportet ad salutem necessariam esse gratiam adiuuantem. Primò, quia ex Scriptura sacra id apertè colligitur, nam in illa sæpè Deus vocatur adiutor noster Psal. 62. *In meditatione tua meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.* Vnde Augustin. *Nisi Deus adiuuet opera nostra, impleri à nobis non possunt. & digna debemus operari.* quasi dicat vt opera nostra digna sint, necessarium esse Dei adiutorium. Vnde etiam est illud Psalm. 53. *Ecce enim Deus adiuuat me.* vbi Augustinus. *Omnes Sancti adiuuantur à Deo, sed intus, vbi nemo videt.* Item Psalm. 18. *Domine adiutor meus, & Redemptor meus.* Vbi autem Augustinus, adiutor in bonis, & Redemptor in malis, *Adutor vt habitem in charitate sua, redemptor ab iniquitatibus meis.* Et pleraque sunt Scripturæ loca, in quibus vel Deus vocatur adiutor noster, vel nos ab illo petimus vt nos adiuuet, vel confitemur sine ipsius adiutorio non posse saluari: adiuuat nos autem Deus per gratiam adiuuantem. Secundò nihil frequentius est in ore omnium fidelium, nihilque sæpius repetit Ecclesia in suis publicis orationibus, quàm illud, *Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me festina.* quod ex Psalm. 69. sumptum est. Item

1. Assertio prima, Necessaria est gratia adiuuans ad operandum sicut oportet ad salutem.

Probatur ex Scriptura, Augustin. & Conciliis Psal. 617. Psal. 53. 4. Psal. 18. 15. Augustin.

repetit

repetit illud, *Adiutorium nostrum in nomine Domini* — *Psal. 123. 8.*
qui fecit cælum & terram, ex Psalm. 123. Item Concilium Mileuitanum, & Arausicanum definiunt gratiam esse necessariam in adiutorium nostrum. Distinctius verò Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 3. necessitatem gratiæ excitantis, & adiuuantis definiuit. Tertiò hæc est doctrina Augustini, qui pro hac gratia adiuuante maximè contra Pelagium pugnauit, præsertim lib. de Grat. Christi cap. 23. & sequentibus, & lib. 2. contra duas epistol. Pelagiani. cap. 9. & epistol. 105. 106. & 107. & aliis locis, quæ in sequentibus allegauimus. Rationem autem seu necessitatem huius gratiæ, nisi priùs, quid illa sit, & ad quid detur, intelligatur, explicare non possumus.

Concil. Mileuit. — *Augusti.*

2. Difficultas circa distinctionem gratiæ adiuuantis ab excitante.

Priùs verò oportet vocis ambiguitatem tollere: ideóque inquiri potest, an gratia adiuuans sit aliquid diuersum ab excitante. Ratio dubitandi est, quia gratia excitans nos adiuuat; ergo est gratia adiuuans, ergo illæ gratiæ nullo modo distinguuntur. Antecedens patet, quia excitans gratia est quasi doctrina interna, vel admonitio diuina, vel inclinatio, aut propensio ad aliquid. Magister autem docens adiuuat discipulum; ergo multo magis Deus interius docet, & adiuuat hominem. Vnde & Prædicatores Euangelij adiutores Dei dicuntur 1. Corinth. 3. quia Deum in docendis, & instruendis hominibus iuuant. Item qui alium monet, iuuat illum, iuxta illud Psalm. 2. *Adiuuantes exhortamur, &c.* Denique propensio, & inclinatio sine dubio multum iuuat in quocunque opere; ergo gratia excitans omnibus his modis nos adiuuat: est ergo gratia adiuuans. Atque hoc confirmat modus loquendi Conciliorum, nam Meliuitan. cùm cap. 3. definit gratiam Dei qua iustificamur, non solùm ad remissionem peccatorum dari, sed etiã in adiutorium, vt non committantur, nomine adiutorij excitantem gratiam præsertim intelligit. Vnde cap. 4. declarat, hanc gratiam non tantùm nos adiuuare, reuelando, quæ facienda sunt, sed præstando, vt quod *faciendum nouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus.* Ergo illa gratia quæ dat nobis posse facere, quæ facit nos facere, ipsaest; quæ nos adiuuat. Illa autem est vocatio diuina, quæ est gratia excitans; ergo hæc eadem est gratia adiuuans. Item Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 5. de excitante & adiuuante gratia, tanquam de vna ficloquitur. *Vocantur vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur.* Vnde ponderandum est illud verbum, *eidem gratiæ*, refert enim gratiam excitantem, & adiuuantem, de qua sermo præcesserat, refert illam tanquam vnam, nam si essent plures, dicendum fuisse eisdem gratiis.

Suadetur idẽtitas gratiæ adiuuantis cum excitante. Primò ratione. — Secundò ex Concil. — *Mileuitano.* — *Tridentino.*

Præterea D. Augustinus libr. de Gratia Christi, cap. 4. post multa contra Pelagium disputata ad vitandas tergiuersationes eius, ita concludit. *Si consenserit, ita ipsam voluntatem & actionem diuinitus adiuuari, & sic adiuuari, vt sine illo adiutorio, nihil liberè velimus, & agamus, eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, nihil de adiutorio Dei, quantum arbitror, inter nos controuersiæ relinquetur.* In quibus verbis considero Augustinum à Pelagio confessionem vnius gratiæ excitantis postulare, cùm tamen Pelagius non minus errauerit, negando gratiam excitantem, quàm adiuuantem, vt patet ex eodem Augustino in eodem lib. cap. 10. & sequentibus. Item lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 17. cùm Augustinus in principio dixisset posse hominem in hac vita esse sine peccato, gratia adiuuante diuina, postea explicando hanc gratiam dixit. Vt autem innotescat quod latebat, & suaue fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est quæ hominum adiuuat voluntates. Illa autem gratia quæ innotescit, quæ latebat, & suaue fit, quod non delectabat, nõ est nisi illuminatio, & inspiratio diuina, seu sancta cogitatio, & pia affectio, vt ipse in discursu explicat. Vtraque est gratia excitans; ergo hæc eadem est apud Augustinum gratia adiuuans. Et simili modo in cap. 19. illam gratiam vocat certam scientiam, vel victricem delectationem, *quam* (inquit) *interdum non dari Sanctis, vt cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, & suauitatem, qua det fructum suum terra eorum*, quæ duo Deus in nobis sine nobis operatur; ideo ad gratiam excitantem pertinent, & nihilominus subiungit: *Cùm autem ab illo illius adiutorium deprecamur, quàm vt aperiat quod latebat, vt suaue fiat, quod non delectabat.* Denique libro de Gratia, & libero arbitrio, cap. 15. tractans verba Ezechiel. 11. *Dabo vobis cor carneum*, & illa cap. 18. *Facite vobis cor nouum*, interrogat. *Quare dat, si homo facturus est, nisi quia dat, quod iubet, cùm adiuuat vt faciat, cui iubet?* Et tamen aliis locis similes Dei locutiones, *Dabo vobis, faciam, vt faciatis, &c.* explicat de vocatione; seu, quod idem est, de gratia excitante, per quam Deus illa facit in nobis; ergo illa eadem gratia est, qua Deus nos adiuuat vt faciamus.

3. Auctoritate Augustini. — *Ezech. 11. 19.* — *Idem lib. 3. de lib. arb. cap. 18.*

Nihilominus negari non potest quin gratia adiuuans propriè sumpta sit speciale auxilium gratiæ, ab excitante aliquo modo distinctum. Itaque sicut Dialectici dicunt, nomen genericum, seu commune interdum vni speciei appropriari, ita in præsenti de nomine adjutorij, vel adiuuantis gratiæ dicere necesse est, tum ad intelligenda varia loca Augustini, tum ad singula gratiæ auxilia in specie declaranda. Nam quæ adduximus, ostendunt nomen adiutorij diuini, vel quod perinde est, adiuuantis gratiæ interdum generaliter sumi pro quocunque gratiæ auxilio. Et certum ipsum nomen auxilij, hanc eandem significationem postulat. Quid est enim adiuuare, nisi auxilium præstare, auxilium autem, nomen generale est, ad omnia gratiæ auxilia; ergo & verbum adiuuandi potest in eadem generalitate sumi, ergo & verbum adiutorij, seu gratiæ adiuuantis. Imò & Deus ipse dici potest adiutor noster etiam ratione auxilij excitantis, quod nobis infundit, & in testimoniis allegatis, & in multis aliis Scripturæ locis, præsertim Psalmorum, oratur Deus, vt nos adiuuet illuminando, cor inclinando, & alia similia, quæ ad excitantem gratiam pertinent faciendo. Non obstante verò hac significatione dicimus nomen gratiæ adiuuantis peculiariter tributum esse cuidam speciali beneficio, & auxilio gratiæ ab excitante aliquo modo distincto, & in hoc sensu diuidi gratiam in excitantem, & adiuuantem.

4. Assignatur secunda distinctio adiuuantis propriè sumpta ab excitante aliquo modo distincta. — *Primo ex doctrina Augustini.*

Hoc probamus. Primò ex doctrina Augustini, à quo ferè omnes istæ voces sumptæ sunt. Ille enim gratiam adiuuantem planè distinguit ab excitante in Enchirid. cap. 13. cùm inquit, *Totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Nam sine dubio aliud est præparare, aliud adiuuare voluntatem, & primum tribuit Augustinus gratiæ excitanti, & ideo dicit scriptum esse, *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, quia præparatur voluntas à Domino*, vtique solo, & sine homine, quod spectat ad excitantem gratiam, quam Deus facit in nobis sine nobis, vt suprà dictum est. Ergo adiuuare præparatam voluntatem, est nouum Dei beneficium, & distinctum auxilium, quod

gratia adiuuans vocatur. Vnde idem Augustinus quæst. 2. ad Simplician. sic inquit. *Non ideo dictum esse putandum: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, quia sine eius adiutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideo potius, quàm sine eius vocatione non volumus.* lib. 2. de peccator. merit. cap. 18. *Quod ad Deum nos conuertimus, nisi ipsa excitante, atque adiuuante, non possumus.* In quo modo loquendi apertè indicat adiuuantem gratiam aliquid addere supra excitantem. Præterea hoc constat ex diuersis muneribus, quæ Augustinus tribuit gratiæ excitanti, & adiuuanti, nam primæ tribuit tangere cor, sanctam cogitationem immittere, & similia, quæ Deus in nobis, sine nobis operatur, vt in superioribus satis explicatum, & allegatum est. At verò gratiæ adiuuanti tribuit simul cum homine operari, sicut, dicit lib. 2. contra duas epistol. Pelagian. cap. 9. *Quamuis nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen os aperimus illius adiumento, & opere nostro.* Vnde in 2. lib. de peccatorum merito & remissione cap. 5. dicit, *Neque adiuuari potest, nisi qui aliquid sponte conatur.* Et rationem reddit, quia Deus non ita mouet hominem, sicut mouet lapidem, vel brutum, in quibus voluntatem, & rationem non condidit, significans gratiam adiuuantem non dari nisi in ipsa, & cum ipsa operatione, quod euidentiùs expressit in id Psal. *Adiuua nos Deus salutaris noster*, dicens, *cum adiuuare nos vult, neque ingratus est gratiæ, aut tollit liberum arbitrium; qui enim adiuuatur, etiam per se ipsum aliquid agit.* Et tract. 4. in 1. Epist. Ioan. *Quando* (inquid) *iuuaris, si nihil agis.* & serm. 13. de verbis Apostol. cap. 11. *Agis* (inquit) *& ageris, & tu bono agis, si bono agaris; Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adiutor est, ipsum nomen adiutoris præscribit tibi, qui tu ipse aliquid agis. Agnosce quid poscas, agnosce quid confiteris, quando dicis, Adiutor meus esto, adiutorem vtique inuocas Deum nemo adiuuatur si ab illo nihil agatur, &c.*

Diuersa munera tribuit Augustinus gratiæ excitanti & adiuuanti.

Ex his ergo omnibus colligitur adiuuantem gratiam non dari, nisi ei, qui liberè agit, credendo, vel pœnitentiam agendo, vel alio modo piè operando: gratia autem excitans datur ante liberam operationem, vt in superioribus satis ostensum est; ergo aliquam gratiâ addit adiuuans supra excitantem ab illa distinctam. Deinde hoc satis indicat Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. Primum quatenus distinctè requirit excitantem atque adiuuantem gratiam, non enim toties illa duo repeteret cap. 5. & can. 3. si illa duo essent synonyma, & non aliquo modo distincta. Secundò, quia dicit hominem disponi assentiendo, & cooperando illi gratiæ, quæ duo verba cum portione accommoda accipienda sunt: nam assentiri correspondet gratiæ excitanti, cooperari verò adiuuanti. Vnde paulo inferiùs dicit Concilium, tangente Deo cor hominis, ipsum hominem non omnino nihil agere inspirationem illam recipiens vtique per liberum consensum, sicut illam abiicere fit per dissensum. Quomodo etiam dixit Augustinus vocare esse solius gratiæ: assentire autem vel dissentire propriè voluntatis esse. Et tamen discrimen, quia dissentire potest homo sua sola libertate, assentire autem non potest, sine adiutorio Dei. Et ideo vt assentiatur gratiæ excitanti, necesse est vt cooperetur adiuuanti: sunt ergo illæ duæ gratiæ distinctæ. Et præterea Concilium quoties de actibus, quibus homo disponitur ad iustitiam, loquitur, vtramque gratiam coniungit, vt patet in cap. 5. & in principio 6. *disponuntur tamen ad ipsam iustitiam, dum excitati, & adiuti diuina gratia, &c.* & Cant. 3. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, & eius adiutorio &c.*

6. Concessarium ex dict. Adiuuans gratia non datur nisi ei qui liberè agit, vide super. additur ex citanti.

Vt assertio nostra de gratia excitante & adiuuante necessaria esse solam libertatem, ad cooperari verò non esse sola libertate, sed etiam gratiam adiuuantem.

Ratione sumpta ex prædicta doctrina Augustini potest hoc declarari, quia gratia excitans datur homini antequam liberè operetur, vel consentiti; ergo necesse est gratiam adiuuantem aliquid addere excitanti, in quo ab illa distinguatur. Maior in superioribus satis declarata, & probata est, & conuincitur ex Concil. Tridentino can. 4. dicente hominem iam excitatum posse dissentire. Minor autem patet ex dictis sententiis Augustini, & ex verbis Concilij quæ ponderauimus. nam semper coniungit adiuuantem gratiam consensui, & è contrario negat consensum esse posse sine adiuuante gratia. Ex proprietate autem ipsius verbi adiuuandi, optimè potest declarari: nam adiuuare est aliquid cum aliquo agere, & ideo nemo actu adiuuat, nisi & ipse, & is, qui adiuuatur, aliquid agant; ergo in operibus gratiæ non datur homini adiuuans gratia, nisi quando libero, & humano modo aliquid operatur, nam ad huiusmodi operationem hæc gratia datur: at verò gratia excitans non datur per operationem liberè sed necessariam, vt suprà visum est, & ideo operationem liberam præcedere potest. Declaratur tamen à simili, nam gratia creans non datur nisi quando Deus actu creat; ergo neque gratia adiuuans, nisi quando Deus actu adiuuat. Vnde eo etiam modo quo intra ordinem gratiæ creatricis potest dari gratia adiuuans, illa non datur nisi quando Deus actu concurrit cum creatura, quia tunc illam ad agendum adiuuat; ergo idem est cum proportione in gratia pertinente ad ordinem gratiæ sanctificantis, quatenus in illo gratia adiuuans inuenitur, ex quo etiam fit, vt sicut Deus ab æterno non est Creator, vel conseruator, sed in tempore, ita neque sit adiutor nisi in tempore, & non semper, sed quando actu adiuuat. Denominatur autem adiutor ab adiuuante gratia non in ab excitante, propriè loquendo. Ex his ergo satis constat, has gratias esse distinctas aliquo modo: hæc autem distinctio, & plures etiam differentiæ inter ipsas in duobus capitibus sequentibus commodiùs explicabuntur, simul declarando, quid hæc adiuuans gratia sit.

Ratio assertionis 1. desumpta ex August.

Deus nõ est Adiutor ab æterno, sed in tempore.

CAPVT XIV.

An gratia adiuuans sit actio, vel principium actionis, & quæ sit eius necessitas.

CVm ostensum sit dari nobis adiuuantem gratiam, præter excitantem, vt Concilia tradunt, hanc etiam gratiam esse nobis necessariam ad sanctè operandum, sicut oportet ad salutem, explicare necesse est, quid & quotuplex sit hæc gratia: ad hoc autem declarandum causam, & radicem huius necessitatis aperire necessarium est, nam inde constabit ad quem finem ipsa ordinetur, & ex fine ratio, & varietas eius facilè intelligetur. Necessitas igitur huius gratiæ ex duplici capite oriri potest. Primò ex dependentia essentiali, quam voluntas creata, vt est quædam causa secunda, habet in operando à Deo, vt est prima, & vniuersalis causa in omni ordine, tam naturæ, quàm gratiæ. Quòd enim omnis creatura non solùm pendeat à Deo in fieri, & conseruari, sed etiam in operari tanquam in nostra fide certum supponimus, ex prima parte, & ex Metaphysicis disputationibus: consistit autem hæc dependentia operationis in hoc, quòd nihil potest creatura facere sine actuali ope, & influxu Dei. Hæc igitur dependentia etiam in operibus gratiæ

1. Necessitas gratiæ adiuuatis ex duplici radice oritur.

1. Radix, dependentia essentialis creatæ voluntatis à causa 1. in ordine naturæ & gratiæ.

gratiæ inuenitur, cùm etiam sint extra creata. Et quamuis talis influxus, seu concursus Dei in actionibus naturalibus non habeat propriam rationem gratiæ de qua tractamus, quia est debitus naturæ, vt lib. 1. diximus, nihilominus concursus vniuersalis Dei & opera vniuersalia inter propria dona gratiæ sanctificantis numerandus est, quia absolutè non est debitus naturæ, & quamuis possit esse debitus ratione prioris gratiæ, eo ipso est gratia pro gratia. Et de hoc genere gratiæ dicam in vltima parte huius libri, explicatis prius cæteris nominibus seu diuisionibus gratiæ, quia & supponit illas, & longiorem magis, quàm controuersam disputationem postulant.

2.

2. Radix infirmitas liberi arbitrij ad vitandũ errorem, & malitiam, & ad operãdum sicut oportet.

Secunda radix huius necessitatis est defectus virium, & infirmitas liberi arbitrij, ad vitandum errorem, & malitiam, & ad operandum bonum virtutis, sicut oportet. Vnde sicut homo debilis, & infirmus non potest rectè ambulare, nisi ab aliquo iuuetur, ita neque liberum arbitrium, nisi adiuuetur à Deo. Et sicut non satis iuuatur infirmus, exhortando, & mouendo illum vt surgat, sed oportet manum admouere, & simul cum illo operari, & illum sustinere, vel subleuare: ita non satis est liberum arbitrium ad hæc opera gratiæ excitare, sed illud actu iuuare, cum illo operando, aut virtutem operandi addendo necesse est. Et hoc pertinet ad solum Deum, qui hoc nobis præstat, per adiuuantem gratiam. Est autem considerandum hanc indigentiam liberi arbitrij esse diuersam ab illa, quæ respectu primæ causæ communis est omni virtuti creatæ, etiamsi in suo genere causæ secundæ completa sit: nam vltra indigentiam hanc habet nostrum librum arbitrium defectum virtutis ad bene agendum, etiam in proprio ordine causæ proximæ ad huiusmodi actus virtutis efficiendos, & ideo indiget speciali gratia adiuuante distincta à præcedente, quæ illum defectum virium adiuuando suppleat. Quod autem in libero arbitrio sit hic defectus virium partim ob lapsum peccati originalis, partim ob excellentiam supernaturalium actuum, in lib. primo & secundo latè ostensum est, vbi genaratim diximus de necessitate gratiæ, etiam de hac adiuuante procedunt. Et de eadem rectè intelliguntur verba Pauli ad Roman. 8.

Rom. 8. 16. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram*, in quibus hanc radicem huius necessitatis attingit, & propterea

Philip. 2. 13. etiam dixit ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere*, & cap. 1. *qui cœpit in nobis opus bonum* (vtique per excitantem gratiam) *perficiet*, scilicet per adiuuantem.

3.

Consectarium 1. ex hac duplici necessitate.

Ex hac ergo duplici necessitate prima distinctio adiuuantis gratiæ colligitur. Vna est per modum concursus, alia per modum specialis cooperationis in ratione proximæ causæ principalis talis effectus.

Diuiditur gratia adiuuans in eã quæ datur per modum concursus, & quæ per modum specialis cooperationis: illa dicitur concursus gratiæ, hæc verò absolutè gratia adiuuans.

Et vt sine æquiuocatione loquamur, priorem non auxilij, vel adiuuantis gratiæ nomine, sed simpliciter nomine concursus gratiæ significabimus. Aliud verò speciale adiutorium, quod Deus etiam vt causa proxima ad actus supernaturales præbet simpliciter nomine adiuuantis gratiæ, significabimus, quia reuera de hoc adiutorio præcipuè loquũtur Augustinus, ad alij Patres, quando gratiam adiuuantem requirunt, tum quia hoc præcipuè Pelagius negebat, vt in vltimo Prolegomeno diximus; tum etiam, quia specialius adiutorium postulant Patres in operibus gratiæ, quàm in operibus naturæ, & alium defectum virium ad opera gratiæ, quàm ad opera naturæ, in libero arbitrio recognoscunt, & docent. Igitur propria gratia adiuuans vocatur illa, qua in ratione causæ primæ creata voluntas ad opera pietatis indiget.

4.

Secundo colligitur ex dictis hoc gratiæ adiutorium proximè consistere in aliquo Dei influxu in ipsos actus liberos, & supernaturales voluntatis, quod quidem commune est tam concursui gratiæ, quàm propriæ gratiæ adiuuanti. Nam concursus actu non datur à Deo, nisi quando causa secunda actu operatur, quando, verò ipsa non agit, conseruatur quidem à Deo, non tamen potest tum Deus cum illa agere, & consequenter neque concurrere, ergo concursus non est, nisi dum causa secunda agit: consistit ergo proximè, & vltimatè (vt ita dicam) in actuali motione, vel actione siue præuia, siue simultanea ordine naturæ cum actione causæ secundæ, quod postea videbimus. Nam in fine capitis præcedentis probatum est ex Augustino, & ratione, neminem iuuari, nisi qui agit. Ex quo rectè infertur, hoc auxilium gratiæ adiuuantis proximè consistere, & consummari in actuali influxu, & actione Dei cum homine supernaturaliter operante. Nam eo ipso quòd homo definit operari, etiam Deus definit adiuuare; ergo sicut operatio hominis in actuali influxu ex parte sua consistit, ita adiuuans gratia in actuali influxu ex parte Dei posita est. Deinde sicut in his actibus dum homo operatur dicitur cooperari Deo, ita cùm Deus illum adiuuat dicitur cooperari homini, vt infrà videbimus, & ex Concil. Trident. dicta sess. 6. cap. 5. apertè colligitur: cooperatio autem manifestè influxum, seu actionem significat, vt infrà de gratia cooperante tractando iterum explicabimus.

Trident.

5.

Gratiam adiuuantem proximè consistere in actuali influxu non esse necessarium.

Dixi autem gratiam adiuuantem proximè consistere in actuali influxu, quia præter influxum necessarium est aliquod supernaturale principium à quo actualis ille influxus promanet. Nam ille influxus non est nisi actio quædam: omnis autem actio suum immediatum, & proportionatum principium requirit; ergo cùm influxus adiuuantis gratiæ supernaturalis sit, requirit principium supernaturale, à quo immediatè fluat. Hinc ergo patet non solum actualem influxum, sed etiam principium à quo procedit, posse gratiam adiuuantem appellari, quia verè adiuuat intellectum, aut voluntatem, nam supplet defectum virtutis eius ad supernaturalem actum efficiendum: supplet autem simul cum potentia efficiendum actum, quæ ipsa sola efficere non potest: hoc autem est iuuare, sicque lumen gloriæ iuuat intellectum ad videndum Deum, & charitas ad amandum, & Deus ipse dici potest iuuare causas secundas ad operandum, & in ordine gratiæ speciali titulo *adiutor noster* appellatur. Aliunde verò ex supra dictis videtur colligi propriam gratiam adiuuantem in solo influxu actuali positam esse, tum quia gratia adiuuans non est, nisi quando homo actu operatur: principium autem operandi in nobis permanet etiam dum non operamur, tum etiam, quia gratia adiuuans in genere actualis gratiæ collocatur, & sub illo ab excitante condistinguitur. Sicut ergo excitans tantùm consistit in actuali motione, ita etiam adiuuans.

6.

Verum tamen non oportet de nominum significatione contendere; clariùsque & magis sine ambiguitate procedemus secundum diuisionem adiuuantis gratiæ subiungendo, quædam dici posse adiuuans per modum principii, alia per modum influxus, seu actionis. Et hæc quidem posterior iam satis explicata est, & in omni proprietate, & rigore nomen adiuuantis gratiæ meretur, quia est magna gratia, & actu nos iuuat; imo est ipsum actuale auxilium quo supernaturaliter iuuamur. Vnde si sermo sit de gratia actuali adiuuante, hæc sola est gratia adiuuans, & ab illa quælibet alia gratia adiuuans denominatur, seu adiuuare dicitur, vt probant omnia hactenus dicta in hoc, & in capite præcedenti. Nihilominùs tamen etiam principium proximum adiuuantis auxilij potest in suo ordine

Principium habitus influxus, vel actus à quo dicitur adiuuans.

Quando verò est in hoc posteriori statu, propriè dicitur adiuuans, sumit autem hanc denominationem ab ipso actuali adiutorio, vt dicebam: nam sicut agens hanc denominationem sumit à sua actione, ideo non est propriè agens, nisi quando est in actu secundo, ac proinde per denominationem ab ipso actuali adiutorio vocatur adiuuans. Nihilominus tamen, quia illud principium de se est gratia data ad iuuandam potentiam etiam in primo statu quando est in actu primo, potest dici gratia adiuuans, cum illa declaratione, seu limitatione *per modum principij*. Vel certè dicitur gratia adiutrix, nam hæc vox magis actum primum, quàm secundum significare videtur, id est, principium de se aptum ad iuuandam potentiam, cùm voluerit operari. Et ita breuitatis gratia loquemur. nam licèt in præsenti libro de actuali gratia, & auxilio præcipuè tractemus, non potest satis influxus gratiæ adiuuantis sine suo principio explicari, & ideo de vtroque dicendum est.

De se tamen cum sit gratia data ad iuuandum potentiam vocabitur breuitatis causa gratia adiuuans.

CAPVT XV.

Diuisio auxilij moraliter, vel physicè adiuuantis, exponitur.

1. Assertio. Duobus modis iuuari debet homo in operibus gratiæ, moraliter & physicè. Pars assert. prob.

COnsiderandum vlteriùs est duobus modis posse hominem iuuari in operibus gratiæ, moraliter scilicet, & physicè. nam hi duo modi causandi locum habent in operibus gratiæ: nam sunt opera moralia, & physicè fiunt à nostris potentiis, ideóque vtroque modo vocari possunt per gratiam, imò vtrumque adiutorium est illis necessarium secundùm catholicam doctrinam. Et in primis de adiutorio morali probatur primò, quia causalitas finis moralis est, quia eius motio est metaphorica, & solùm attrahit alliciendo; & inuitando, & ideo finis dicitur quasi primum principium in moralibus, imo aliæ causæ, quæ morales reputantur, licèt ad efficientes reuocentur, vt sunt causa consulens, imperans, & similes, ideo dicuntur moraliter causare, quia finalem causam imitantur, & illam aliquo modo ad causandum iuuant, illiusque pulchritudinem, vel bonitatem magis ostendendo, vel aliis motiuis ad illam alliciendo. At verò gratia omnibus his modis adiuuat voluntatem nostram, vt ex locutionibus Augustini & Prosperi, cum testimoniis Scripturæ, quæ illi allegant, probari facilè potest. Nam ex parte obiecti, seu finis explicat hoc adiutorium Augustinus tract. 26. in Ioan. dicens, *Ramum viridem ostendi oui, & trahis illam*, vt explicet hoc modo trahi voluntatem per gratiam. Vnde concludit, *Veritatis reuelatio ipsa est attractio; quid enim fortius desiderat anima, quàm veritatem.*

Causalitas finis moralis est, ideo dicitur primum principium in moralibus. Causa consulens, imperans, &c. ideircò moraliter causant quia causam finalem imitantur & iuuant.

Augustinus hoc adiutorium explicat ex parte obiecti seu finis.

Idem colligitur ex eodem Augustino lib. de spirit. & liter. cap. 34. vbi dicit, non ita esse Deum causam malæ voluntatis, sicut bonæ, *quia visorum suasionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus*, &c. nam ille modus inductionis moralis, & ex parte obiecti. Et ibidem addit modum agendi *per suasionem*, & vocationem, quæ pertinent ad causalitatem moralem effectiuam, & ideo dicta q. 2. ad Simplicianum, vocationem appellat effectricem bonæ voluntatis. Et eodem modo loquitur lib. 83. quæstionum in 68. vbi inter alia habet, *quia nec velle quisque potest, nisi admonitus, & vocatus, ideò & ipsum velle Deus operatur in nobis.* Ex eodem modo dixit serm. 13. de verb. Apostol. exponens illud ad Roman. 8. *Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei.* addendo, *non litera, sed spiritu, non lege præcipiente, minante, promittente, sed spiritu exhortante, & illuminante, adiuuante.* Et cap. 12. Sic vos scitote agere, vt sit rector spiritus, & adiutor: regere autem, & exhortari morales modi causandi sunt, & de illis etiam explicat verba Christi: *sine me nihil potestis facere.* Et eandem causalitatem præbet vocationi lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 15. & cap. 19. ait, *illa vocatione, quæ sine pœnitentia est, id prorsus agitur, & peragitur, vt credamus.* Alijs vero locis explicat hanc causalitatem per modum suauis inclinationis, vel tractionis, quia per vnum affectum ad alium inclinamur, quæ moralis etiam inductio est. Atque ita sermone secundo de verbis Apostol. capite secundo dicit suauitatem quam gratia infundit, esse spiritualem tractionem, & libero secundo de peccator. merito cap. decimonono dixit hanc gratiam esse victricem delectationem.

Idem moralem illi tribuit causalitatem, dum eam vocat suasionem.

Vocationē effectricem bonæ voluntatis. Idem Rom. 8. 14.

docet spiritum ex hortari, regere.

Hanc causalitatem explicat per modum suauis inclinationis spiritualis tractionis.

3. *Alibi tradit trahi voluntatem miris & occultis modis.*

Alijs vero locis generaliter dicit gratiam nos iuuare miris, & occultis modis, sic lib. 1. contra duas Epistolas Pelagian. cap. 19. *Trahitur*, inquit, *voluntas miris modis, vt velit ab illo, qui nouit, intus in ipsius hominum cordibus operari.* & lib. 5. Confess. cap. 7. & 8. de se ipso suaque vocatione loquens dicit. *Egisti mecum miris, & occultis modis, tu illud egisti Deus meus: nam à Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet.* Hos autem modos in particulari declarat lib. de don. perseuer. cap. 14. Quia ostenduntur mentibus congrua signa, aut verba. & lib. de corrept. & grat. cap. 15. vtilem ait esse correptionem, quam intus adiuuat Deus; & ibidem addit hoc facere Deum diuersis, & innumerabilibus modis, & lib. 2. de peccator. merit. cap. 17. omnes hos modos reducit ad illa duo capita, *quia per gratiam fit vt non lateat quod iustum est, vel vt suaue fiat quod non delectabat.* Vtrumque autem pertinet ad causalitatem moralem, quia per cogitationem allicitur voluntas, & per suauitatem fit amabilior operatio. Et inde etiam fit, vt talis iudicetur, quia sicut vnusquisque affectus est, ita de rebus iudicat, iuxta axioma Aristotelis. Qualis vnusquisque est, talis finis sibi videtur. Et simili modo explicat hoc adiutorium gratiæ Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 9. alias 26. vbi dicit hanc gratiam non esse violentam, quia mouet suadendo, exhortando, terrendo, incitando, dando intellectum, inspirando consilium, cor illuminando, & fidei affectionibus imbuendo, quæ omnia verba moralem inductionem, & causalitatem manifestè significant. Et similibus vocibus vtitur, licèt breuius, Cyrillus lib. 4. In Ioan. cap. 6. & 7.

Axioma Aristo. cum Qualis vnusquisque est, talis finis sibi videtur. *Prosper.*

Cyrillus.

Ratio autem huius causalitatis ab eisdem Patribus indicatur, quia homo in actionibus suis non ducitur, neque mouetur, vt quid inanime, vel vt brutum, sed vt liberè se moueat, & agat, & ideo adiutorio morali indiget proportionato libero consensui, ad quem inducitur. Quam rationem indicauit Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. adiuncto can. 4. Et declarari amplius potest, quia homo indiget gratia adiuuante propter infirmitatem, & ignorantiam ex peccato originali contractam, ex qua difficultas bene operandi oritur; quæ difficultas non solùm in bonis operibus naturalibus inuenitur, sed etiam opera supernaturalis ordinis redundat, quibus accrescit alia in proportione, quam habet natura in suo præcisè ordine spectata talium operum supernaturalis ordinis. Hæc tamen difficultas magna ex parte moralis est, & per moralia media vel minui, vel vinci, & superari debet, vt libero, & naturali modo vinci possit, sicut lib. 1. & 2. satis explicatum est. Ergo auxilium moraliter adiuuans maximè necessarium est.

4. Pars assertionis explicatur quam Patres indicant. *Trident.*

5.

2. Pars assertionis de necessitate gratiæ physicè adiuuantis.

At verò gratia physicè adiuuans ex alio capite necessaria est, & ideo aliter ad opera supernaturalis ordinis; aliter verò ad naturalia requiritur. Est verò causa physicè adiuuans illa, quæ realiter & per se efficiat aliquid per propriam, & realem actionem influendo in terminum productum: cùm autem operatio humana sit effectus realis, & in suo esse sit quædam qualitas physica, id est, habens suam propriam entitatem, & naturam per rationem physicam, necessariò fieri debet: hæc autem actio requirit principium habens totam virtutem necessariam ad agendum, vt per se notum est. Constat autem ex dictis in libro secundo, in nostris potentiis naturalibus intellectus & voluntatis non esse virtutem naturalem integram, & sufficientem ad efficiendos actus studiosos supernaturalis ordinis, qui sunt in sua entitate supernaturales; ergo saltem ad hos actus omnino necessaria est gratia physicè adiuuans. Vnde licèt de hac gratia non tam clarè Augustinus, & alij Patres loquantur: nihilominus quoad hanc partem tam certa est, quàm est certum Deum dare nobis virtutes per se infusas, quibus hos actus etiam per se, & physicè efficere valeamus. Nam ex dicto principio sequitur necessariam esse gratiam specialem physicè adiuuantem potentiam, quæ est principium proximum talium actuum, quia ex natura sua caret virtute saltem completa ad illos efficiendos, ideòque illi adduntur virtutes per se infusæ, quæ defectum illum suppleant, & vbi illæ defuerint, necessarium erit vt earum actiuitas supernaturalis aliunde suppleatur. Et declaratur hoc amplius, nam sicut isti actus in entitate sua supernaturales sunt, ita dicunt essentialem dependentiam ab aliquo principio proximo supernaturali, à quo per influxum etiam supernaturalem immediatè, ac per se præcedant; ergo ad illos est necessaria gratia physicè adiuuans, quæ sit etiam ordinis supernaturalis.

Quid causa physicè adiuuans.

Axioma. Potentiæ nostræ naturales non sunt completæ in ordine ad actus supernaturales.

Inde sequitur necessitas gratiæ physicè adiuuantis.

6.

Præter hæc potest hoc genus gratiæ colligi ex aliis modis loquendi Scripturæ & Conciliorum, ac Patrum. Quomodo enim Concilium Tridentinum dicit liberum arbitrium à Deo excitatum, & motum quando supernaturalem præbet concursum verè aliquid agere, non tatùm docet agere moraliter, sed etiam physicè & per se, quia in ipso actu elicito à libero arbitrio non potest efficientia moralis à physica separari, imò illam necessariò supponit, & addit indifferentiam: sed in hac ipsa actione docet liberum arbitrium cooperari cum Deo, & consequenter Deum cooperari, seu coagere cum libero arbitrio; ergo intelligit, Deum etiam ibi physicè agere cum voluntate vel per se, vel per aliquam gratiam, quam infundit. Vnde optimè, & cum omni proprietate de hoc etiam genere gratiæ intelligimus locutiones Scripturæ, quæ necessitatem cooperationis Dei ad nostra opera inducant, vt illud Ioan. 15. lib. contra duas epistolas Pelag. cap. 9. *Quamuis nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen nos aperimus illius adiumento, & opere nostro.* Vnde paulo inferiùs ponderans illud Exodi 4. *Ego apertam os tuum, & instruam* (inquit,) *Vtrumque ad Dominum*; quare hoc? nisi quia in vno vtorum cooperatur homini facienti, alterum solum facit. Vnde infert illam generalem sententiam in Concilio Arausicano can. 26. confirmatam, *Multa facit Deus in homine bona, quæ non facit homo; nulla verò facit homo, quæ non facit Deus.* Similiter hoc confirmat illud prima ad Corinth. 3. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Et illud ad Philippum primum. *Qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet.* nam hæc & similia verba propriè sumpta significant propriam efficaciam Dei inchoantis, facientis, & augentis bona opera nostra. Item significant impotentiam nostram ad faciendum hæc opera sine Deo; ergo sicut ex parte nostra efficientia propria est, & physica, ita etiam multo magis ac principalis ex parte Dei. Et hoc etiam in proprietate significat verbum *cooperandi* & *cooperationis*, quod & nobis tribuitur respectu Dei, & Deo respectu nostri, vt infrà videbimus tractando de gratia operante, & cooperante; ergo ex vtraq; parte est vera cooperatio, & effectio per se, ac physica. Imò per antonomasiã fides dicitur specialiter opus Dei, quia ipsa principaliter in omni genere illud operatur, vt vbi Augustinus notat, & ob eamdẽ rationem dicuntur hi actus infusi à Deo, nam quod Paulus ait ad Rom. 3. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, non minus de actu, quàm de habitu verum est, vt sæpe in superioribus est dictum, & sentit August. de spir. & liter. cap. 32. infusio autem propriam, & physicam effectionem apertissimè significat. Denique confirmat hoc Augustinus dicto cap. 9. contra duas epistolas Pelag. ex illo 1. Ioan. 4. *Charitas ex Deo est*, vtique vt à præcipuo auctore, & causa per se, ac principali eius; & subiungit Augustinus, *Neque mirum eius ex nobis, & perfectio eius ex Deo, sed si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est.* Ita enim nos concludere possumus, si habitus charitatis ex Deo, etiá actus charitatis ex Deo est verè & physicè, eademq; ratio est de cæteris actibus supernaturalibus: sunt autem ex Deo media gratia adiuuante; est ergo necessaria ad hos actus gratia physicè adiuuans.

Probatur eadem necessitas ex Scriptura & Concilijs. *Trident.*

August.

1. *Cor.* 3. 7.

Philipp. 1.

Hæc autem quæ de gratia physicè adiuuante ad actus supernaturales diximus, non eodem modo locum habent in actibus virtutum acquisitarum. Nam cùm illi sint in substantia naturales, & per actionem ordinis naturalis fiant, nihil in physico principio, seu in speciali influxu proximo superans ordinem naturæ ex parte Dei requirunt. Et ratio est, quia isti actus sunt proportionati viribus naturalibus voluntatis, & intellectus. Vnde in his potentiis sunt integræ vires per se requisitæ ex parte principij proximi principalis talis actuum; ergo ad illos non est necessaria, per se loquendo, gratia physicè adiuuans potentiam per modum principij proximi. Vnde in hoc est notanda differentia inter gratiam moraliter, vel physicè adiuuantem: nam prior ad hos actus necessaria est, non verò posterior. Est autem ratio differentiæ, quia gratia adiuuans non est necessaria ad hos actus per se, & ex natura potentiæ, sed per accidens, & lapsu humanæ naturæ, & ex impedimentis ad bene operandũ inde subortis, contra quæ gratia moraliter adiuuans necessaria est, vt paulo ante explicuimus. Augmentum autem virtutis per se actiuæ ipsius potentiæ, nó sunt per peccatum diminutæ, vt suprà l. 1. latè probatum est. Et hoc optimè declarat innocentiæ status, in quo nec physicè gratia adiuuans erat necessaria ad hos actus, quia potentia in se erat eadem, quæ nunc est, nec moraliter iuuans, quia tunc non erant impedimenta lapsæ naturæ.

Gratia supernaturalis ordinis physicè adiuuans est necessaria ad actus virtutum acquisitarum.

Ad illum non necessitatem gratiæ est ex parte potentiæ.

Dixi autem ad hos actus non requiri gratiam physicè adiuuantẽ supernaturalis ordinis, quia eo modo, quo isti actus possunt fieri, & sæpe fiunt ex aliquo auxilio gratiæ naturalis ordinis, ita etiã auxiliũ adiuuans, quod ad illos datur, vel dari potest gratuitum, & absque naturali debito collatum reputari potest, & ita appellari gratia eiusdẽ ordinis. Hoc patet à simili de concursu ipso generali: nam licèt his debeatur potẽtiæ ad actus sibi connaturales suppositis aliis prærequisitis ad agendum: tamen quando Deus speciali modo, & auxilio non debito voluntati, verbi gratia, præparat illam cum omnibus prærequisitis, vt conuenienter operetur, tunc illę concursus non est debitus naturæ. Et tamen

Possibile est auxilij gratiæ physicè adiuuans naturalis ordinis licèt non sit necessarium.

men, vt probabilior fert opinio, habitus acquisitus physicè adiuuat potentiam, & auget virtutem agẽdi, non per intensionem, sed per multiplicationem virtutis: erit ergo illa gratia physica adiuuans. Idẽque potest facere Deus per motionem aliquam, vel influxum physicum maiorem, quàm tali actui, vel potentiæ ex natura rei debeatur. Hoc autem genus auxilij, licèt possibile sit, non est necessarium, vt dixi, imò rarum, & extraordinarium esse censeo. Occurrebat autem hîc opinio, quæ ad hos etiam actus requirit gratiam efficacem physicè prædeterminantem, quæ si datur, sine dubio physicè adiuuat. Illa vero opinio coincidit cum alia Gregorij, quam suprà lib. 1. impugnauimus, & generatim de omnibus actibus tractanda est in lib. 5. & in discursu huius aliquid attingemus, dicendo de diuino concursu, & ideo necesse non est in præsenti circa illam amplius immorari.

9. Applicari potest eadẽ diuisio gratiæ physicæ & moraliter adiuuantis ad gratiam adiutricem, & concursum gratiæ.

Ex dictis igitur satis declarata manet diuisio posita de gratia physicè, vel moraliter adiuuante, quę & ad principium adiuuans, & ad ipsum actuale auxilium applicari potest. Proprius tamen videtur vtrumq; membrum in principio adiuuante inueniri. nã habitus per se infusus, vt diximus, physicè adiuuat potentiam ad actum supernaturalem eliciendum, & quando deest habitus, aliquod aliud principium necessarium est, quod physicam eius actiuitatem suppleat. Actualis verò influxus in supernaturalẽ actum, prout à tali principio procedit per se, ac physicè, & realis est, ac proinde est etiam actualis gratia physicè adiuuans: hoc ergo genus adiutorij tam habituali gratiæ, quam actuali auxilio cooperanti proprie conuenit: at verò adiutorium morale neque habituj, neq; actuali influxui videtur conuenire: imò si quis rectè consideret quod ad probandum hoc adiutorium morale adduximus, magis videtur ad excitantem gratiã, quàm ad adiuuantem pertinere: nam ipsemet motus gratiæ excitantis quatenus formaliter afficit potentiã, moraliter confortat illam, & nullum alium influxum quasi effectiuum habere videtur. quæ obiectio petit, vt amplius explicemus discrimen inter gratiam excitantem, & actu adiuuantem, quod in sequentibus capitibus commodius faciemus.

CAPVT XVI.

Quibus modis differat actualis influxus gratiæ adiuuantis ab excitante gratia.

1. Opinio negans Gratiam adiuuantem realiter ab excitante distingui.

NOnnulli auctores absolutè docent, gratiam excitantem non re, sed ratione distingui ab adiuuante: nam eadem prout formaliter afficit potentiam illuminando, vel actu inclinando illam, dicitur excitãs; prout verò obtinet à voluntate consensum, dicitur adiuuans. Vnde quatenus excitans est, separari potest à cõsensu, & esse prior tempore illo; quatenus verò habet subsequentem consensum, & est aliquo modo actualis causa illius, simul denominatur adiuuans, quæ videtur tantùm distinctio rationis, vel cuiusdam habitudinis. Et hoc suadet testimonio Concil. Trid. suprà tractato, quia videtur de his gratiis tanquam de vna loqui. Et similiter Augustinus, vt infrà videbimus de gratia operante, & cooperante, tanquam de vna loqui solet: illæ autem cum excitante, & adiuuante coincidunt, vt ibidem dicemus.

2. Assertio. Gratia adiuuans addit realiter aliquid reali-ter distinctum vltra excitantẽ.

Nihilominus iam in cap. 13. ostensum est negari non posse quin adiuuans gratia distinguatur ab excitante, addens vltra illam nouum auxilium, & beneficium gratiæ. Nunc verò vlteriùs dicimus id quod addit actualis gratia adiuuans vltrà excitantem esse aliquid realiter distinctum ab illa. Probatur, quia gratia adiuuans addit realem influxum in cõsensum deliberatum voluntatis, vel assensum supernaturalem intellectus: hic autem influxus realiter distinguitur ab actu gratiæ excitantis, ergo actualis gratia adiuuans addit rem distinctam ab excitante. Maior satis declarata est in capite præcedenti. Minor autem per se clara est, quia motus gratiæ excitantis, & actus deliberatus voluntatis, vel intellectus, realiter inter se distinguũtur, vt per se notum est: sed hic influxus gratiæ adiuuantis est idem realiter cum actu deliberato, quia nihil est aliud quàm actio eius, prout ab aliquo supernaturali principio procedit; ergo distinguitur realiter à motu gratiæ excitantis. Quæ ratio adeò clara est, vt in hoc puncto nulla videatur esse dissensio inter Theologos quæ ad rem pertineat. Vt autem etiam in modo loquendi auferatur, aduertenda est distinctio quam suprà posui de gratia adiutrice in actu secũdo, nam hæc duo membra licèt propriissimè reperiantur in adiutorio physico, etiã in morali possunt conuenienter distingui. Gratia ergo excitans per se spectata est moraliter adiutrix, & hoc probant omnia adducta capite præcedenti in priori membro tertiæ diuisionis. Et hoc modo verum est, denominationem hanc adiutricis gratiæ nihil addere gratiæ excitanti, sed esse eandem sub alio respectu conceptam. Nam sicut in physicis eadem forma, verbi gratia, calor, est dispositio quatenus formaliter afficit subiectum, & est quasi potentia actiua, quatenus est principium proximum calefaciendi; ita seruata proportione motus gratiæ est excitans, prout est actus quidam formaliter afficiens mentem, quatenus verò de se potest iuuare ad consensum habet rationem principij efficientis, saltem moraliter, & vt sic vocatur adiutrix gratia.

Notandum circa modũ loquendi.

Gratia excitans per se spectata est moraliter adiutrix.

3. Neque obstat quòd gratia excitans in sua entitate sit actus secundus, nam hoc habet quatenus est forma intellectum, vel voluntatem formaliter afficiens, nihilominus tamen respectu alterius actus potest cooperari, vt principium efficiens in actu primo, quando illum actu non efficit. Sic ergo gratia excitans quando non obtinet consensum, dicitur gratia adiutrix, & ita in re sunt idem, vt dixi. Adiuuans autem non denominatur in suo genere, seu in suo modo adiuuandi, nisi quando voluntas actu consentit: quia, vt cap. 13. ostensum est, gratia non est adiuuans nisi aliquid efficiat is, qui iuuatur: cùm autem adiutorium hoc sit morale, vt diximus, necesse est, vt homo moraliter consentiat, quando per gratiam excitantem actu iuuatur. Tũ autem verè, & propriè denominari potest gratia adiuuans moraliter, quia sicut prius tempore, vel natura, quàm voluntas consentiat, hæc gratia excitat hominem ad talem actum, ita etiam in ipso actuali consensu moraliter iuuat ad præstandũ illum, vel ad perseuerandum in illo, ad eum modum quo vnus homo exhortando iuuat aliũ, prout loquitur Paulus 2. ad Corinth. 6. *Adiuuantes exhortamur*, &c. Talis autem denominatio adiuuantis respectu gratiæ excitantis, est quasi extrinseca proueniens ab illamet actione, qua fit consensus, seu deliberatus actus voluntatis; vel intellectus; nam sicut agens sic denominatur ab actione, ita etiã hæc gratia denominatur actu adiuuans ab actione ab illa suo modo prodeunte. Neque obstat quòd illa actio vel influxus, quo fit actus deliberatus in se sit physicus, & realis influxus, nam præcisè spectatus, vt est à gratia excitante, sic tantùm est ab illa moraliter, & ita induit rationem moralis causalitatis sicq; denominat suum principium moraliter iuuans.

Quando non obtinet consensum dicitur gratia adiutrix.

Quãdo obtinet cõsensum propriè denominari potest gratia moraliter adiuuans.

2. *Cor.* 6. 1.

Gratia excitans denominatiuè ab actione, & consensus dicitur adiuuans.

Illustratur exemplo.

Ad eum modum quo dixi in Metaphysica, eundem influxum prout est à causa finali esse causalitatem finis, & prout est à principio actiuo esse causalitatem efficientis, ita enim in præsenti idem influxus gratiæ adiuuantis, qui est physicus respectu alterius principij, moraliter est ab excitante gratia, & ratione illius, sine vlla confusione, vel verborum æquiuocatione adiuuans denominari potest.

4. Aliæ differentiæ inter vtramque gratiam.

Atque ex his possunt colligi aliæ differentiæ inter actualem gratiam, & adiuuantem, & excitantē; quas alij iam annotarunt; eas verò iudicare oportet, & in vero sensu explicare. Prima est, quòd gratia excitans est effectiuè *à solo Deo, adiuuans à Deo, & ab homine*. tradit Vega lib. 6. in Trident. c. 8. fundatur tamen in illa sententia quòd motus gratiæ excitantis nullo modo est effectiuè à nobis; quam suprà reprobauimus. Vt ergo differentia rectè subsistat, dicendum est excitantem gratiam non esse effectiuè à libero arbitrio: adiuuantem autem non dari sine cooperatione liberi arbitrij. Et hoc modo prior pars satis probata est in superioribus, vbi etiam in hoc sensu explicauimus sententiam Patrum dicentium hanc gratiam fieri in nobis sine nobis, vtique morali, & humano modo operantibus. Altera verò pars intellecta de actuali gratia, vt loquimur, vera est, nam, vt dicebam, hæc gratia adiuuans non est, nisi actio ipsa qua fit actus fidei, vel charitatis, vel alij similes; isti autem actus non fiunt in nobis sine morali, & libera cooperatione nostra. Cum autem aliquis actus huiusmodi fit à Deo, & nobis, non interueniunt ibi duæ actiones, altera Dei, altera nostra, sed vna indiuisibilis, quæ ab vtroque principio proximo, & principali, seu vniuersali essentialiter pendet, vt infrà latius ostendemus; ergo talis actio fieri non potest in nobis sine nobis moraliter, & liberè cooperantibus.

Refellitur Vega.

Assertio 2. Rectius dicimus actualem gratiam excitantem non esse effectiuè a nobis, adiuuantem nō dari sine nostra cooperatione.

5. In actione gratiæ adiuuantis duplex est habitudo vna ad Deū, alia ad liberū arbitriū.

Possunt autem in illamet actione duæ habitudines distingui, vna ad Deum, & alia ad liberum arbitrium, & secundùm priorem tribui à solo Deo & consequenter dici etiam potest, vt habet rationem gratiæ adiuuantis esse à solo Deo, nam vt est à nobis, potius sumus adiutores Dei; sed hoc non refert, tum quia non de respectibus, sed de reipsa agimus, & in re omnino vna, & indiuisibilis est illa gratia, solumque per inadæquatos conceptus, seu ratione ratiocinata cum virtuali fundamento in re illo modo distinguitur; tum etiam, quia eadem prout est à libero arbitrio, non est ab illo vt naturaliter operante, sed vt elevato, & vt instrumento diuinæ virtutis, ideòq; etiam sub illo respectu pertinet ad beneficia gratiæ. Dixi autem hanc partem

Declaratur limitatio assertionis.

intelligendam esse de actuali motione adiuuantis gratiæ, quia in gratia adiuuante per modū principij locum non habet. Nam illud principium vel est habitus infusus, qui à Deo fit in nobis sine nobis coagentibus, licèt in adultis non fiat sine aliqua præuia dispositione libera, in vno etiam differt ab excitante gratia, vel si deest habitus, id, quod supplet vicem eius, multo minus potest fieri à nobis, quia vel est motio à solo Deo impressa, vel ipse Deus, vt videbimus. Et ratio clara est, quia talis gratia prærequiritur ad cooperationem nostrā tanquam principium efficiens eiusdem actionis; ergo non potest idem principium esse ex libera cooperatione nostra. Non desunt tamen qui prædictam actualem gratiam adiuuantem, quā explicuimus, ponant aliam etiam actualem, & adiuuantem, quā Deus efficit in nobis, non solùm sine nobis liberè cooperantibus, sed etiam nec physicè illam efficientibus, quam præterea & præoperantem, & prædeterminantem appellant. Nos verò tale genus auxilij neque agnoscimus, neque admittimus, sed quia prolixam petit disputationem, ex parte in hoc libro inchoauimus, & in quinto consummabimus, ideo nunc nostram sententiam supponendo simpliciter loquimur, & procedimus.

6. Assertio 3. Differentia 2. est quod gratia excitans tantum sufficiens, adiuuans semper efficax. Concil. Trid. Concil. Senon.

Secunda differentia est, quia gratiæ excitanti de se resisti potest, & ideo sæpè tantùm est sufficiens, quia ei resistitur; adiuuanti autem nunquam resistitur, sed semper est efficax, id est, habet effectum. Hanc differentiam notauit idem Vega, & prior eius pars sumitur ex Concil. Trid. dicto cap. 5. ibi, *Quippe qui & illam abiicere potest*, & can. 4. ibi. *posse dissentire, si velit*. Et ex Concil. Senon. in decreto 15. fidei, quæ duo Concilia plane docent hanc potestatem resistendi huic gratiæ necessariam esse, vt non tollat libertatem, de qua re in lib. 15. ex professo dicendum. Altera vero pars ex suprà dictis est manifesta, quia gratia adiuuans actualis non datur nisi homini actu operanti, & consentienti: qui autem consentit, non resistit. Item hæc gratia adiuuans est ipse influxus Dei, vel habitus in actus deliberatum voluntatis, qui influxus in re non distinguitur ab actione ipsius hominis; ergo cùm hæc gratia actu datur, iam homo non resistit. Quæ rationes probant esse impossibile hominem resistere huic gratiæ: est autem illa impossibilitas composita (vt sic dicam,) & ideo non repugnat libertati. Nam hæc gratia inuoluit, seu habet concomitantem liberum influxum voluntatis, & ideo eo ipso quòd talis gratia dari supponitur, simul etiam supponitur vsus liber voluntatis consentientis, cum quo non stat simul resistentia, quæ fit per actualem dissensum, vel negationem consensus, quæ est repugnantia sensus compositi, quia non potest res simul esse, de qua dixit Aristoteles. *Res quando est, necesse est esse.*

7. Veritas declaratur eadem difficultate

Et in hoc est aperta differentia inter hanc adiuuantem gratiam, & excitantem, nam excitans est simpliciter prior libero vsu voluntatis, nec inuoluit liberam cooperationem eius, aut ab illa pendet, ideoque non habet necessariam connexionem cum illa, alias illa non esset necessitas composita (vt aiunt,) vel secundùm quid, sed absoluta, & simpliciter, & ita tolleret, libertatem, & cùm eam non tollat, vt supponimus, semper potest voluntas ei resistere, si omnis alia suppositio tollatur, quod secus est in gratia actu adiuuante, vt iam explicaui. Dico autem *actu adiuuante*, quia si talis gratia consideretur solùm vt oblata ex parte Dei, & quasi in actu primo existente in potestate hominis, sic aufertur dicta compositio, & ideo non minus potest ei resisti, quàm gratiæ excitanti, propter eandem rationem. Iterum autem occurrebat hic quæstio, an detur aliqua gratia adiuuans non inuoluens, dictam compositionem, sed prior natura, seu causalitate, quam cooperatio hominis, cui resisti non possit, vel cui infallibiliter non resistatur. Item supererat quæstio, vtrùm detur aliqua gratia excitans cui resisti non possit, vel saltem, cui infallibiliter non resistatur, sed de his punctis ferè toto libro quinto tractandum est.

8. Assertio 4. Differentia 3. est quod gratia excitans nō est regula sufficientiæ actionis, sed hæc commendat ex maiori adiuuante. Probatur.

Tertia differentia quam Vega etiam attigit, est maiorem excitantem gratiam non esse (vt ita dicam,) regulam sanctitatis maioris, sed hanc subsumendam esse ex maiori adiuuante gratia, quam etiam indicat Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 16. verb. per hanc. Probatur, quia gratia excitans non facit hominem sanctum sine cooperatione libera: potest autem aliquis recipere magna excitantia auxilia, & illis non cooperari, vt fecerunt Iudæi Christo prædicante, & miracula faciente; alij verò cum minoribus excitationibus possunt cum adiuuante gratia liberè consistere, vt gratia adprædicante Iona Niniuitæ fecerunt; ergo mensura sanctitatis iuxta modum, & gradum adiuuantis gratiæ, non solius excitantis accipienda est. Et ita

hæc

hæc differentia optimè confirmatur ex verbis Matth. 11. Christi Matth. 11. *Si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* & verbis cap. 12. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & contemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quàm Ionas hic.* Confirmatur etiam ex Concil. Trid. Confirm. ex Tridentino. sess. 6. cap. 7. dicente, *Iustitiam in nobis recipientes vnusquisque secundùm suam mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem & cooperationem.* Nam ex his verbis colligimus mensuram sanctitatis in suo genere esse hominis dispositionem: dispositio autem cùm sit actus supernaturalis deliberatus, est proprius effectus gratiæ adiuuantis, cui & nos cooperamur, & illa nobiscum; ergo gratia adiuuans est, etiam in ratione auxilij mensura, & regula sanctitatis, quia talis gratia adiuuans seruat proportionem cum dispositione, & cooperatione nostra, quia nec nos possumus plus cooperari, quàm Deus nos adiuuet, nec Deus minus adiuuat, quàm nos cooperemur.

Sed obiici potest contra vtrumque membrum. 9. Obiectio contra 1. partem assertionis. Contra primum quidem, quia idem Concilium ait, Iustitiam dari secundùm mensuram, *quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult*; ergo prima, & vnica mensura sanctitatis est voluntas Dei, quæ magis, vel minus efficaciter hominem vocat, prout vult; ergo potius vocatio, quàm gratia adiuuans est prima mensura sanctitatis, vocatio autem pertinet ad gratiam excitantem. Et confirmatur ex Augustino, qui multis in locis ad vocationem reducit totam varietatem in hominis conuersione, vel sanctificatione, vt videre licet in dicta quæst. 2. ad Simplician. & lib. de bono perseuer. cap. 14. Obiect. eõ. tra 2. illius partem. Contra alteram verò partem fit obiectio, quia sequitur conatum liberi arbitrij esse radicem, & mẽsuram sanctitatis, quod videtur esse Semipelagianum. Sequela patet, quia gratia adiuuans quoad actualem influxum datur iuxta conatum liberi arbitrij, nam si liberum arbitrium non conetur, non datur: si autem conetur; datur, & ita semper iuxta proportionem nostri conatus tribuitur; ergo tandem in nostrum conatum fit vltima resolutio.

10. Ad primã. Ad priorem partem respondetur, voluntatem Dei esse primam, & principalem causam auxilij adiuuantis, & ideo quamuis auxilium sit veluti proxima mensura sui effectus non excludere, imò includere voluntatem Dei, tanquã primam & principalem causam. Ad Augustinum verò respondemus, nos hîc loqui de auxilio excitante generaliter, abstrahendo ab efficaci, vel sufficiente: Augustinũ autem illis locis loqui de vocatione congrua, quæ est auxilium excitans efficax, & de illo etiam est verum esse certam regulam sanctitatis, tamen id habet, quatenus aliquo modo includit auxilium adiuuans, vt libro quinto dicetur.

11. Ad secundam. Ad alteram partem respondetur, conatum liberi arbitrij, si per se solum consideretur, non solùm non esse regulam sanctitatis, verùm etiam nihil per se conferre, vt Pelagiani errabant. Conatus autem liberi arbitrij vt cooperantis adiuuanti gratiæ multum valet ad salutem, & in suo genere potest dici mensura sanctitatis, cùm Concilium dixerit illam infundi iuxta hominis dispositionem & cooperationem. Inde tamen non sequitur conatum liberi arbitrij esse rationem in qua fit vltima resolutio, cur homini talis, vel tanta gratia tribuatur; tum quia (vt dixi) conatus liberi arbitrij non est separandus ab influxu gratiæ adiuuantis: tum etiam, quia licèt auxilium gratiæ adiuuantis non conferatur, nisi cooperanti arbitrio, nihilominus talis cooperatio, non est ratio ob quam detur tale auxilium, sed est concausa sine qua non datur. tum denique, quia etiam ille conatus est ex vocatione, & in illam vt in priorem causam reducitur, vt in libro quinto latiùs dicemus.

Ex his verò incidens oritur quæstiuncula, quæ videlicet, fit maior gratia, cæteris paribus, seu ex suo genere, an excitans, vel adiuuans, videri enim potest excitans. Primò, quia magis gratis datur, vel saltem minus dependenter à nostra libertate: nam fit in nobis sine nobis, cùm tamen adiuuans non detur sine libera cooperatione nostra, in quo videmur nos aliquid ad illam conferre, ex quo capite videtur ratio gratiæ in illo minui. Secundò, quia gratia excitans ex suo genere non supponit aliam gratiam, & ideo si resoluatur vsq; ad primam, non potest cadere sub meritum, nec esse vllo modo debita. Adiuuans autem gratia ex suo genere, vel cadit sub aliquod meritum quatenus liberum vsum postulat, vel saltem semper est debita ratione alicuius gratiæ prioris, quam semper supponit, & ita semper est gratia pro gratia. In contrarium verò est, primò quia gratia adiuuans magis sanctificat hominem, quàm gratia excitans, vt in puncto proximè præcedente dicebamus. Secundò, quia actus fidei, charitatis, & similes, qui liberè fiunt per virtutes infusas, perfectiores sunt in speciebus suis, quàm motus gratiæ excitantis, qui illis cum proportione respondent, seu qui propter illos dantur, vt videtur per se notum ex hactenus dictis, tum quia actus virtutum theologicarum sunt perfectissimi in toto ordine gratiæ, & idem est de cæteris cum proportione, tum etiam, quia motus indeliberati gratiæ excitantis ordinantur ad hos actus tanquam imperfectum ad perfectum: sed influxus gratiæ adiuuantis proximè datur ad hos actus perfectos, & realiter est idem cum illis; ergo est perfectior, quàm excitans gratia.

12. Quæstiuncula vtra sit maior gratia excitas, vel adiuuãs. Motiua pro gratia excitante. Motiua pro adiuuante.

Respondetur has duas gratias posse comparari, vel in absoluta perfectione entis, vel in ratione, seu habitudine liberalis, seu gratuiti doni. Priori modo præferenda videtur gratia adiuuans propter rationes factas, nec quoad hoc obstat quòd actio gratiæ adiuuantis, pendeat à libero arbitrio, tum quia pendet ab illo vt ab instrumento Dei per obedientialem potentiam operante, quod actionis perfectionem non minuit: tum quia etiam motus gratiæ excitantis pendet effectiuè à nostris potentiis, quamuis prior dependentia sit libera, & non hæc posterior, quod non minuit prioris perfectionem, sed potiùs commendat. In ratione autem doni liberalis ferè seruant quandam æqualitatem, quia etiam gratia adiuuans si reducatur ad primam in suo genere, non potest cadere sub meritum, vel dispositionem hominis, quia non magis supponit opus liberum meritorium, quàm gratia excitans; & quamuis requirat cooperationem liberam, non tamen priorem, nec vtrationem ob quam detur, sicut dixi, & ideo nihil minuitur ratio gratiæ. Dixi autem *ferè*, quia licèt neutra istarum gratiarum sit debita homini alicuius conditionis naturæ, non tamen inter se seruant ordinem, ideòque suppositæ gratia excitante, ratione illius potest dici aliquo modo debita, quod absolutè non minuit rationem gratiæ quia illud debitum non tam est respectu hominis, quàm ex parte Dei, & prouidentia eius, & ex quadam proportione inter gratias ipsas.

13. Resolutio. Gratia adiuuans maior est in perfectione absoluta entis. In ratione doni gratuiti seruant quandam æqualitatẽ.

Caput XVII.

Vtrùm gratia excitans sit principium physicè adiuuans, præsertim vbi habitus infusus deest.

1. Status quæstionis explicandæ.

DIximus de actuali influxu gratiæ adiuuantis, superest explicemus quod sit principium supernaturale, à quo proximè, & principaliter tale

tale auxilium efficitur; hanc enim suprà appellauimus gratiam adiuuantem per modum principij: non tractamus autem de influxu Dei per modum generalis concursus, de quo postea videbimus. Nũc igitur solùm agimus de proprio principio particulari, quod iuuat potentiam, quæ de se est insufficiens principium proximum ad eliciendos actus illos. Primò quando iam est informata habitu, & de hac etiam nunc non tractamus, quia supponimus iam habere intrinsecum principium coadiuuãs: an verò indigeat aliquo alio auxilio, postea videbimus. Alio ergo modo cõtingit huiusmodi actũ elici à potentia nondũ informata habitu, vt in conuersione ad fidem contingit, in prima voluntate credendi, & in cõuersione peccatoris fidelis, in vltima disposition ad gratiã, vt infrà videbimus; & certior est in remotis dispositionibus supernaturalibus, quæ etiam tempore antecedunt habitualẽ iustitiam, & à solo habitu spei sæpe elici non possunt. De his ergo actibus est difficultas à qua gratia adiuuante per modum principij physicè procedant.

2. Prima opinio. *Actus supernaturales procedere à gratia excitante tanquam à principio physico.*

Nonnulli moderni Theologi docuerunt huiusmodi actus procedere effectiuè ab ipsa gratia excitante, & illammet iuuare potentiam tanquã principium physicum ad eliciendum actum. Et primò ad id suadendum inducunt Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. quatenus dicit, *peccatorem vocari à Deo, vt per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, cooperando disponantur.* Significat enim Concilium hominem cooperari gratiæ excitanti; ergo etiam sentit excitantem gratiam cooperari ipsi homini: nam hæc duo correlatiua sunt, & consequenter etiam significat eamdem gratiam excitantem cooperando homini fieri adiuuantẽ; ergo sicut cooperatio hominis physica est, ita etiam cooperatio gratiæ excitantis; ergo est gratia adiuuans per modum principij physici. Secundò ad idem inducitur Augustinus, quatenus sæpe docet vocationem esse gratiam efficacem, vnde aliquando vocat illam effectricem bonæ voluntatis, interdũ de illa dicit dare vires efficacissimas voluntati, sæpe etiam per vocationem dicit facere Deum, vt velimus, vel vt faciamus, & auferre ab homine cor lapideum, & dare cor carneum, & similes effectus quos Scriptura diuinæ gratiæ tribuit. Hos autem effectus facit Deus in nobis verè & physicè; ergo principium proximum per quod illos facit, est vocatio; ergo etiam vocatio facit illos propriè, & physicè, nam illa verba hoc in proprietate significant, & nulla est ratio ob quam ad metaphoricos sensus trahantur. Vocatio autem (vt sæpe diximus) est gratia excitans; ergo. Tertiò additur ratio, quia voluntas indiget aliquo principio supernaturali cõsficiente huiusmodi actum, & non habet habitum, vt supponimus, nec aliud potest facile fingi; ergo non potest esse nisi excitatio ipsa. Et confirmatur, nam per illam datur homini auxilium sufficiens, vt possit operari, si velit; ergo per illam datur principium physicè adiuuans: nam sine hoc non potest voluntas velle, sicut oportet; ergo hoc etiam principium datur per gratiam excitantem; ergo ipsamet gratia excitans est tale principium, quia præter illam nihil cum illa, aut ex vi illius necessariò datur.

Probatur 1. ex Concil. Trident.

3. Probatur 2. ex Augustino.

4. Probatur 3. ratione, quia aliud principium supernaturale fingi nequit.

5. Reiicitur hæc opinio,

Nihilominus assero motus gratiæ excitantis non esse principia physica adiuantia potentiam ad eliciendos actus deliberatos gratiæ adiuuantis. Hæc assertio ratione præcipuè probanda est, quia in hoc puncto non habemus positiuam auctoritatem Scripturæ, Conciliorum aut Patrum: supposita autem ratione authoritate negatiua satis probabiliter eam confirmare poterimus. Rationem autem in hunc modum declaro, nam duobus modis cogitari potest, quòd motus excitantis gratiæ sit principium formale, quo voluntas verbi gratia, elicit supernaturalem consensum. Primò, quia natura sua est forma connaturalis potens producere talem effectum, & habens ad hoc sufficientem virtutem in suo genere principalem, ad eum modum, quo habitus infusus censetur esse principium sui actus. Secundò potest motus gratiæ excitantis cogitari tanquam instrumentum physicum, quo Deus vtitur ad iuuandam potentiam carentem habitu, eleuando nimirum motum ipsum excitantis gratiæ ad hanc efficientiam; quamuis ad illam ex se non habeat connaturalem, vel sufficientem virtutem: neutro autem horum modorum videtur posse satis probabiliter defendi illa gratia; ergo asserenda non est.

Quia gratia excitans, quæ est forma connaturalis ad hunc effectum, non est instrumentum physicum Dei adiuuantis voluntatem.

6. Primo, quia gratia excitans non potest, vt ostensum est, esse principium physicum actus immanentis potentiæ alterius potentiæ; ergo.

Probo igitur in primis in motibus gratiæ excitantis non esse talem vim actiuam, & in suo ordine connaturalem. Primò, quia contingere potest, motum excitantis gratiæ esse in intellectu, & consensum esse in voluntate, vel è conuerso actum excitantem esse in voluntate, & mouere ad actum intellectus, vel vtrumque actum excitatum esse eiusdem potentiæ: nullo autem ex his modis potest actus gratiæ excitantis esse principium physicè efficiens deliberatum consensum; ergo. Maior supponitur ex suprà tractatis. Minor autem quoad duas priores partes probatur ratione vtrique communi, quia inter actus immanentes actus vnius potentiæ non est principium physicè efficiens alterius potentiæ actum, vt est in Philosophia magis receptum: tum, quia actus vnius potentiæ non perficit formaliter aliam; nulla autem forma dat virtutem agendi, nisi subiecto, & potentiæ cui ineſt, tum etiam, quia isti actus immanentes etiam in propriis potentiis ordinariè, non efficiunt nisi habitus, vt statim dicam, ergo multo minus possunt efficere actus alterius potentiæ.

7. Declaratur actus intellectus non posse physicè efficere actum voluntatis.

Declarantur præterea singula membra: nam actus intellectus non excitat voluntatem in ordine supernaturali, nisi illo modo quo voluntas secundùm connaturalem ordinem nata est moueri ab intellectu: at verò secundùm naturalem ordinem intellectus non mouet voluntatem per suum actum physicè efficiendo actum voluntatis, sed vel mediante obiecto, quod illi præsentat, vel persuadendo, vel alio simili modo moraliter mouendo; ergo idem est in excitatione supernaturali. Minor ab omnibus Philosophis recepta est, nemo enim dixit cogitationem malam esse principium physicum, quo voluntas præbet consensum peccati, vel cogitationem bonam esse simile principium honestæ volitionis: nam cogitatio est valde extrinseca voluntati, & non constituit illam in actu primo ad agendum, & ideo non potest illi dare vim propriam, & physicè actiuam. Vnde licèt inter Philosophos sint variæ opiniones, an bonum cognitum concurrat effectiuè ad specificationem actus voluntatis, omnes in hoc videntur conuenire, quòd ipse actus cognoscendi, non est principium formale eliciendi, seu efficiendi actum voluntatis, & inter opiniones de obiecto cognito, ea longè probabilior est, quæ negat habere tale obiectum propriam efficientiam physicam in voluntatem, sed tantùm finalem metaphoricè eliciendo, & quasi formam extrinsecam speciem tribuendo. Ac denique licèt daremus, obiectum illud, aut conceptum eius habere aliquam efficientiam in voluntatem, numquam dat illi virtutem agendi necessariam ex parte voluntatis ad eliciendum suum actum, & ideo ex

ex illo capite nunquam potest intellectus actus esse principium eliciens cum voluntate actum ipsius.

8. Idem contingit in actibus supernaturalibus intellectus & voluntatis.

Quòd autem eodem modo inter supernaturales actus philosophari debeamus, probatur ex altera proportione assumpta, quia eadem est propositio, vel subordinatio virtutum, & actuum supernaturalium intellectus, & voluntatis, quæ est ipsarum potentiarum inter se; quia licèt sint excellentioris ordinis, semper continentur sub eisdem generibus intelligendi, & videndi; & ideo cum eadem proportione ad illum ordinem ascendunt, nec nos possumus aliter de illis iudicare, præsertim cùm nihil aliud de illis reuelatum nobis sit. Imò potest hoc ipsum inductione quadam, etiam in ipso ordine supernaturali, confirmari: nam actus fidei fortius excitat voluntatem ad actum charitatis, quàm cogitatio aliqua minus perfecta gratiæ excitantis. Nemo autem dicit actum fidei esse principium physicè efficiens actum charitatis, vel contritionis. Imò etiam beata visio dici potest supernaturaliter excitare voluntatem ad amandum, & tamen actus videndi non est principium efficiens ad actum amandi. Et licèt daremus obiectum propositum per fidem, vel visionem concurrere effectiuè ad specificationem amoris, nihilominus per actum intellectus, vel obiectum illius, vt tale est, non datur voluntati virtus amandi supernaturalis, & ideo etiam in patria est necessarius actus charitatis, & si illi deesset, esset necessarium aliud principium, quod efficacitatem eius supplereret. Ergo multo minus potest in via sola excitatio intellectus dare voluntati virtutem ad eliciendum actus supernaturales, quam natura sua non habet, vt suppleret illam, quam daret habitus si deesset, & quæ ex parte potentiæ, & non ex parte obiecti necessaria est.

Confirmatur ex actu fidei & charitatis, visionis, amoris beatifici.

9. Nec actus voluntatis producit physicè adum intellectus. Sed tantum applicat potentiam ad agendum per naturalem sympathiã.

Alterum membrum erat, quando motus voluntatis excitat intellectum, vel inducit illum, quod duobus tantùm modis in ordine naturalium actuum contingit, scilicet vel directè applicando, seu mouendo intellectum ad exercitium actus, vel indirectè tantùm per quamdam veluti resultantiam. Priori modo excitat voluntas intellectum ad credendum directè volendo, vt assentiatur, posteriori modo per timorem, v.g. excitat ad bene iudicandum de turpitudine peccati, & per piam affectionem ad rem præceptam, vel ad præcipientem inclinatur intellectus ad bene iudicandum de re præcepta, aut de præcepto obseruando: neutro autem modo actus voluntatis est principium formale physicè efficiens actum intellectus, sed applicat tantum potentiam ad agendum per quamdam naturalem sympathiam, & subordinationem potentiam, quæ in eadem anima radicantur, vt ex Philosophia suppono quoad rationes naturales, & eadem proportio seruanda est in supernaturalibus, propter rationem suprà factam.

10. Quod ostẽditur in voluntate credendi.

Et declaratur in voluntate credendi: non enim est principium proprium, & physicum assensus fidei, qui est in intellectu, aliàs non indigeret intellectus habitu proprio ad credendum, quia per illum actum voluntatis sufficienter iuuaretur, quod est manifestè falsum. Et ratio est, quia voluntas se habet quasi imperans: potentia autem imperans non dat virtutem exequendi potentiæ imperatæ, sed supponit illam. Vnde (quod ad rem maximè spectat) licèt illa motio voluntatis esset per aliquem influxum physicum imperatiuum (vt sic dicam,) nihilominus ad eliciendum assensum supernaturalem fidei indiget intellectus proprio supernaturali principio, quòd voluntas illa supplere non potest. Ergo multo minus quilibet alius actus indirectè excitans, vel inducens intellectum, potest esse proximum principium physicè efficiens ipsum assensum vel supplens vicem habitus intellectualis, quia & minorem proportionem habet, & minorem, magisque accidentarium influxum in ipsum intellectum, vt per se notum est.

Tertium membrum erat, quando actus sunt eiusdem potentiæ: nam illuminatio, verbi gratia vel interior doctrina, quæ in intellectu antecedit per modum gratiæ excitantis ad actum fidei, comparatur ad illum sicut apprehensio ad iudicium, vel ad summum; sicut iudicium de credulitate ad iudicium de veritate rei propositæ. Apprehensio autem non est principium efficiens iudicium, quando ab illo distinguitur, sed materialiter tantùm se habet applicando obiectum, & licèt in suo genere, seu ex parte obiecti haberet aliquam efficientiam, nihilominus ex parte potentiæ suppo-

11. Idẽ demonstratur quãdo actus sũt eiusdem potentiæ, neque enim tunc potest esse principium physicũ alterius, quod ostẽditur in intellectu.

nere debet virtutem in suo genere integram, vt est in naturalibus, vel lumen intellectus per se solum respectu conclusionis per se notæ, vel adiutum iudiciis præmissarum respectu conclusionis, &c. Sic ergo in supernaturalibus tota illa apprehensio, vel illuminatio, quæ antecedit assensum fidei, non dat vim per se actiuam intellectui ad credendum supernaturaliter, sed illam dat habitus quando adest: quando verò deest, aliunde suppleri debet, nam est longè diuersæ rationis, vt declaratum est. Idemque euidentissimum est in iudicio credibilitatis, nam ex illo non infertur iudicium veritatis, vt propter connexionem possit vnum iudicium illud efficere. Vnde credulitatis iudicium immediatè inducit voluntatem, non tamen dat facultatem intellectui, vt credat esse verum, quod iudicatur credibile. Accedit, quòd omnes isti actus antecedentes in intellectu actum credendi sunt minus perfecti, quàm ipsi actus credendi; ergo non possunt dare proximam, & principalem potestatem ad eliciendum ipsum actum credendi, quam dat habitus, ac proinde non possunt vices eius supplere.

Atque hæ rationes locum habent in motibus voluntatis, nam etiam in illa motus gratiæ excitantis sunt minus perfecti, quàm actus deliberati charitatis, vel aliarum, virtutum infusarum, & ideo non possunt illos efficere tanquam principia proxima principalia. Item, quia isti actus non habent connexionem necessariam inter se, nec vnus per se, & ex natura sua ordinatur ad alterum, sed iuxta ordinem diuinæ sapientiæ, & obseruata hominis capacitate, interdum per amorem, interdum verò per timorem excitatur homo ad eundem consensum. Actus autem voluntatis non est principium alterius, nisi fortè quando per se vnus ad alium ordinatur, sicut electio ad intentionem, quæ connexio non inuenitur inter motus gratiæ excitantis, & actus deliberatos voluntatis; ergo non possunt esse connaturalia principia effectiua illorum. Accedit quòd præter motus gratiæ excitantis requiritur, per se loquendo, habitus adiuuans potentiam; ergo sola gratia excitans non dat virtutem agendi, quam dat habitus, neque supplet illam quando habitus deest, alias non esset necessarius habitus. Probatur hæc consequentia, quia etiam iusti habentes habitum indigent gratia excitante ad vsum illorum, vt suprà probatum est; ergo si illa esset connaturale principium sicut habitus, cùm aliunde semper præcedat, non esset necessariùs habitus.

12. Idem ostẽditur in voluntate.

Vnde quando homo operatur ex habitu infuso, tunc gratia excitans non concurrit vt princi-

13.

Gratia excitans non est principium physicum cum habitu infuso, qui per se sufficit.

pium physicum; quia habitus sufficit; ergo signum est excitationem non habere natura sua illam actiuitatem. Respondeti potest, habere quidem illam, præueniri autem per habitum, & impediri ne actu efficiat: sed hoc gratis dicitur; cur enim non potiùs ipsa præuenit; & impedit habitum, cùm sit actualis motio. Item ad quid multiplicantur virtutes actiuæ eiusdem ordinis, quæ se in agendo impediant. Magis ergo consequenter diceretur, vtrumque principium simul tunc concurrere, & se iuuare ad faciliùs producendum effectum. Contra hoc verò obstat, quia inde sequitur habitum infusum non dari posse, nec esse necessarium ad connaturaliter operandum, quia gratia excitans dat sufficientem potestatem physicam, & consequenter sufficit vt actus connaturaliter fiat quia illa virtus esse dicitur intrinseca, & sufficit per modum principij proximi principalis: contrarium autem docent de habitibus infusis communiter Theologi; ergo signum est in motibus gratiæ excitantis illam virtutem actiuam non agnouisse.

14. Gratia excitans non est instrumentū Physicū effectuum actus supernaturalis.

Supereſt vt probemus, hos actus excitantis gratiæ non esse instrumenta physica efficientia actus gratiæ adiuuantis. Aut enim essent instrumenta connaturalia, & natura sua ordinata ad talem effectum instrumentaliter efficiendum, aut essent instrumenta tantùm eleuata ex sola libera voluntate Dei, & positiua institutione. Primum non potest dici cum probabilitate, tum quia ferè omnibus rationibus factis impugnari poterit, & præsertim, quia inter actus similes ordinis naturalis non inuenitur talis efficientia instrumentalis; ergo sine causa fingitur inter actus ordinis supernaturalis seruata proportione, tum etiam, quia cùm motus gratiæ excitantis sint minùs perfecti, vt dictum est, licèt haberent instrumentalem efficientiam, indigerent aliquo principio principali, quia instrumentum imperfectum per se non sufficit, & tunc insurgit eadem difficultas, nimirum quòd sit illud principium, quando de est habitus, præterquam quòd posito alio principali principio sine causa fingitur illa instrumentalis efficientia, cùm in huiusmodi actibus non soleat esse necessaria.

Non quidē est instrumentū naturaliter ordinatum ad talem effectum.

15. Neque est instrumentum eleuatum.

Vnde altera pars de instrumento eleuato, & quasi miraculoso, licèt impossibile non sit, non potest cum fundamento firmari, quia de his quæ sunt supra naturas rerum, & ex diuina pendent voluntate, nihil affirmandum est, nisi quòd vel est reuelatum, vel ex reuelatis sufficienter colligitur, vel saltem sufficienti auctoritate probari potest: nihil autem horum in præsenti inuenitur; vbi enim est hoc reuelatum, aut ex quibus principiis reuelatis colligitur? de authoritate verò statim dicam. Et confirmatur, nam si motus ipsi gratiæ excitantis ex se non habent connaturalem vim actiuam perfectorum actuum; ergo vt releuentur ad agendum indigent vel additione alicuius virtutis, vel saltem speciali motione, & cooperatione Dei. At verò eadem facilitate potest Deus immediatè eleuare ipsas potentias ad eliciendos ipsos actus sine habitibus, vt infrà ostendemus; ergo non est ponenda in his motibus gratiæ excitantis talis eleuatio, vel instrumentalis affectio sine aliquò fundamento, vel necessitate. Declaratur tandem à simili, quia etiam potest Deus efficere in nobis habitum, v. g. charitatis per primum actum charitatis, tanquam per instrumentum physicum, & simili modo illum augere per actus subsequentes, & tamen, vt infrà videbimus, communiter id negatur, quia illa effectio non est connaturalis, & miraculosa non est asserenda sine fundamento reuelationis, seu authoritatis. Denique tamen de contritione, vt est pars Sacramenti Pœnitentiæ id verisimiliter credi potest, quia in institutione illius Sacramenti potest probabiliter fundari; ergo sine vllo fundamento simili non est probabilis similis assertio.

16. Eadem est ratio probandi negatiuam quoad his magis ponderis est.

Atque hinc tandem probare possumus nostram sententiam authoritate negatiua, quæ in his rebus supernaturalibus magnam vim habet. Et in primis nec D. Thomas, nec alij Theologi antiqui, vel qui ante paucos annos scripserunt, huiusmodi efficientiam motibus gratię excitantis tribuerunt, quod ego viderim, vel allegatum inuenerim, quamuis diligenter quæsierim, imò, vt suprà argumentabar, cùm omnes requirant habitus infusos operatiuos, qui dent intellectui, & voluntati potestatem efficiendi hos actus, eo ipso supponere videntur, nullum actum priorem intellectus, vel voluntatis dare illis virtutem actiuam ad efficiēdos alios actus subsequentes. Vnde cùm in particulari tractent quæstionem de primo actu, qui est dispositio ad habitū, à quo principio supernaturali proximo eleuatur, multi contendunt dici ab eodem habitu, ad quem disponit, quia profectò supponunt non esse in nobis aliud priùs principium supernaturale creatum, & nobis inhærens ad efficiendum physicè talem actum: qui autem negant illum elici ab habitu, quærunt alios modos, quibus potentia iuuetur physicè ad eliciendum actum: excitanti autem gratiæ illud adiutorium non attribuunt, neq; etiam in Patribus, aut Conciliis habet illa sententia fundamentum; nullum enim affertur præter ea quæ in principio allegata sunt, quæ nihil probant, vt respondendo facilè patebit.

17. Respondetur Concilio Tridentino adducto.

Ad Concilium ergo Tridentinum iam suprà dixi, potiùs ex eo colligi adiuuantem, & excitantem gratiam aliquo modo distingui, quia semper de illis, vt de pluribus loquitur. Neque obstat quòd in singulari dicam *eidem gratiæ*, tum quia loqui potuit de tota illa gratia tanquam de vno adiutorio completo ex excitante, & adiuuante gratia cui homo cooperatur. Verum tamen est Concilium non explicasse modum illius distinctionis, nec an intercedat inter principia excitantia, vel adiuuantia, vel inter ipsas naturales motiones vtriusque gratiæ. Vnde licèt concedamus quando Concilium dicit hominem eidem gratiæ cooperando se disponere ad iustitiam, referre gratiam excitantem, inde colligi non potest efficientia physica gratiæ excitantis in actu gratiæ cooperantis, quia etiam causa moralis dicitur operari, & homo dici potest cooperari gratiæ excitanti, vt moraliter adiuuat, sicut Iacobi 2. dicitur fides cooperari operibus hominis iusti, & Paulus ad Galat. 5. dicit fidem per charitatem operari.

18. Sanctus Augustinus explicatur.

Eademque responsio habet locum in locutionibus Augustini, omnes enim propriissimum sensum habent in causalitate morali, & si quis illum attentè legerit, non aliam causalitatem tribuit vocatio propria, & physica actione fit à Deo in nobis, & ita per illam propriè operatur salutem nostram, sicut homo propriè & physicè efficit contritionem: per illam autem non nisi moraliter, & dispositiuè causat suam sanctificationem & nihilominus in Scriptura dicitur homo pœnitens vuificare animam suam, & sanctificare se. quæ omnia in libro quinto latiùs explicabuntur. Ratio autem ibi adducta cum confirmatione non probant ipsam excitationem esse principium physicè adiuuans, sed probant cum excitatione dari, vel præstò esse homini principium sufficiens ad adiuuandam potentiam, etiam in genere physico.

Quod autem sit hoc principium, in sequentibus capitibus inquiremus.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Vtrùm in homine liberè ac supernaturaliter operante sine habitu principium adiuuans, ad talem actum supernaturalem eliciendum, sit aliquid creatum animæ infusum.

1. Status quæstionis.

CVm ostensum sit motum gratiæ excitantis non esse, immediatum principium physicè concurrens cum potentia ad eliciendum liberum, & perfectum actum, necessariũ est, inter motum gratiæ excitantis, & actum supernaturalem, liberè intercedere aliquid aliud proprium, quod physicè iuuet potentiam ad eliciendum talem actum, ideóque inquirendum supereſt, quodnam sit illud principium. In qua re aliqui moderni existimant, necessarium esse vt præcedat in potentia saltem ordine naturæ aliquod principium creatum illi infusum à solo Deo, quod adiuuet potentiam ad eliciendum talem actum. Probatur primo, quia

2. Opinio existimãs principiũ actus supernaturalis esse aliquid à Deo infusum po tentiæ.

voluntas, v. g. per se solum non habet potestatem sufficientem in actu primo ad eliciendos actus supernaturales in substantia; ergo impossibile est quòd tales actus eliciat, nisi detur illi potestas aliqua supernaturalis: hæc autem esse non potest, nisi aliquid creatum in ipsa voluntate receptum.

3. Primò, quia debet potẽtia per aliquid sibi intrinsecum constitui in actu primo

Confirmatur primò, quia fieri non potest vt potentia eliciat actum secundum, quin priùs constituatur in actu primo sufficienti ad talem actum eliciendum; sed quia actus primus, & secundus sunt essentialiter subordinat: non potest autem voluntas constitui in actu primo, nisi per aliquam formam creatam sibi inhærentem, quod maximè locum habet in forma, quæ sit principium principale actus vitalis, quia de ratione huius principij est, vt informet ipsum viuentem. Vnde

Aristoteles. Aristot. lib. 2. de anima tex. 24. inde infert animam esse intrinsecam formam, quia est principium principale operationum vitæ, & D. Thomas

D. Thomas. Thomas 2. contra gent. cap. 19. inde probat intellectum non posse esse substantiam separatam, quia est principium principale proximum, operationum vitæ. Inde etiam probamus animam Christi non potuisse intelligere, aut velle per intellectum, aut voluntatem increatam, quia non inhærent formaliter ipsi animæ; ergo similiter non possunt noster intellectus, aut voluntas elicere actus supernaturales in substantia sine principio formaliter inhærente, quia de se non habent virtutem principalem ad eliciendos tales actus, sed per formam aliquam addi debeat; ergo necesse, vt talis forma creata, & inhærens in ipsa potentia saltem ordine naturæ antecedat.

4. Secundò. Prob quia Deus solus potest efficere actus vitales & liberos in homine.

Confirmatur secundò, quia aliàs posset Deus solus efficere in homine huiusmodi actus vitales & liberos, quia si possunt fieri in voluntate, verbi gratia, sine interuentu virtutis creatæ mediæ inter potentiam, & actum, necesse est, vt fiant à Deo tanquam à principio proximo principali; ergo eadem ratione potuerunt fieri absolutè, & simpliciter à solo Deo, quia non minus repugnat actui vitali fieri ab extrinseco principio proximo principali, quam ab integra, & totali causa. Tertiò hoc confirmant, quia Deus concurrit cum voluntate,

5. Tertiò. Prob ex modo quo Deus concurrit cum voluntate.

verbi gratia, ad actus supernaturales concursu supernaturalis ordinis: sed hic concursus est influxus Dei immediatus in ipsam voluntatem, & non tantum in actum eius; ergo impossibile est vt talis actus fiat à voluntate nisi Deus in ipsam aliquid supernaturale prætuium immittat; ergo illud erit principium proximum principale talium actuum. Atque his argumentis contendunt huius sententiæ auctores efficere, oppositum repugnare etiam de potentia Dei absoluta.

6. Idem probatur saltem de lege ordinaria ex Conc. Trid.

Secundò verò principaliter probatur saltem de lege, & de potentia ordinaria non aliter fieri (quidquid sit de absoluta potentia,) ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. dicente peccatores vocari, vt *per Dei excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, vt eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur.* vbi Concilium non minus adiuuantem gratiam, quàm excitantem sentit esse aliquid creatum infusum voluntati, vt illam adiuuet ad motum conuersionis. Neque potest intelligi de influxu gratiæ adiuuantis, sed de principio eius, quia loquitur de gratia antecedente ad consensum, & cooperationem, qua præparatur voluntas, vt Deo vocanti consentiat. quod confirmant verba sequentia; *ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, nec homo nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abiicere potest.* quæ verba *tangendi, recipiendi & abiiciendi*, significant gratiam illam esse aliquid creatum in anima receptum. Idem indicant verba canonis 3. ibi, *Sine præueniente Spiritus sancti inspiratione atque eius adiutorio*, & canonis 4. ibi, à Deo motum & excitatum.

7. Ex PP.

Simili modo potest hæc sententia confirmari ex Patribus asserentibus amorem Dei, & similes actus fieri in nobis per infusionem gratiæ, & Spiritus sancti; sic ait Auguſt. tract. 75. in Ioan. *Non valemus amare nisi accipiamus Spiritum sanctum*: non accipimus autem Spiritum sanctum, nisi quatenus aliquod donum suum nobis infundit; ergo necesse est vt priùs nobis donetur tale donum, quod sit principium amoris. Idem sumitur ex Augustino in Manuali cap. 20. & 27. & lib. de spirit. & liter. cap. 3. 8. & 9. quatenus ait, *non posse nos diligere Deum nisi priùs sanemur.* fauet etiam Gregorius Homil. 30. in Euangel. quatenus ait, *Qui Deum desiderat, iam habet quod amat.* Denique ad idem inducì possunt canones Concilij Arausicani, quatenus in eis dicitur, inuocationem Dei, desiderium salutis, voluntatem credendi, & similia opera pietatis fieri in nobis per Spiritus sancti infusionem, & operationem. At verò Spiritus sanctus non infunditur, nisi per aliquod donum: vt idem Concil. can. 3. interpretatur, & tale donum dat vires, & potestatem operandi, ex mente eiusdem Concilij, & est præuium ad actum amoris, & similes, vt ex canone 6. 7. 20. & 25. eiusdem Concilij colligitur; ergo est aliqua gratia creatę quæ sit principium talium actuum. Tandem potest addi ratio, quia consentaneum est ordinariæ legi prouidentiæ Dei, vt per causas secundas det internam virtutem sufficientem ad suas actiones; sed in his actibus non repugnat seruari hanc legem, & hunc suauem prouidentiæ modum; ergo etiam ad hos actus dat Deus internam virtutem, quæ esse non potest nisi aliqua gratia creata supernaturalis.

Auguſt.

Gregor.

Concil. Arausic.

3. Ratione.

8. Quodnam sit illud principium infusum.

Quòd si inquiratur, quæ sit ista gratia? auctores huius sententiæ pro comperto habent, non esse aliquem actum vitalem, quia supponunt nõ esse ipsos modos indeliberatos gratiæ excitantis, neque etiam possunt esse actus deliberati, quia horum principium inquirimus, præterquam quòd regulariter isti actus immanentes non sunt principia agendi: oportet ergo vt talis gratia sit aliquid in nobis receptum, & à solo Deo factum. Tribus autem modis inuenio explicatam hanc gratiam. Primus est dicentium esse habitum infusum, ad quem talis actus disponit, vt est prior natura

An sit habitus,

quàm

quàm actus in genere causæ efficientis. quomodo opinantur multi de vltima dispositione ad gratiã. Sed de hoc puncto disputandum infrà in libro septimo de iustificatione; nam ad illum locum pertinet, & ibi ostendam sententiam hanc falsam esse; quidquid verò de illa sit, in præsenti non potest satisfacere: ad summum enim potest habere locum in vltima dispositione ad gratiam, qui est simul tempore cum impressione habitus; hic autem vniuersaliùs loquimur de quocumque actu supernali, qui potest sæpe tempore antecedere infusionem habitus, vt supponimus, & authores contrariæ sententiæ non negant. Et suprà ostendimus lib. 2. actus virtutum moralium infusarum esse posse in peccatore non habente tales virtutes, & attritio, seu contritio imperfecta potest esse in peccatore prius tempore, quàm iustificetur, vt ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 4 constat; ibi nihilominus dicit talem actum esse à Spiritu sancto mouente, licèt nondum inhabitante. Isti enim actus non possunt esse ab habitu, qui nondum est; ergo in illis non habet locum dicta sententia. Coniectare autem possumus auctores illius sententiæ non agnouisse aliud principium creatum supernaturalium actuum, præter habitum: nam si illud agnouissent, non redigerentur in eas angustias, vt actum qui disponit ad habitum ab ipsomet habitu fieri dicerent. Secundus modus explicandi hanc gratiam est, vt si qualitas quædam similis habitui in hoc, quod infunditur per modum actus primi, & virtutis actiuæ: dissimulis autem ab habitu, quia non est permanens, sed solùm per modum transeuntis infunditur. Tertius modus est gratiam illam non esse qualitatem, sed motionem tantùm, & hos duos modos inter alia refert in dicto quodlib. 2. Mendoza non tamen designat auctores.

An qualitas habitus similis.

An motio tantùm.

9. Modernorum sensus.

Moderni verò qui postea de auxiliis scripserunt, nunc vnum, nunc alium insinuant, vt latiùs infra tractando de concursu præuio dicemus, nam eodem modo in vtroque puncto philosophantur.

10. Vera sententia. Hoc principium in potentia destituta habitu non est aliqua gratia creata. Prob. 1. auctoritate.

Nihilominus dicendum censeo liberum arbitrium, quando supernaturales actus elicit sine habitu non iuuari per aliquam gratiam creatam, quę sit principium proximè physicè coëfficiens talem actum. Hanc sententiam tenet ex modernis Mendoca suprà; ex antiquis verò sumi potest ex illis auctoribus, qui negant vltimam dispositionem ad gratiam procedere ab habitu, quia nullum aliud principium physicè actiuum supernaturale & creatum illius dispositionis assignant, vel putant esse necessarium. Ex Conciliis autem, & Patribus non sunt hic testimonia requirenda, quia vt suprà dixi, de hoc physico adiutorio nihil specialiter tractarunt, sed solùm gratiam ad hos actus ab Spiritu sancto infundi, vel Deum nos iuuare ad illos efficiendos docuerunt, vt capite sequenti referemus. Ratione ergo probanda est assertio.

11. 2. Ratione, quia neque qualitas, neque motio actualis esse potest.

Vt autem discursum formemus, secluso habitu non posse talem gratiam cogitari, nisi altero ex duobus modis suprà relatis, scilicet, vel vt sit qualitas, vel spiritualis motio, quia cogitari non potest accidens spirituale inhærens intellectui, aut voluntati, & realiter distinctum ab illis, quodque non sit actus vitalis, sed potiùs principium proximè actiuum vitalium actuum, quod in alio prædicamento sit præter qualitatis, actionis, vel passionis, nam mera relatio prædicamentalis non est principium agendi, & supponere debet fundamentum absolutum, quod non potest esse nisi qualitas, aut actio, aut passio, & ideo si quæ est talis relatio resultans, in considerationem non venit. Cætera verò prædicamenta in accidente spirituali locum non habent, vt per se patet, & in superioribus iterum tactum est. Hæc autem gratia, si datur, accidens spirituale est, cùm potentiis spiritualibus inhæreat, & realiter ab ipsis distincta, cùm illis per se infundi debeat.

Improbabilis enim est opinio alia, quam suprà Mendoca refert, scilicet per hanc gratiam non addi voluntati, verbi gratiã, realiter entitatem ab illa distinctam, sed modum quemdam ab illa solùm moraliter (vt aiunt,) seu formaliter distinctum; hæc, inquam, opinio probabilis non est, quia hæc gratia vt sit principium physicum, & principale in ratione proximæ virtutis supernaturalium actuum, oportet, vt sit entitas perfecta, & in re ipsa distincta à potentia, sicut ipsi sunt actus, præterquam quòd neque intelligi potest, quid sit ille modus, vel qualis motio in voluntate fiat, vt illum modum, acquirat. Præterea licèt detur licentia fingendi talem modum, esset constituendus, vel reducendus ad aliquod prædicamentum, quod esse non potest, nisi vel qualitatis, vel actionis, aut passionis, & in eis esset quid valde imperfectum respectu actuum proprias supernaturales entitates habentium. Vnde non potest esse principium proximum, & principale illarum, imò si peritus Philosophus rectè consideret, fortasse non inueniet accidens, quod sit modus tantùm, & non propria entitas, quod sit propria virtus, & principium per se agendi, sed ad summum conditio requisita, vel conferens ad actionem, vt figura, motus, & similes. Concludimus, ergo non posse intelligi talem gratiam, nisi quæ motio, aut qualitas sit.

11. Impossibile autem est esse solum modum aliquem positivum.

Addimus verò vlteriùs, motionem necessariò reducendam esse ad qualitatem. Primo, quia motio in suo esse, oportet, vt passio, vel actio sit, & consequenter vt sit via ad aliquem terminum; non enim potest intelligi via sine termino, vt suprà tractando de principio gratiæ excitantis ostendi, & omnia ibi dicta possunt hic applicari: nam est eadem proportionalis ratio, & inferiùs tractando de concursu, & de gratia efficaci, hoc iterum inculcare necessarium erit, terminus autem illius motionis non potest esse, nisi qualitas vt discursus in præcedenti paragrapho factus conuincit; ergo necessarium est, quantum ad præsentem quæstionem attinet, motionem illam ad qualitatem reducere; quia cùm motio illa sit via ad suum terminum, siue per modum actionis, siue per modum passionis, vt sic non est principium per se agendi aliud actum perfectum, tum vt sic habeat rationem imperfectam, tum etiam, quia nulla entitas est principium agendi aliud, donec in suo esse iam sit integrè constituta: quamdiu autem entitas concipitur, quasi in via, non est in suo esse plenè constituta, & ideo vt sic non est principium agendi aliud, sed solùm suum terminum per modum tendentiæ ad illum.

12. Principium ad illud ad quod motio reducenda. Non est quid creatum.

14. Deinde quamuis gratia non sit motio actuum, non potest esse principium effectiuum actuum supernaturalium.

Accederet, quòd licèt admitteremus illam gratiam per modum puræ motionis non habentis aliquem intrinsecum terminum; non posset esse principalis virtus proxima effectrix supernaturalium actuum, sed solùm instrumentalis: hæc autem gratia ponitur à dictis auctoribus vt virtus principalis, æquè ac habitus infusus, imò non admittunt actus vitales posse fieri per instrumentalem virtutem, & nos etiam de principali virtute adiuuante tractamus, quæ suppleat vicem habitus: nam instrumentalem distinctam à voluntate, vel impossibilem in eo sensu, vel nulla ratione fundatam esse credimus. Quod autem pura motio etiamsi admittatur, non possit esse virtus principalis, probatur; tum quia non potest esse nisi entitas valdè imperfecta, cùm dicatur consistere tantùm

tantùm in fieri, non in aliquo facto esse; tum etiam, quia res omnes, quæ non agunt nisi per motionem receptam ab alio, solùm intelliguntur agere vt instrumenta; imò si argumentum sumendum est ab his, quæ experimur in instrumentis artis, quæ non agunt nisi mota, illa motio non solùm non dat virtutem agendi, verùm potiùs supponit illam, & tantùm est quasi conditio requisita ad modum agendi. Concludimus ergo si talis gratia datur, esse debere per modum qualitatis à solo Deo infusæ, vt voluntatem in actu primo ad agendum constituat.

15. Non est etiam hoc principium qualitas. Mendoca. 10. Quinquit assignari quid illa sit, an habitus, an aliquid transiens.

Contra hanc ergo qualitatem obiicit primò Mẽdoca suprà, quia fieri non potest, vt specie distinguatur ab habitu ad quem talis actus natura sua pertinet, vt v. g. à charitate, si actus ille sit amoris Dei super omnia. Assumptum probat, quia illa qualitas est actus primus tendens in idem obiectum materiale, & formale tamquam principium actus eiusdem speciei: ergo non habet vnde possit ab habitu charitatis specie distingui, quod ille ampliùs non vrget. Alij verò respondent illam qualitatem distingui ab habitu, non tantùm specie, sed etiam genere subalterno, quia non est qualitas permanens sicut habitus, sed quasi transiens, seu habens esse quasi fluens, quod non durat, nisi quamdiu durat operatio. Hanc verò responsionem ego impugnaui in 1. p. tractat. 1. lib. 2. cap. 16. disputando similem quæstionem de lumine gloriæ, & visione beata; quia illa qualitas licèt ex voluntate Dei posset non diutius conseruari, quàm dum actus durat, non potest hoc fundari in natura intrinseca talis qualitatis, vel saltem nullum nos habemus fundamentum, aut iudicium, vel exemplum alicuius spiritualis qualitatis habentis talem proprietatem connaturalem: ex maiori autem, vel minori durationè rei ex sola voluntate Dei extrinseca non potest sumi argumentum distinctionis specificæ, vt per se notum est; quia eandem rem potest Deus maiori, vel minori tempore conseruare, prout voluerit.

16. Non est aliquid transiens.

Antecedens patet, quòd illa qualitas, si datur non pendet ab actu, quia per eam fit, sed potiùs actus ab ipsa; non ergo ex hac parte non repugnat permanere, etiamsi actio cesset. Deinde non pendet ab actiuo influxu potentiæ, quia non est actus vitalis, seu secundus, sed primus ab alio receptus; aliunde verò est illa qualitas spiritualis, & in spirituali subiecto, pendénsq; in fieri & esse tantùm à Deo; ergo ex suo genere est incorruptibilis, præsertim si non habet contrarium, vel si illud habet, saltem quamdiu ab illo non expellitur, non habet ex se vnde desinat esse, nisi ex voluntate Dei nolentis illam conseruare, quod etiam facere potest in habitu, ergo de se non est minus permanens, quàm habitus. quod rectè explicatur exemplo adducto de visione Dei, & lumine gloriæ, nam si Paulus, v. g. in via ad visionem Dei breui tempore raptus est medio aliquo lumine tanquam principio visionis, non possumus cum fundamento dicere, lumen illud fuisse distinctum specie à lumine gloriæ Beatorum, solùm quia in Paulo breui tempore duravit, & in Beatis est æternum: nam eadem differentia inter visiones reperitur, & non propterea specie distinguuntur, quia visio quam habuit Paulus, de se æterna erat, licèt in Paulo viatore breui tantùm tempore Deus illam conseruare voluerit, quod similiter de lumine dici potest, cum nulla maior ratio corruptibilitatis, seu tránsitorij fluxus in lumine, quàm in visione cogitari possit.

17. Secundò principaliter argumentor, interrogando, an illa qualitas, quæ infunditur vt principium physicum, talis actus habeat infallibiliter coniunctum actum secundum, propter quem datur, vel possit de facto non sequi opus etiamsi illa infundatur, neutrum enim dici potest consequenter iuxta illam sententiam; ergo non infunditur talis qualitas. Probatur minor quoad priorem partem, quia si illud auxilium adiuuans per modum principij quoties infunditur habet coniunctum proprium actum, non est auxilium sufficiens, sed efficax; ergo tale principium, seu qualitas non includitur in auxilio tam sufficiente, quàm adiuuante, in actu primo, vnde consequenter sequitur per auxilium sufficiens non constitui physicè potentiam in actu primo ad operandum, cuius contrarium illi auctores in argumentis suis supponunt, & ad veram sufficientiam auxilij necessarium videtur, iuxta superiùs dicta.

bet secum coniunctũ infallibiliter effectũ, vel non. *Primum* dici nequit, quia esset semper gratia efficax,

Deinde contra illud primum membrum occurrit grauis difficultas, infrà tractanda, de concordia auxilij efficacis cum vsu libero, nam si illa qualitas iuxta illud est ex intrinseca natura talis qualitatis determinantis voluntatem ad exercitium actus, vel illa infallibilitas aliunde prouenit, scilicet ex præscientia Dei, non enim potest alia ratio cogitari. Si primum dicatur, rectè quidem ex illo effectu distinguetur qualitas illa ab habitu, nam habitus non ita determinat potentiam, sed illo vtimur cùm volumus. tunc autem difficillimum est libertatem actus cum illa qualitate componere, quia infusio illius qualitatis non est formaliter, & in se homini libera, quia ad illam efficiendam non concurrit etiam physicè, vt supponitur, sed merè passiuè se habet recipiendo illam: in pura autem receptione passiua non est vsus libertatis, vt sumitur ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. Neque etiam est illa infusio libera antecedenter, seu per denominationem ab aliqua præuia dispositione libera, propter quam illa qualitas infundatur, quia oportebit illam dispositionem esse supernaturalem, & consequenter à gratia excitante, & adiuuante fieri, & tum redibit quæstio, quodnam sit principium adiuuans ad illam dispositionem. Igitur necessariò sistendum est in gratia prima adiunante per modum principij physici, quæ non magis detur homini propter præuiam dispositionem eius, quàm detur prima gratia excitans propter similem dispositionem, sicut enim prima excitatio non est libera homini vllo modo, ita neque prima infusio illius qualitatis, quę dicitur esse gratia adiuuans per modum principij physici. Ex quo sequuntur duo incõmoda, vnum est, illum cui non infunditur illa qualitas simpliciter, non habere auxilium sufficiens, quia sine illa non potest elicere actum, nec est in potestate libera eius habere talem qualitatem, cùm nihil possit liberè agere, quo illam obtineat. Aliud inconueniens est, quia ille cui datur talis qualitas, non liberè operabitur, nam si illa qualitas determinat quoad exercitium actus voluntatem cui infunditur, ita infallibiliter ex intrinseca sua natura, vt non posset voluntas ei resistere, & actum cohibere, non apparet, quomodo actus ille liber quoad exercitium prodeat. quã rationẽ hic ampliùs non prosequor, quia necessariò sunt in sequentibus sæpiùs repetendæ, præcipuè tractando de auxilio, & concursu efficaci.

18. Nõ bene cohærebit cũ libertate si illa connexio infallibilis cũ effectu sit ex natura huius qualitatis

Concil. Trid.

Si autem aliud membrum eligatur, nimirum illam infallibilem connexionem, inter qualitatem illam, & consensum voluntatis, non esse ex natura intrinseca talis qualitatis, sed ex præscientia, quia scilicet præuidens Deus voluntatem sic excitatam consensuram, si adiuuetur, infundit illi talem qualitatem, vt per eam sicut oportet operetur: quando autem præuidet non consensuram, etiamsi ei infundatur talis qualitas, tunc illam non infunde-

19. Neque etiam si illa connexio sit ex præscientia Dei.

fundere, non quia de se sine actu esse non posset, nec quia semel infusa non subiaceat quoad vsum liberæ potestati voluntatis, sed quia in tali homine esset otiosa, & inutilis, si hoc, inquam, dicatur, iam eligitur alterum membrum partitionis in primo dilemmate positæ, simulque illo modo facilè saluatur libertas; tamen explicatio non est iuxta sensum, & principia auctorum contrariæ sententiæ, qui illam præscientiam non admittunt, vt videbimus. Et præterea non euacuat primam difficultatem tactam, quia si qualitas illa ex natura sua infundi potest potentiæ non operanti, nec ex vi illius statim operaturæ, de se non est qualitas pendens ab actuali operatione, neque requirens illam, vt in potentia sit, & permaneat; ergo de se est qualitas habitualis, & verus habitus, & consequenter eiusdem speciei, cum virtute infusa, ad quam pertinet talis actus, immeritóque appellatur quasi transiens, cum non sit hæc eius natura, quidquid sit de voluntaria infusione, vel conseruatione Dei cum tali præscientia, & non sine illa. Nam etiam habitum ipsum potest Deus, non infundere adulto, nisi præsciat illum statim in eodem momento operaturum cum illo, sicut verisimile est fuisse infusum Angelo, vel primo homini in sua creatione. Et declaratur ampliùs, nam si illa qualitas ex natura sua infundi potest voluntati non statim operanti, etiamsi de facto solùm infundatur ei, quæ præscitur operatura, nihilominus postquã fuerit semel infusa, permanebit in potentia, quantum est ex natura sua, etiamsi potentia ab operatione cesset, quia non potest magis pendere ab operatione in conseruari, quàm in fieri; ergo considerată illius naturâ, nihil habet in quo ab habitu differat.

20. Est habitus, ad illũ tamen actum infusus, & qui eo elicito definitur. D. Thom.

Sed aliquis fortasse argumento actus, fatebitur qualitatem illam nihil aliud esse, quàm ipsum habitum, vocari autem transeuntem solùm extrinsecè, quia tunc non infunditur à Deo vt permaneat, sed solùm ad illum actum, & quandiu ille durauerit. Sic enim D. Thom. 2. 2. q. 175. art. 3. ad 2. sentit lumen gloriæ infusum Paulo in raptu, in specie & entitate fuisse idem, quod est in Beatis, datum tamen esse per modum transeuntis, quia solùm ad breue tempus datum est.

21. Reiicitur hæc solutio.

Veruntamen hoc in primis est contra hypothesim, quam in dispositione supponimus, nimirum, sermonem esse de actibus, qui ab habitibus non eliciuntur; deinde friuolum, & incredibile videtur dicere peccatori, quoties prius tempore, quàm iustificetur, elicit actum supernaturalem temperantiæ, aut fortitudinis, vel pœnitentiæ imperfectæ, qua se remotè disponit ad remissionem peccati, infundi habitus talium virtutum, & auferri statim ac cessat operari. Et præterea in contritione, seu vltima ad gratiam dispositione, non habet locum illa responsio; quia tunc actus permanenter infunditur; ergo necessariò erit illam dispositionem elici abipso habitu, ad quem ipsa disponit, & ratione cuius ipse habitus infunditur, quod repugnare, tractando de iustificatione, probabimus. Nunc autem tanquam certum supponimus, actum propter quem eliciendum datur auxilium gratiæ proximè adiuuantis, non posse esse rationem, & causam, propter quam tale auxilium datur, alioqui esset talis ratio, vel causa, non vt factus per vires gratiæ, sed vt factus per solum liberum arbitrium, quod nemo dicet, qui Semipelagianum errorem omnino voluerit euitare.

22. Aliæ confirmationes.

Denique possunt ad hanc rationem confirmandam adduci omnia, quibus suprà probauimus, ad eliciendos actus supernaturales gratiæ excitantis, non esse necesseriam, nec præcedere infusionem alicuius qualitatis, vel motionem, quæ non sit actus vitalis. Nam est eadem, vel maior ratio, quia tam motus gratiæ excitantis, quàm actus proprij gratiæ adiuuantis supernaturales sunt, & effectiuè à nobis fiunt, solùmque differunt vel in maiori, vel minori perfectione, quod parum refert ad necessitatem supernaturalis principij, vel in hoc quòd illi sunt necessarij, isti autem liberi. Et ex hoc capite magis videtur repugnare impressio illius qualitatis actibus liberis, quàm necessariis, vt explicatum est. Quod verò ad auctoritatem pertinet, talis qualitas prævia ad hos actus non maius habet fundamentum in Scriptura, Concilijs, vel Augustino, respectu illorum, quàm respectu motuum gratiæ excitantis; nullam enim præuiam gratiam in illis inuenimus, præter inspirationes, illuminationes, & alias similes, quæ in actibus vitalibus consistunt. quod amplius ex solutione argumentorum constabit, quam commodiùs capite sequenti trademus.

CAPVT XIX.

Solum Spiritum sanctum immediatè adiuuare voluntatem vt principale principium proximè, & physicè faciens supernaturalem actum, quando sine habituelicitur.

1. Probatur assertio ex superioribus capitibus.

HÆc assertio à sufficienti partium enumeratione ex discursu præcedentium capitum necessariò concluditur. Nam ostensum est alias quod principium coëfficiens cum voluntate talem actum, & supplens defectum virium eius necessarium esse. Deinde probatum est hoc principium, non esse motionem, vel qualitatem creatam, quæ præcedat per modum actus vitalis, & excitantis gratiæ, vel per modum actus primi à solo Deo infusi, & passiuè tantùm in voluntate recepti; ergo necessarium est vt tale principium sit increatum, est ergo Deus ipse, seu Spiritus sanctus. Atque ita videntur sentire de vltima dispositione ad gratiam multi ex auctoribus, qui negant illam effectiuè procedere ab habitibus infusis, præsertim Mendoza in dicto quod lib. 2. ad finem, & Vega lib. 6. in Trident, cap. 28. vbi non requirit aliam gratiam præuenientem creatam ad talem disputationem præter excitantem, & ita exponit Scotum. Eadem autem ratio, vel certè maior in cæteris actibus supernaturalibus, qui tempore antecedunt habitus, locum habet.

1. Auctores Mendoza. Vega.

Possumus autem vlteriùs assertionem nostram confirmare, duo demonstrando. Vnum est, hunc modum diuini adiutorij esse possibilem, id est, non repugnare de potentia absoluta. Aliud est expediens tiam secundùm legem ordinariam esse sufficientem, & modo loquendi Scripturarum, & Patrum, & conuenienti ordini diuinæ prouidentiæ consentaneum. Priorem partem probaui de visione beatifica in particulari in 1. part. tract. 1. lib. 2. cap. 1. vbi dixi posse fieri ab intellectu creato solo Deo cooperante, & specialiter influente cum illo. quam sententiam tenet etiam Fr. Ioan. Vincent. de gratia Christi, quæst. 6. post quartam conclusionem. Vasquez. 1. part. disp. 46. cap. 2. Molina 1. part. quæst. 12. art. 5. disp. 2. qui plures auctores pro illa sententia referunt in 4. dist. 49. Nemo autem negauit eandem esse, vel maiorem rationem de aliis viæ. Ratio autem communis omnibus, quia nulla ratio repugnantiæ, vel implicationis contradictionis in hoc modo efficientiæ ostendi potest. Nam si qua cogitari valet, maximè erit, quia vitalis

2. Hieron. Ioan. Vasquez. Molina.

vitalis actus, vt talis est, non potest fieri sine principio intrinseco, & inhærente ipsi operanti, cuius cõtrarium ex illo efficientiæ modo sequi videtur. At hæc ratio nullius momenti est, & potest efficaciter in contrarium retorqueri, quia etiamsi solus Deus ad illum actum cum voluntate operetur, semper actus ille est ab intrinseco principio vitæ, nempe à voluntate cooperante cum Deo; & ex habitudine ad illam denominatur vitalis, nõ ex habitudine ad Deum; ergo non habet locum illa repugnantia.

3. Neque ob est vitalitas actus.

Vnde argumentor aliter, vt res magis explicetur (nam vis rationis eadem ferè est,) quia quando voluntas amat Deum ex habitu charitatis, non influit in actum per solam charitatem, sed etiam per seipsam, & licèt idem indiuisibilis influxus sit ab habitu, & potentia, tamen formaliter, & per se non habet, quòd sit vitalis ex habitudine ad habitum, sed ad potentiam, quia illa sola est proximum intrinsecum principium vitæ. At verò quando dicimus Deum cum potentia sola eundem amorem operari, Deus non supplet, neq; tollit, aut impedit influxum potentiæ, sine quo actus non potest esse vitalis; sed tantum supplet efficientiam habitus; quæ per se vitalis non est; ergo facillimè, & sine vlla repugnantia potest Deus id facere, habet enim in eo locum vulgare axioma, quod quidquid potest Deus facere per causas secundas, potest facere se solo.

Nec potuerunt auctores contrariæ sententiæ vim huius rationis effugere, nisi vel dicendo habitum infusum, vel aliam qualitatem supernaturalem loco eius inditam, esse totum principium proximũ; quo potentia facit actum, ipsa tantum quasi materialiter se habente sustentando illud principium; vel saltem asserendo illud supernaturale principiũ actus, esse principium proximũ, vnde actus habet quòd sit vitalis. Vtrumq; autem horum est falsum, quia primum est contra rationem actus vitalis, de cuius ratione formali est, vt effectiuè procedat ab anima, nisi etiã effectiuè procedat à potentiis eius; quatenus in ipsa anima radicatur, & ab ipsa fluit. Nã effectio quæ prouenit solũ à forma extrinsecus adiuuante, nullo modo potest esse ab anima, sicut calefactio, quæ est ab aqua calida, nullo modo elici potest à forma aquæ, quia solum est à calore tãquã à principio agendi, quod extrinsecus aduenit aquæ; & ex hac ratione impugnatur etiam altera pars, seu modus dicẽdi, quia cùm habitus, seu qualitas infusa non sit potentia intrinsecè manans ab anima, nõ potest esse principium vitalitatis actus (vt sic dicã,) vt lib. 8. cap. longo discursu monstratum est.

4. Quod ex ipsis aduersariis probatur.

5. Soluitur obiectio.

Relinquitur ergo ex vitalitate actus supernaturalis, non repugnare quin fiat à potentia sine habitu, vel alia qualitate inhærente, quæ illam per modum principij physici adiuuet, quia hanc efficientiam optimè potest Deus supplere per seipsum, nec enim necesse esse, vt potentiæ inhæreat, satis est enim quod illi intimè adsit, & cum illa influat. Respondent aliqui hanc intimam præsentiã sufficere quidem vt Deus concurrat cum potentia per modũ causæ vniuersalis, non tamen, vt concurrat per modum causæ particularis, & principalis. Respondetur falsam posteriorem partem; tùm quia nulla sufficiens ratio differentiæ reddi potest, cùm etiam sic operatur solus in potentia illos effectus, qui non sunt actus vitales; ergo etiam poterit ad vitales actus, vt causa proxima; & principalis influere simul cum potentia vitali, & nõ excludendo cooperationem, hoc enim necessarium non est; quia potentia non minus potest suum influxum præbere cum principio principali sibi assistente, vt sic dicã, quàm cum inhærente, nulla enim repugnantia assignari potest, siue potentia existimetur principium partiale, & principale etiam in suo genere respectu actuum supernaturalium, siue reputetur principiũ eleuatum per potentiam obedientialem, ac proinde instrumentale: nam quidquid horum censeatur, potest Deus cooperari potentiæ, vel eleuare illam supplendo simul per seipsum omnem efficientiam, quam habitus præstare potuisset.

Venio ad aliud membrum de potestate ordinaria, & de facto. Et in primis expendo distinctionem indicatam à Trid. sess. 14. c. 4. duobus modi sfieri aliquod opus in nobis ab Spiritu sancto, scilicet, vel inhabitante, vel tantùm mouente: propriè enim in habitat Spirit. sanctus in nobis per habitualem gratiam, & sanctitatem, & ideo tunc dicitur operari propriè, vt inhabitans in nobis quando per habitus operamur. Opera ergo quæ antecedunt habitus, sunt dona Dei, & Spir. sancti impulsus non inhabitantis, sed tantùm mouẽtis, sicut de attritione quæ antecedit charitatem, docet Conc. in citato loco; ergo satis consentaneè ad illum modũ loquendi Concilij intelligimus ad huiusmodi actus ipsummet Spiritum sanctũ immediatè nos mouere, priùs cor pulsando per excitantem gratiam, quam ibi Concilium impulsum vocat, & deinde nobiscũ influendo in actum antecedentem ad habitũ; *quo homo sibi viam ad iustitiam parat*, vt idem dicit Conciliũ. Deinde ad hos actus solùm requirunt Concilia excitantem, & adiuuantem gratiam, & solam excitantem dicunt esse præuenientem per Spirit. sancti inspirationem, & illuminationẽ: adiutorium autem tribuunt gratiæ cooperanti, & Deo; seu Spiritui sancto adiuuanti, vt constat ex eodem Conc. Trid. sess. 6. c. 5. & sequentibus. Vtrumq; autem propriè, & sufficienter saluatur, dicendo ipsum Spirit. sanctum effectiuè per seipsum, & excitare potentiam, & adiuuare illam, præsertim quando non dum illã inhabitat, sic enim Deus in nobis, atq; nobiscum operatur, vt loquitur idem Concilium Arausicanum c. 9. Deniq; Scriptura sæpissimè vocat Deum adiutorem nostrum, & specialiter cooperantem; quod certè non dicit propter solum generalem concursum, sed præcipuè propter singulare auxilium gratiæ, & ita etiam loquitur Augustinus, & Scriptutas interpretatur. Hæ autem loquutiones indifferẽtes sunt, & propriissimè intelligi possunt dẽ Deo immediatè nostras potentias adiuuante; ergo vbi non concurrit per habitum, non oportet fiingere aliquã qualitatem, vel incognitatem motionem, sed ipsimet Spiritui sancto hæc efficientiã immediatè tribuere. Et confirmatur optimè ex doctrina D. Tho. quæst. 22. de verit. art. 8. vbi cum docuisset posse Deum mutare voluntatem ab vno actu in aliũ, addit. *Immutat autem* (scilicet Deus) *voluntatem dupliciter, vno modo mouendo tantùm, quando scilicet voluntatẽ mouet ad aliquid mouendum, sine hoc quod aliquam formam imprimat voluntati, sicut quando sine appositione alicuius habitus, quandoque facit, vt homo velit hoc, quod priùs non volebat; alio verò modo imprimendo aliquam formam in ipsam voluntatem.* vbi non solùm loquitur D. Thomas de potentia absoluta, sed etiam de ordinaria, & vsitata à Deo, & per formam sine dubio intelligit quamcumque qualitatem præuiam, quæ sit principium agendi ipsi voluntati. Docet igitur, quoties Deus mouet voluntatem ad volẽdum immediatè, & per seipsum efficere actum volendi sine mediæ forma creata, quamuis non excludat cooperationem eiusdem voluntatis, vt per se notum est.

6. Ille modus agendi Dei ordinariè à Deo vsurpatur.

1. Ex aliis Conciliis.

Arausic.

D. Thom.

7. Vltimò possumus hoc congruenti ratione declarare, quia hic modus operandi non est præter ordinẽ prouidentiæ Dei, sed potiùs est illi maximè consentaneus: nam ad Deum spectat supplere impotẽtiam causarum secundarum in vnoquoq; genere, quando illis deest intrinseca virtus ad connaturaliter operandum, & nondum sunt illius capaces, sed potius ad illã obtinendã tendunt, alio modo minus perfecto operando. Ita enim in præsenti contingit,

§. Ratione ex modo operandi diuinæ prouidentiæ.

nam quando homo operatur hos actus ante habitum, præcedit ab imperfecto ad perfectum, nimirũ ab statu iniustitiæ, vel carentiæ iustitiæ ad statũ iustitiæ paulatim transeundo, & ideo pro eo tempore non potest connaturali modo, & per virtutẽ intrinsecè inhærentem operari: pertinet ergo ad Deũ vt primum auctorem gratiæ tunc per seipsum supplere defectum hominis, & illum ad se conuertere per seipsum peculiariter mouendo, & adiuuando, quo modo solet loqui D. Thomas. 1.2. quæst. 109. art. 6. & 7. etiam de conuersione ad Deum per vltimam & perfectam dispositionem ad gratiam. Tandem confirmabitur amplius hæc sententia respondendo ad argumenta in capite præcedenti relicta.

D. Thom.

8. Soluuntur argumenta 1. Ex improportione voluntatis ad actus supernaturales.

Primum erat voluntatem natura sua nõ habere potestatẽ ad actus supernaturales eliciendos sufficienter, quod simpliciter, & absolutè concedimus de potestate integra, & in genere principij proximi sufficiente, seu principali, quod suprà lib. 2. latè docuimus. Inde tamen non sequitur esse necessarium principium adiuuans ipsi potentiæ inhærens; nam sufficit principium coëficiens, potens ad supplendum defectum habitus, vel alterius principij, vt dẽclaratum est. Si verò sit sensus illius antecedentis potentiam naturalem animæ, nullam omnino virtutem etiam inchoatam de se habere ad eliciendũ huiusmodi actus, si ab alio sufficienter iuuetur, falsum est, & contra communem sententiam, quam cum Driedone & Ruardo tradit Bellarminus lib. 6. de Grat. & lib. arb. c. 15. & plures alij tam antiqui, quàm moderni, quæ infrà tractãdo de gratia habituali lib. 6. referemus. Idemque parum insinuat Aug. de spir. & lit. c. 33. vbi tractans quæst. an voluntas credendi sit à libero arbitrio, vel a Deo, respondet, *quòd liberum arbitrium naturaliter attributum à creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinare ad fidelitatẽ possit*; sentiens voluntatẽ credendi esse ab hac vt liberi arbitrij naturalis, non tamen sola, sed à Deo supernaturaliter adiuta. Et ideo, (inquit) nec istam voluntatem, qua credit homo Deo, dici potest homo habere, quã non accepe-rit, quando quidẽ vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cùm crearetur, accepit. Ergo teste Aug. voluntas credendi procedit ab aliqua vt naturaliter indita voluntati liberæ, siue illa dicatur naturalis & principalis in suo ordine, licèt partialis, siue dicatur obedientialis, & instrumentalis; de quo dicto l. 6. dicendum est. Aliqua verò prorsus necessaria est, vt actus possit esse vitalis, quia non posset actus effectiuè heri ab ipsa potentia, sed tantùm à virtute addita, quod repugnat actui vitali; & præsertim libero. Eadem autem inchoata vis liberi arbitrij sufficit vt actus possit esse vitalis, ac proinde satis etiam est, vt possit elici ab eodem libero arbitrio, ab ipso Deo immediatè adiuto sine aliqua qualitate inhærente, vt probatum est.

Driedo, Ruard. Bellarmin.

Aug.

9. Ad id quòd potentia sit constituenda in actu primo per formam inhærentem.

Vnde ad primam confirmationem quòd potentia debet constitui in acto primo per formam inhærentem, respondetur id est verum de actu primo integro, & totali: nam si aliqua entitas sit totum principium agendi non potest actio tribui alicui supposito, nisi illa entitas inhæreat, vel inhærmet illud suppositum, si non sit idẽ cum illo, vt est in Deo. Ratio autem est, quia quando forma distincta est totale principiũ agendi non potest denominare subiectũ, vel suppositum agens, nisi illi inhæreat, tum quia forma non dat agere, nisi quatẽus dat esse; tum etiã, quia vna res non denominatur agere actione alterius rei suppositi distinctæ, vt est per se notũ, quia actio, vt actio, solum denominat illud à quo est: secus verò est, quando actus primus non est totalis, & in præsenti habitus, vel qualitas creata non est totale principium proximũ eliciendi actũ supernaturalẽ, sed est quasi partiale, seu complens principium proximũ, & hoc modo dicitur constituere potentiã in actu primo, non dando actum primũ, nam ipsa potentia per seipsam habet aliquã vim in actu primo, vt probatum est, sed dicitur cõstituere in actu primo complendo illum. Dicimus ergo huiusmodi actum primum, nõ integrũ, sed completiuũ (vt sic dicam,) posse supplerì per actum non inhærentem, sed assistentem ad coefficiendũ cum potentia, quia actiuitas potẽtiæ est distincta ab actiuitate alterius comprincipij, & ideo etiam si illud non sit inhærẽs, potentia verè elicit actum, quia neque est, nec denominatur per se eliciens actũ à sola efficientia habitus, vel Dei, sed efficientia propria per vim innatam & distinctam ab ipsa entitate voluntatis, quã explicauimus. Quocirca vt rẽ magis declarẽ, quando voluntas cum habitu charitatis, elicit actũ charitatis; dupliciter denominatur efficiens talẽ actũ; 1. per se, quatenus per suam entitatẽ influit in illum actum. 2. per aliud; quatenus efficientia habitus tribuitur potentiæ, cui inhæret. At verò quando voluntas elicit actum amoris sine habitu claritatis, & iuuatur à Deo; fatemur non denominari efficientẽ ab influxu Dei, quia non est ab actu primo inhærẽte; retinet verò aliunde influxum per seipsam, & ab illo verè, & sufficienter denominatur efficiẽs; quin ille est vetus influxus effectiuus, & solus est per se necessarius, & quasi essentialis ad actũ vitalẽ, & liberum. Atq; hinc facile patet responsio ad cætera; quæ in illa cõfirmatione attinguntur. In quib. æquiuocatio committitur, tum confundendo principium principale comparatione potentiæ, vel comparatione cuiuscumq; alterius cõprincipij, & principium integrum cum partiali, tum etiam non distinguendo in intellectu, & voluntate duplicem rationem, vnã elicientis, & alterã recipientis actum. Anima ergo respectu voluntatis est principium principale cuiuscumq; actꝰ voluntatis, etiã supernaturalis, quia ab illa habet tãquã à 1. radicè, quòd sit vitalis. Et de hoc principio loquitur Aristot. quando inde infert animam esse intrinsecam formam, dans nimirum substantiale esse vitæ, quia inde habet operatio principaliter vt sit vitalis. Nihilominus tamen respectu substantiæ actꝰ potest esse aliud principium principalius in ratione virtutis actiuæ, & hoc modo dicimus habitum charitatis esse principalius principium talis actus, quamuis nõ sit necessarium ad vitalitatem eius. Et præterea etiã Deus ipse potest esse principalius principium eiusdẽ actus loco habitus, quamuis nõ inhæreat potentiæ à quo proximè, & principaliter ab anima habet ille actus q̃ vitalis sit. Quod totum procedit siue voluntas simul cum habitu, vel Deo dicatur in suo genere principale principium, siue instrumentale, dummodo influxus eius ad vtilitatem actus sufficiat.

Declaratur in actu primo.

10. Explicatur exhortatio ad lectorẽ vt lucubrationes per pauca folia fastidiat.

In quo etiam necesse est duas alias rationes potẽtiæ actiuæ, & passiuæ in voluntate, vel intellectu distinguere, quia in ratione potentiæ actiuæ, neutra est integrum principium proximum talis actus, nõ solùm propter concursum requisitum ex parte obiecti, sed etiã propter influxum necessarium ex parte facultatis operatricis, & ideo in genere efficientis iuuari potest à principio extrinsecus adiuuante, siue inhærente, quando actus sit connaturali modo, siue assistente, & simul mouente, quando actus sit modo quasi præternaturali. At verò in ratione potentiæ passiuæ, est intellectus, vel voluntas totale principium, & simpliciter necessarium ad recipiendum effectum actus vitalis, vt est intelligere, vel amare, ita vt non solùm possit ille effectus recipiri alia potentia, quæ non sit intrinseca ipsi animæ, vt viuenti, verùm etiã nec possit in hoc iuuari à principio extrinsecus adiuuante, siue inhærentẽ, siue nõ inhærente. Et ita actus charitatis licèt eliciatur à potentia cum habitu coefficiente, non recipitur in

poten-

potentia habitu ipso simul correcipiente, vt est cõmuniter receptum. Et in hoc genere causalitatis receptiuæ actus vitalis maximè fundantur discursus D. Thom. & Theolog. ad probandum, nec hominẽ posse intelligere per intellectum, qui sit substantia separata, nec Christi animã potuisse amare per voluntatem increatam; loquuntur enim de intellectu possibili, vt possibilis est, & de voluntate vt informari potest amore, ita enim per illã anima vel homo in ratione amantis constituitur. Nam reuera multo maior repugnatia est quòd actus vitalis in extrinseca subitantia, vel potentia recipiatur, & nihilominus constituat hominem intelligentem, vel amantem, quàm in hoc, quod idẽ actus ab extrinseco principio infusus, & in potentia animæ receptus, hominẽ tali anima informatum intelligentẽ, vel amantem constituat: vnde non desunt Theologi, & antiqui, & moderni, qui hoc posterius dixerint esse possibile, cùm tamen in primo, tam Auerrois phantasia, quàm hæreticorum amentia omnibus incredibilis visa fuerit. Et licèt probabilis sit, etiã illud prius repugnare de totali principio productiuo talis actus, no tamen de partiali principio, seu adiuuante potentiam per seipsam intrinsecè influentẽ, vt sæpe dixi: nam in hoc etiã non æquiparantur duæ illæ motiones potentiæ vitalis, scilicet actiua, & passiua, vt etiam declaraui.

Et per hęc respõsum est ad secundam confirmationem, negamus enim posse sequi Deum solum sine influxu voluntatis, efficere in illa actum, quo ipsa amet, quia per hoc excluderetur intrinsecus influxus ipsius potentiæ, quod repugnat actui vitali, præsertim habenti suum effectum formalẽ in tali potentia. Hoc autem non sequitur ex eo, quòd Deus per se ipsum adiuuet potentiã simul influentem, & suo auxilio eleuantem illam, vt ille influxus tali actui proportionatus sit, vt ex dictis satis patet. Tertia confirmatio in primis assumit falsum, quia generalis concursus Dei, per se ac præcisè spectatus, non est influxus in causam, sed in effectum, & productionem eius, vt inferiùs dicam. Deinde nihil ad propositum refert, quia non tractamus de Deo, vt concurrente per modum primæ causæ, sed vt adiuuante per modum causæ proximę, supplendo penuriam habitus, & quoad hoc dicimus non oportere, vt id faciat media qualitate, vel motione priùs indita ipsi potentiæ, sed per influxum immediatum in ipsum actum, quidquid sit de modo quo generalem concursum præstet.

Ad argumenta secundo loco proposita respondemus Concilium Tridentinum quoties loquitur de gratia qua Deus tangit cor, & præmouet illud, ac præparat, vt consentiendo se disponat ad iustitiã, explicare id per verba vocationis, illuminationis, & inspirationis, quæ omnia gratiam excitaniẽ significant. Præter hanc ergo nullam aliam inhærentẽ potentiæ, & præuiam ad conuersionem, seu liberã dispositionem ad iustitiam, à Concilio Tridentino traditam, vel insinuatam inuenimus. Cùm autem gratiæ excitanti adiungit adiuuantem, nunquã dicit illam esse præuiam, nec per illam tangere Deum cor, sed potius sentit esse cooperantem nobiscum, dum dicit nos cooperari cum illa. Quid autẽ sit ista gratia adiuuans, non declarat, tum quia multiplex esse potest, tum etiam, quia de hoc est varietas opinionum inter Theologos, quam dirimere non erat ad doctrinam fidei necessarium. Et ideo solum est, certum influxum gratiæ adiuuantis, esse quid creatum, & in nobis receptum, & gratiam ipsam excitantem suo morali modo adiuuare, quando homo actu consentit. De principio autem physicè adiuuante solùm habemus esse creatum, & inhærens, quando per habitum datur: ante infusionem autem habitus solùm legimus ipsummet Spiritũ sanctum mouere, & adiuuare voluntatem. Vnde ad alia omnia testimonia, quæ ibi adducuntur, respondemus Spiritum sanctum eo ipso, quòd incipit supernaturaliter excitare hominem, incipere esse in homine nouo modo, non vt habitatorẽ sed vt motorem, qui excitat hominem, & ad illum iuuandũ præstò adest, & hac ratione dicitur aliquo modo tunc dari, & infundi, & incipere hominem sanare, & similia, quæ iuxta nostram sententiam facillimum, & propriissimum sensum habent.

Ex dictis autem inferri videtur, ipsum Deum, seu Spiritum sanctum posse esse, & appellari gratiã adiuuantem, quod aliquibus videtur magnum inconueniens, quia Augustinus de prædestinat. Sanct. c. 10. dicit gratiam adiuuantem esse effectum prædestinationis: sed hoc parui momenti est, quia, vt diximus in secundo Prolegomeno, dari potest aliqua gratia increata, & Spiritus sanctus appellatur donum quod iustis gratis datur, & nomen illud ex tẽpore illi conuenit, licèt ipse æternus sit, quatenus non ab æterno, sed in tempore nobis datur; ergo simili modo poterit appellari gratia, & quatenus adiutor noster est, poterit appellari gratia adiuuãs, quæ dominatio ex tempore illi conuenire potest, quia sumitur ab actuali influxu gratiæ adiuuantis, qui creatus est, & in tempore in nobis fit. Iuxta autem communem vsum vocis, gratia adiuuans propriè dicitur ipse influxus in nobis receptus: Deus autem melius adiutor, seu principium adiuuans nominatur. Deniq; ad vltimam rationem, iam respõsum est ad efficiendos hos actus connaturali modo, infundere Deum nobis intrinseca, & inhærentia principia illorum, quæ tantùm sunt habitus, præter quos alia principia intrinseca, & connaturalia, vel esse non possunt, vel certè non sunt nobis reuelata, nec secundùm rectam rationem necessaria, & ideo ipsius Dei influxum in hoc modo operandi & sufficientem, & magis accommodatum esse censemus.

13. Quid sit gratia adiuuãs. *Augustin.*

CAPVT XX.

Quid sint gratia operans, & cooperans, & quomodo ad excitantem, & adiuuantem comparentur.

1. PRiusquam de concursu generali gratiæ dicamus, oportet alias diuisiones auxiliorum gratiæ, quæ cum præcedenti in reipsa coincidunt, explicare, vt sic distinctiùs procedamus, & circa concursum posimus latiùs immorari. Diuiditur ergo vlteriùs gratię auxilium in operans, & cooperans, circa quam diuisionem omissis pro nunc Scholasticorum opinionibus, ad rem, & in se, & iuxta Augustini mentem explicandam, tria breuiter dicenda videntur. Primum est gratiam conuenienter diuidi in operantem, & cooperantem hęc assertio certa esse debet. Primò, quia licèt sub his formalibus terminis, neq; in Conciliis. neq; in Scriptura reperiatur, tamen ex his fontibus illam hauserunt communiter Theologi, D. Thom. 1. 2. quæst. 111. art. 2. & ibi Corrad. Caietanus, & alij expositores, Alens. 3. p. quæst. 69. num. 3. art Scholastici communiter in 2. d. 26. vbi Bonauent. q. 6. Albert. art 6. Durandus q. 3. Gabr. q. vnic. art. 1. notabili, & Marsil. in 2. q. 17. Antonin. 4. p. tit. 19. cap. Sot. 1. de nat ur. & grat. cap. 16. Ruardus art. 7. contra Luther. & Drid. lib. 2. de Grat. & lib. arbit. tract. 1. cap. & Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 14. Staplet. lib. 4. de grat. & lib. arbitr. cap. 7. Vega lib. 6. in Trid. cap. 5. ad 6. & inuenitur etiam in Prospero epistola ad Augustinum, vbi operan-

Diuisio gratiæ in operantem, & cooperantem.

D. Thom. Corrad. Caietan. Alens. Albert. Bonau. Marsil. Antonin. Soto. Ruard. Dried. Bellarm. Staplet. Vega.

11. Soluitur obiectio facięs diproductionem, actus vitalis à solo Deo.

Ad tertiam confirmationem.

11. Responsio ad Concil. Tridentin.

tem gratiam vocat præoperantem, vt anteceſsionem eius ad conſenſum liberi arbitrij indicet, vt mox videbimus.

2. Ex Auguſtino. Secundò ſumpta eſt hæc diuiſio ex Auguſtino lib. de grat. & lib. arb. cap. 17. vbi inter alia multa dicit, *Deus cooperando perficit, quod operando incipit*, & in verbis *operandi*, & *cooperandi*, ſatis indicat gratiam operantem, & cooperantem, quas magis explicans addit, *vt velimus ſine nobis operatur; cum autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum cooperatur.* Ipſe autem Auguſtinus doctrinam illam ſumpſit ex Paulo ad Philip. 2. dicente, *Deus eſt qui operatur in nobis, velle, & perficere.* nam operari velle, dicit pertinere ad gratiam operantem: perficere autem ad cooperationem. Et aliis locis ſignificat Paulus vtramque gratiam: nam cùm ad Rom. 9. dicit, *non eſt volentis, nec currentis, ſed Dei miſerentis*, operantem gratiam ſignificat, vt ſentit Aug. in Enchirid. cap. 22. & ad eandem pertinet quod 2. Corinth. 3. dicit, *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis*: nam cogitatio ſancta, & iuxta doctrinam Auguſtini, ad operantem gratiam pertinet. Illud verò 1. ad Corinth. 15. *non ergo, ſed gratia Dei mecum*, ſpectat apertè ad cooperantem. Vnde dixit Auguſt. ſerm. 13. de verb: Apoſt. cap. 11. *ſi non eſſes operator, non eſſet ille cooperator.* vnde Proſper in epiſt. ad Auguſtinum inter alia poſtulat ab eo explicari, *quomodo per iſtam præoperantem & cooperantem gratiam, liberum non impediatur arbitrium*: vbi operantem gratiam vocat præoperantem, non quia diuerſa ſit, ſed vt dicit, præcedere ad noſtram cooperationem; cooperantem verò eſſe ſimultaneam. Atque etiam dixit Bern. lib. de grat. & lib. arbitr. in principio. *Gratia operanti ſalutem cooperari dicitur liberum arbitrium dum conſentit.* Et Anſelmus in eundem locum 1. ad Corinth. 15. cum Gregorio lib. 16. Moralium cap. 11. *Superna* (inquit) *pietas prius agit aliquid in nobis, vt ſubſequente quoque noſtro libero arbitrio bonum quod iam appetimus, agat nobiſcum.*

Proſper. *Bernard.* *Anſelmus. Gregor.*

3. Ex Concil. Arauſic. *Trident.* *Ambroſ.* Tertiò idem ſumitur ex Concilio Arauſicano 2. 4. & 9. dicit enim multa bona operari Deum in nobis, & alia operari nobiſcum: nam primum officiũ eſt gratiæ operantis, ſecundum cooperantis. Concilium etiam Tridentin. hoc indicat cap. 7. & can. 4. nam cùm ait nos cooperari gratiæ Dei, clarè dicit gratiam operari nobiſcum. Et in eodem ſenſu dixit Ambroſius lib. 2. in Lucam gratiam Dei ſtudiis cooperari humanis; operante autem gratiam declarauit Concilium quando dixit Deum incipere vocando, & tangendo cor. At denique vtramque attigit Cæleſtinus Papa Epiſt. ad Gall. cap. 12. dicens, *agi Deum in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus, nec eſſe otioſa in nobis patitur, quæ exercenda non negligenda donauit, vt & nos cooperatores ſimus gratiæ Dei.* Ex quibus duobus, primum ad operantem, ſecundum ad cooper. ntem gratiam pertinet. Vltimò declarari hoc poteſt ratione, quia, vt ſuprà diximus, Deus incipit in nobis operari illuminando, & inclinando voluntatem, vt velit, quam gratiam operatur i. nobis ſine nobis: ad actus autem liberos aliter nobiſcum operatur. Sed hæc duo genera gratiarum per illa verba declarantur, ergo meritò data eſt illa diuiſio, & hæc ratio magis ex ſequentibus declarabitur.

Cæleſtinus.

4. Hęc diuiſio coincidit cum alia in excitantem & adiuuantem. Probatur ex Auguſt. Secundò dicendum eſt diuiſionem hanc quoad rem ipſam coincidere cum præcedente, ita vt gratia operans, eadem ſit, quæ excitans, & cooperans eadem quæ adiuuans, ſolumque differant ratione, ſed potius in vocum etymologia. In hac aſſertione loquor ſecundùm mentem Auguſtini, nam de ſententiis Scholaſticorum paulo inferiùs dicam. Hanc ergo fuiſſe Auguſtini mentem oſtendo, primò ex lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 17. vbi inter alia dicit, *ſpe vt velimus operatur incipiens qui volentibus coopenatur perficiens.* Hæc autem duo muhia in locis ſuprà allegatis tribuit Auguſtinus excitanti, & adiuuanti gratiæ. ergo ſunt eadem auxilia diuerſis vocibus declarata. Idque magis declarauit in lib. 2. de peccator. merit. cap. 18. vbi docet, ideo dictum eſſe à Paulo, *Deum operari in nobis velle, & perficere*, quia ſine illa excitante & adiuuante nihil poſſumus. In aliis autem locis, vt vidimus, ex illa ſententia Pauli colligit operantem, & cooperantem gratiam, ergo has non diſtinguit ab excitante, & adiuuante. Et idem argumentum ſumitur ex Enchirid. cap. 32. dum ait Deum operari voluntatem bonam in nobis, quia *voluntatem præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Præterea frequentiſſimè Auguſtinus tribuit vocationi quod per illam operatur Deus in nobis vt velimus, & quod facit, vt faciamus. Et hoc ipſum tribuit gratiæ operanti: at vero vocatio gratia excitans eſt, vt conſtat ex Concil. Tridentin. Ergo gratia excitans eſt operans, ac ſubinde adiuuans, eſt cooperans. De antecedenti videri poteſt latè Auguſtinus q. 2. ad Simplician. & de ſpirit. & liter. cap. trigeſimo quarto & lib. ſecundo de peccat. merit. cap. 17. & de prædeſt. ſanctor. cap. 19 & 2. Retract. cap. 1. & epiſt. 107. Hic accedit elegans Bernardi ſententia mirum in modum rem hanc declarans, libro de Gratia & libero arbit. ſub finem. Cum enim dixiſſet omnia interiora bona, quæ in nobis fiunt, ſoli gratiæ eſſe tribuenda, ſubiungit. *Ipſa liberum excitat arbitrium cum ſeminat cogitatum, ſanat cum immutat affectum roborat, vt perducat ad actum, ſeruat ne ſentiat defectum; ſic autem iſta cum libero arbitrio operatur, vt tantum illud in primo præueniat, in cæterus comitetur. Ad hoc vtique præuenens, vt tam ſibi deinceps cooperetur. Ita tamẽ, quod à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtum non ſigillatim, ſimul non vicißim per ſingulos perfectus operetur.* de quo teſtimonio plura in cap. 22. dicemus.

Bernard.

Confirmari præterea poteſt aſſertio, & deduci ex Con. Trid. iſto modo: nam Concilium ſufficienter nos docuit auxilia gratiæ ad ſalutem neceſſaria: at vero ad actus, ad ſalutem & iuſtitiam neceſſarios non requirit alias gratias præter excitantem & adiuuantem; ergo ſub illis comprehendit operantem, & cooperantem. Deinde idem Concilium expreſsè dixit, nos cooperari adiuuanti gratiæ, vnde tacitè ſignificat ipſam adiuuantem gratiam cooperari nobiſcum, ac ſubinde eſſe cooperantem. De gratia verò excitante dicit fieri ab ſpiritu ſancto in nobis per illam inchoante noſtram ſalutem, quod pertinet ad gratiam operantem; ergo planè ſentit has gratias eſſe eaſdem. 6

Idem patet ex Auguſtino citatis locis, & inter ſententias eius ponitur 22. quæ habetur etiam in Arauſicano can. 9. Sed illæmet proprietates conueniunt gratiæ excitanti, & adiuuanti, vt ex ſupra dictis conſtat; ergo. Denique Deus non dicitur operari in nobis, niſi inſpirando, illuminando, & mentem bonis affectibus imbuendo, vt dixit Proſper lib. 2. de vocat. gent. cap. 9. alias 26. ſed per eoſdem motus gratiæ excitat mentem noſtram. Ergo non diſtinguuntur in re prædictæ gratiæ.

Declaratur eadem ratione, quia voluntas noſtra, vt ſupernaturaliter operetur, non indiget niſi vt prius à Deo præparetur, & poſtea iuuetur: ergo tantum indiget duabus gratis actualibus, quę illa duo munera præſtant, etſi variis nominibus appellentur. Deinde gratia operans vocatur, quam Deus ſolus in nobis facit, id eſt, ſine efficientia noſtra libera, cooperans verò dicitur gratia, quam Deus facit nobiſcum, vt patet ex

Idem patet ex Auguſtino *Arauſicano Conc.*

Ratio verò omnium reddi poteſt ex D. Thom. 12. q. 111. art. 2. dicente, motum qui eſt in mobili, tribui mouenti, noſtram autem mentem ad Deum, vt ad mouentem cooperari, & ideo quando mens

D. Thom. *Mens ratio experientiæ*

do mens nostra *est mota, & non mouens*, vtique liberè, *solus autem Deus est mouens, operatio Deo tribuitur, & secundùm hoc dicitur gratia operans; in illo autem effectu, in quo mens nostra & mouet, & mouetur, operatio non solùm tribuitur Deo, sed etiam animæ, & secundùm hoc dicitur gratia cooperans.* Atque ita gratia dici potest cooperans, vel respectu causæ suæ, quia à solo operante fit, quod est satis consentaneum modo loquendi Augustini; vel dici potest operans respectu effectus per illam intenti, qui est liberum velle hominis: nam Deus per illam operatur, vt velimus. Excitans autem nominatur, vel ab effectu quasi formali, quem in nobis habet, vel per illam vocem explicatur modus, quo per talem gratiam Deus operatur, vt velimus, scilicet excitando mentem, & moraliter illam inducendo. Voces autem adiuuantis, & cooperantis gratiæ, satis inter se similes sunt, tamen per vnam declaratur necessitas, indigentia talis gratiæ ex parte hominis, nimirum infirmitas, quæ iuuanda est; per alteram verò declaratur necessitas humanæ cooperationis, sine qua illa gratia non operatur.

8. Quomodo gratia operans & cooperans inter se & in ordine ad actus comparentur.

Tertiò dicendum est operantem, & cooperantem gratiam, quoad necessitatem, distinctionem, & vnitatem ita inter se, & ad actus humanos supernaturales conferri, sicut excitans, & adiuuans ad eosdem actus, & inter se comparantur. Hæc assertio sequitur euidenter ex dictis, quia si gratia operans est eadem quæ excitans, non potest plus, vel minus distingui, quia etiam adiuuans, & cooperans, non distinguuntur inter se. Et eadem ratione non possunt esse minus necessariæ gratia operans, & cooperans ad pietatis opera, quàm gratia excitans, & adiuuans, eo quòd inter se non distinguuntur. Vnde sicut suprà diximus, excitantem gratiam ad opera pietatis requiri, vt dicendum est de gratia operante, quod etiam de cooperante per se euidens est. Et manifestè vtrumque probatur ex testimoniis Augustini proximè allegatis, præsertim lib. de Grat. & lib. arb. cap. 16. & 17. & ex lib. de dono perseuer. cap. 13. vbi ait, *Nos volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos operamur, sed Deus in nobis operatur etiam operari pro bona voluntate.* Hæ namque locutiones indefinitæ limitari à nobis non possunt, & ideo vniuersalibus æquiualent. quod clariùs expressit Concilium Arausicanum, cap. 9. dicens: Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum vt operemur, operatur.

Aug.

Conc. Arausic.

Caput XXI.

Obiectionibus occurritur, & variæ sententiæ de operante, & cooperante gratia attinguntur.

1. Prima obiectio. Gratia habitualis dicitur operans & cooperans.

Circà doctrinam superioris capitis nonnullæ difficultates occurrunt, ex quibus variæ opiniones Theologorum ortæ sunt, quas in hoc capite expedire necessarium est. Prima est, quia non solùm actualis gratia dicitur operans, & cooperans, sed etiam gratia habitualis: at verò habitualis gratia non potest dici excitans, vel adiuuans; ergo signum est hanc secundam diuisionem esse distinctam à prima, & plura comprehendere. Maior propositio est D. Thomæ dicta quæst. 111. artic. 2 vbi dicit gratiam habitualem, quatenus formaliter sanctificat, esse gratiam operantem, quod sequuntur aliqui auctores ex allegatis in principio capitis præcedentis: potestque in eius fauorem induci Augustinus lib. 2. de peccator. merit. cap. 19. quatenus ait, *nisi adiuuante gratia superetur ad iustitiam, nemo conuertitur: nisi operante gratia sanetur, iustitiæ pace nemo fruitur.* sanitas enim animæ confertur per habitualem gratiam, & tamen ait Augustinus per operantem gratiam fieri. Hæc autem obiectio locum non haberet, si cum aliquibus modernis diceremus, habitus gratiæ operatiuos esse gratiam excitantem, quatenus ad gratiam inclinant. Ille autem modus loquendi nobis in superioribus probatus non est, quia neque est consentaneus doctrinæ Augustini, & Concilium de gratia excitante, nec inclinatio habitus est vera excitatio vitalis, quæ est proprius formalis effectus gratiæ excitantis.

D. Thom.

2. Explicatur ille loquendi modus.

Respondeo igitur (licèt fortè sit quæstio de modo loquendi) iuxta sensum Augustini habitualem gratiam non esse operantem: nunquam enim Augustinus loquutus est de gratia habituali, quando dixit Deum in nobis sine nobis operari, vt velimus; sed de actuali gratia excitante, & vocante, vt alij graues Theologi moderni adnotarunt, Bellarmin. lib. 1. de grat. & lib. arbitr. cap. 14. §. *hæc doctrina.* Vasquez, Valentina, & alij: loquitur enim Augustinus in illis locis de initio salutis contra Semipelagianos, quod non sumitur à gratia habituali, quam illi fortè non negabant, sed à vocatione, inspiratione, & illuminatione, vt Concil. Trident. dixit. Item prima gratia operans nullo modo est à nobis liberè, nec dispositiuè, nec imperatiuè secundùm Augustinum, qui ita loquitur de initio salutis: at prima gratia sanctificans pendet aliquo modo à nobis, saltem dispositiuè, imò & aliquo modo meritoriè per fidem, & pœnitentiam, maximè iuxta modum loquendi Augustini in epist. 105. & 107. In verbis autem allegatis Augustinus per sanantem gratiam non intelligit solam habitualem, sed auxilium cuiuscumque gratiæ sanctificantis, quia licèt non conferat animæ formalem sanitatem, à culpa, inchoat sanitatem dando vires, quibus anima in Deum conuertatur.

Bellarm. Vasq. Valent.

3. Satisfit obiectioni.

Ad obiectionem ergo respondeo etiam D. Thomam reliquósque Theologos citatos præcipuè declarare illam diuisionem de gratia actuali, voluisse tamen, & commodè potuisse illas voces accommodare ad gratiam habitualem secundùm diuersas rationes spectatam, de quo vsu (vt dixi) concedendum non est, tum quia pertinet ad significationem, & impositionem vocum, tum etiam, quia omnis causalitas in quocumque genere vocari solet operatio, & ita habitus gratiæ, quatenus cum potentia operatur, optimè dicitur cooperans, sicut etiam dicitur adiuuans: vt verò informat animam, & illam formaliter sanctificat, vel benè disponit, potest dici operans, quamuis minùs propriè, & non sine metaphora, qua etiam alij vtuntur ad vocandum habitum gratiæ excitantem gratiam, quatenus inclinat, quod, vt dixi, minus vsitatum, magisque improprium, ac metaphoricum est.

4. 1. Obiectio. sequeretur primũ actũ esse à gratia cooperante quod falsum est.

Secunda difficultas est, quia ex declaratione à nobis data sequitur, primum actum, quo voluntas incipit velle bonum, & odisse malum, vel quo voluntas peccatoris incipit liberè conuerti in Deum, esse à gratia cooperante consequens est falsum, ergo. Sequela nota est. Minor autem constat ex D. Thoma dicto art. 2. vbi dicit primum actum internum voluntatis, quo diligimus Deum super omnia, vel intendimus supernaturalem finem, esse tantùm à gratia operante; actum verò externũ esse à gratia cooperante. Intelligere autem videtur per actum externum non solùm externam motionem membrorum (quia illa secundùm se non

D. Thom.

est supernaturalis, vt constat,) sed internam voluntatem supernaturalem imperantem actionem externam, atque ideo omnem voluntatem, quæ versatur circa media, vt est electio, & vsus. Ille enim modus loquendi consentaneus est D. Thomæ 1. 2. quæst. 18. articul. 6. & alius non potest hîc accommodari, vt constat. Ratio autem D. Thomæ fundatur in alia doctrina eius, quòd voluntas, vt est finis, non se mouet, sed mouetur ab auctore naturæ: in volitione autem mediorum iam se mouet ex præconcepta intentione finis. ita docet 1. 2. q. 9. art. 4. Ita etiam hîc inquit in intentione finis supernaturalis voluntatem se habere, vt motam ab auctore gratiæ, & ideo motionem illam esse solùm à gratia operante: in electione autem mediorum iam ipsam se mouere, & ideò motum illum esse à gratia cooperante, & ita intelligit Augustinum dicto lib. de grat. & lib. arb. c. 17. dicentem, Deum operari in nobis sine nobis, vt velimus, scilicet primum velle. Cùm autem volumus & ita volumus vt faciamus, cooperari nobiscum, id est, quando volumus eligendo media efficaciter, & constanter exequendo illa.

Idem.

Augusf.

5. Confirmatur obiectio *Caietan.*

Eandem doctrinam habet D. Thom. in 2. d. 26. q. 2. art. eámque sequitur Caiet. dicto art. 2. in prima responsione, & expositione sua; addit verò in secunda, gratiam operantem versari circa actus, qui non sunt meritorij de condigno, quia non procedunt ab habitibus; gratiam verò cooperantem dari ad actus meritorios. Hoc tamen posterius nec in D. Thoma habet fundamentum, quod ego videam, neq; est vsitatus ille modus loquendi ideóq; admittendus non est. Eandem verò doctrinam simpliciter sequitur Soto lib. 1. de nat. & grat. c. 16. vbi etiam August. ad eundem sensum trahit. Imò etiam Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 14. eandem sequitur sententiam, licèt in verbis discrepet à D. Thoma, quia putauit illum de propriis externis actibus fuisse loquutũ. Et hac sententia abuntur aliqui ex hæreticis huius temporis, qui licèt generaliter non consentiant cum Caluino, & Luthero in neganda libertate, saltem primum actum conuersionis dicunt non esse liberum, quia est à sola gratia operante, & ita non sit, à nobis. Quapropter licèt inter Catholicos in hoc non sit in re dissensio, & ideo in illa explicatione gratiæ operantis, fortè sit solum controuersia de verborum vsu; nihilominus, hoc tempore cautè loqui oportet, remque ipsam satis explicare.

Soto.

Bellarm.

6. Soluitur obiectio concludendo primũ illũ actum esse à gratia cooperante, idque ostenditur 1. ratione.

Persistendo igitur in sententia posita in capite præcedenti, dico primum actum dilectionis Dei super omnia, vel conuersionis liberę animę in Deum, vel in quemcunque pium finem, non solum à gratia operante, sed etiam a cooperante. Pr or pars sine controuersia admittitur, & ideo vt alteram probem, suppono, huiusmodi actum esse perfectè voluntariũ, ac liberũ, ideoq; & a nostra voluntate & effectiuè, & cum dominio fieri. hoc est de fide definitum in Tridentino, & infrà est latè tractandum. Vnde certum etiam est voluntatem non ita moueri ab alio, in alio, in illo actu, quin etiam ipsa se moueat, & physicè, & aliquo morali modo: physicè quidem, quia in se efficit motum illum, nihil enim aliud est mouere se, vel alium, quàm in se, vel in alio efficere motum. Moraliter verò, quia liberè se mouet, & motio libera moralis est, & ideo talis actus potest esse meritorius de condigno, & in puero baptizato perueniente ad vsum rationis; vel saltem potest esse moralis dispositio, vt constat. Hinc ergo concludo talem actum esse propriissimè à gratia cooperante, quia sine illa nihil supernaturale potest voluntas nostra liberè operari. quod etiam patet ex verbis illis Concilij Tridentini cap. 5. ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponuntur. Ecce ad vltimã dispositionem gratiæ cooperatur peccator; cui autem cooperatur, nisi gratiæ? Ergo illa dispositio est à gratia cooperante: est autem illa dispositio actus in finem tendens, vt constat; ergo. Idem confirmant verba can. 3. in quo actus amoris Dei, & conuersionis dicuntur esse à gratia adiuuante, quæ eadem est cum cooperante, vt ostendimus.

2. Ex Trid.

Præterea hanc fuisse mentem, & sententiam Augustini probamus ex illa sententia eius 22. quam 3. Ex Aug. vsurpauit Araulican cap. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, & nobiscum, vt operemur, operatur.* per quæ verba concursum gratiæ operantis, & cooperantis, declaratur, & ad omnia opera bona, id est, pietatis postulatur. Inter illa autem bona maximè computatur ipsa conuersio, & liber concursus ad vocationem, de quo consensu apertè loquitur August. lib. 2. contra 2. epist. Pelagian. cap. 2. cum dicit: *Quamuis nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen apertus illius adiumento, & opere nostro.* Aperire autem os vocat, consentire primæ gratiæ vocanti: Vnde subdit, nam quid est præparare cor, & os aperire, nisi voluntatem præparare; ergo illamet prima conuersio & dispositio fit à Deo adiuuante; ergo Deo cooperante. Est ergo ille actus etiam à cooperante gratia. Præterea in lib. de grat. & lib. arb. c. 17. loquens de primo amore, vel imperfecto, vel perfecto Dei, dicit. *Quu paruam dare cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando inspit. Quoniam ipse vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur, perficiens.* Dicitur autem homo simpliciter velle, quod libera, & efficaci voluntate vult; ergo talis voluntas etiamsi sit prima, est à gratia cooperante. Vnde è conuerso quoties actus est à sola gratia, dicitur fieri à solo Deo, quia non fit à nobis liberè, nam statim subdit, *vt velimus*, sine nobis operatur; ergo è contrario quando actus est liber, etiamsi sit primus, est à gratia cooperante. Et ideo adiungit, *Cum autem volumus, & sic volumus, vt faciamus*, id est, cùm efficaciter volumus, nobiscum cooperatur. Et tandem concludit, *tamen sine illo vel operante, vt velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bene pietatis opera nihil valemus.*

Et in eadem sunt sententia Prosper 2. de vocat. gent. c. 9. aliàs 26. & Anselm. in id 1. Corinth. 15. *Non ego, sed gratia Dei mecum*, & optimè Bernard. in lib. de grat. & lib. arb. in principio, vbi sic inquit. *Gratia operanti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est, dum saluatur.* Consentire enim saluari est, vtique secundum præsentem iustitiam, vel si perseueraturi. Igitur omnis consensus liber, & supernaturalis præstitus gratiæ vocanti, seu operanti, siue sit pœnitentia, siue amor Dei, siue ipsa voluntas credendi, est à gratia cooperante, quia non cooperatur lib. arbitr. nisi gratiæ, vt sæpe dictum est. Vnde tacitè Bernardus exponit Aug. vt quoties dicit, Deus operando incipere salutem in nobis, intelligatur de initio illo gratiæ vocantis, quod antecedit consensum, quia cum adest consensus, iã non est tantùm initium salutis, sed salus ipsa; & ideo iã non solùm Deus operatur, sed etiam nobiscum cooperatur, & ideo quoties Aug. soli Deo tribuit operari, vt velimus, loquitur de operatione perilluminationem, & inspirationem, per quam moraliter Deus operatur, vt velimus, etiam si nos nondum velimus donec liberè consentiamus.

6. Ostenditur ex Prosp. Anselm. Bern. Aug.

Vnde etiam fit, gratiam operantem, non solùm dari ad primum velle, seu ad intentionem finis, sed etiam ad electionẽ mediorum, & ad externos actus, seu volitiones efficaces eorum. quod probatur ex Aug. de dono perseuer. c. 13. dicente: *Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle*; nos ergo operamur, sed

4. Gratia operans datur ad primum velle, & ad media. Aug.

sed Deus in nobis operatur, & operari pro bona voluntate. Et ita loquitur Scriptura, *faciam vt faciatis, & in præceptis meis ambuletis*. quæ verba & opera externa, & voluntates eorũ, seu mediorum comprehendunt. Denique ex tota doctrina Augustini, q. 2. ad Simplician. & de spirit. & liter. cap. 34. & aliis locis, quæ infrà tractando de gratia efficaci ex professo ponderabimus, constat gratiam illam, qua Deus facit, vt velimus, vel vt operemur, operantẽ esse; ergo gratia operans non solùm ad internum velle per modum intentionis, sed etiam voluntatem exequentem, & operantem est necessaria.

10. Omnes actus supernaturales sunt ab vtraq; gratia operante, sed diuersimodè.

Quapropter non sunt ita distinguendæ istæ duæ gratiæ, vt quidam actus supernaturales sint ab vna, & quidam ab alia, sed ita vt singuli sint ab vtraque diuersimodo tamen, nam ab operante sunt præueniendo, & inspirando, vt velimus, & faciamus: à cooperante autem simul influendo cum voluntate, quando liberè velle incipit. Et ideo quoad hoc non oportet distinguere inter actus supernaturales, & antecedentes iustificationem, quia non solùm dispositiones proximæ, sed etiam remotæ ad iustitiam, quatenus sunt actus liberi supernaturales à gratia cooperante, sint simul cum operante, vt constat ex dictis. Et similiter non est necesse distinguere inter actus meritorios, vel non meritorios, quia si fit sermo de merito de congruo in omnibus actibus liberis, & supernaturalibus, seu ex fide procedentibus, inueniri potest, iuxta doctrinã Aug. epist. 105. Si verò fit sermo de condigno, dispositiones saltem remotæ ad iustitiam non sunt meritoriæ de condigno, nec vltima vt ordine naturæ antecedit gratiam, & tamen sunt ab vtraque gratia, vt ostensum est. Fructus etiam iustitiæ, qui sunt meritorij de condigno, non solùm fiunt à gratia cooperante, sed etiam ab operante, seu antecedente, vt loquitur Tridentinum sess. 6. cap. 16. Quæ omnia sunt consentanea his quæ suprà de gratia excitante, & adiuuante diximus. & ex illis necessariò consequuntur, cùm hæ gratiæ respectiuæ eadem sint vt etiam docuimus.

Aug.

Tridentin.

11. Ad obiectionem ex S. Thoma.

Ad obiectionem ergo concedimus sequelam, & ad D. Thom. respondemus, nunquam negasse doctrinam traditã, quatenus ad rem ipsam spectat. Nã q. 109. art. 6. expressè docet hominem disponere se vltimatè ad gratiam per liberum arbitrium cum gratia Dei: idem autem est se disponere, quod se mouere, & q. 113. art. 6. & 8. inter requisita ad iustificationem ponit motum lib. arbitr. qui rectè non potest esse ab ipso, nisi cooperante gratia Dei. Igitur in alio loco solùm explicuit voces operantis, & cooperantis gratiæ secundùm aliam considerationem, & aliũ loquendi modum moraliter, & physicè accommodatum. Nam licèt voluntas in omni actione libera se physicè, & moraliter moueat, quasi per antonomasiam dicitur se mouere moraliter, quando non solùm actionem, sed etiam principiũ actionis à se habet. Atq; hoc modo dicitur se mouere in deliberationibus circa media, cum ex præconcepto fine ad consultandum de mediis se applicat: & in sensu huic opposito dicitur non se mouere in prima intentione finis, non quia non efficiat liberè illum intentionis motum, sed quia illum elicit ex inclinatione, & motione accepta ab auctore naturæ, vel gratiæ. Et cum ea proportione dicitur ille primus actus, etiamsi liber sit esse peculiari modo à gratia operante, comparatione aliorum, qui sunt circa media eligenda, vel exequenda, non quia non sit etiam à gratia cooperante, sed quia in eo maiorem vim & efficaciam habet instinctus, & distinctio gratiæ operantis; & cum eadem proportione alij actus dicuntur esse à gratia cooperante, non quia non etiam fiant in virtute operantis gratiæ, sed quia non ita proximè, & immediatè sunt ab illa, sed mediante intentione, deliberatione, ac consultatione, quæ cum operante gratia fiunt. In hoc ergo sensu sustineri potest ille modus loquendi Diui Thomæ, de quo iterum in sequentibus redibit sermo. Accipiendus verò est, vt dixi: per quandam vocum extensionem, seu accommodationem, nam proprius sensus sine dubio est, quem antea exposuimus.

12. 3. Obiectio. Gratia operãs applicat efficaciter voluntatẽ ad velle, ex Augustino quod non facit gratia excitans ergo non sunt idem.

Tertia difficultas est, quia gratia operans apud Augustinum est illa, quæ efficaciter applicat voluntatem ad velle, vt ex locis citatis constat: sed gratia excitans non ita applicat voluntatem; ergo non sunt idem. Propter hoc Greg. in 2. d. 28. q. 1. concl. 1. & 3. & d. 12. dicit gratiam operantem non esse excitantem, neque etiam adiuuantem, sed quandam gratiam mediam, quam possumus vocare applicantem, quia secundùm illam datur ad applicandam voluntatem excitatam, vt cum effectu velit, & quia solus Deus est, qui applicat illum cum efficacia, ideo talis gratia dicitur operans. Cum qua opinione Greg. in re videtur coincidere recentiorum sententia, de auxilio ita efficaci, vt physicè prædeterminet voluntatem, quod necessarium esse dicunt ad omnes supernaturales actus, & à solo Deo in nobis fieri. Et ideo dicunt gratiam operantem esse, vel solum illud auxilium physicè prædeterminans voluntatem, vel certè illud esse operans, quasi per antonomasiam, & ad hoc significandum vocant illam gratiam præoperantem, quæ vox apud Augustinum (vt ego sciam,) non inuenitur, sed semel apud Prosperum in epistola ad Augustinum, vt supra notaui. Vnde inferunt gratiam operantem realiter distingui ab excitante, tum quia excitans non ita determinat voluntatem, sed operans illi additur, vt consentire faciat voluntatem; tum etiam, quia excitans gratia non efficit physicè consensum liberum: gratia verò operans illum physicè facit, & facere facit. Vnde consequenter hanc eandem gratiam dicunt esse operantem, quatenus à solo Deo fit; cooperantem verò quatenus consensum simul cum voluntate facit. Atque ita concludunt operantem & cooperantem gratiam nec in re distingui, & indicant nunquam separari.

Gregor.

Sed hæc parum obstant doctrinæ datæ in præcedenti capite. Nam opinio Gregorij in primo libro à nobis reiecta est; altera verò sententia de gratia præoperante efficaciter ac physicè prædeterminante in lib. 5. ex professo tractanda, & impugnanda est. Nunc breuiter ad ea quæ P. Aluar. in disp. 81. tangit, respondebo. Et in primis dico ipsum non posse consequenter negare gratiam operantem esse gratiam excitantem. Nam in disp. 74. n. 4. dixerat primam gratiam præuenientem, & excitantẽ non esse actum vitalem: illa autem gratia, si datur, est gratia operans sine dubio, quia est gratia actualis, quam solus Deus operatur in nobis, quod ipse fatetur sufficere ad gratiã operantem; ergo illa gratia operans, & omnis simili motio præuia virtuosa, & efficax, vt ille loquitur est gratia excitans.

13. Reiicitur hæc sententia.

Aluar.

Vnde fit vlterius nunquam distingui realiter gratiam operantẽ ab excitante, quia operans semper est excitans, iuxta illius sententiam; & è contrario gratia excitans semper est operans. Nam esto detur aliqua gratia operans, quæ sit etiam physicè cooperans, vel præterminans voluntatem, non tamen propterea dicendum est hoc esse de ratione gratiæ operantis, vt hic, quia sine vlla dubitatione actus vitalis gratiæ excitantis, sunt auxilia gratiæ operantis. Nam Augustinus, Prosper, Bernardus, & alij Patres, imò Concilia Tridentinum, & Arausicanum per illos actus dicunt Deum operari in nobis, sine nobis, & omnes moderni Scriptores hos actus in primis ponunt inter gra-

14. Nunquam gratia operans distinguitur ab excitante.

tias operantes, vt videre præcipuè licet in Soto, Bellarmino, Stapletonio, Valentia, & Vega. Licèt enim interdum alias significationes, vel etiam alios modos gratiæ operantis admittere videantur, nihilominus primo loco sub eo genere ponunt motus gratiæ excitantis; ergo semper gratia excitans est operans, & è conuerso. Vnde vlterius fit non rectè dici, eas realiter distingui, nisi fortè eo modo, quo vna gratia excitans potest ab alia realiter distingui, nisi fortè eo modo, quo vna gratia excitans potest ab alia realiter distingui, quia etiam potest differre in modo excitandi, & operandi iustificationem.

5. Confirmatur. Addimus verò vlterius nullam talem dari gratiam operantem, quæ propriè, & vitaliter excitans non sit; negamus enim dari motionem illâ, vel auxilium efficax prædeterminans, quod ex parte in fine huius libri probabimus, quatenus id tribui solet concursui generali Dei, partim in lib. 5. quatenus id spectat ad proprium gratiæ auxilium, quod efficax dicitur; de quo vt præueniens est, ibi ostendimus non esse necessarium, vt physicè nos faciat consentire, vel vt ipsum consensum physicè efficiat, sed sufficere vt moraliter id faciat; nam physicum principium aliud est, vt suprà cap. 18. ostensum est: præter principium autem, seu actum primum physicè cooperantem ad actum, non est necessarium aliquid aliud physicè concurrens præter Deum ipsum, per simultaneum concursum influentem, vt in discursu huius libri ostendam. Nec huic doctrinæ obstat, quòd eadem gratia operans, posit fieri cooperans, quia in gratiis actualibus satis est quòd moraliter cooperetur, sicut de fide dixit Iacobus cap. 2. & Trid. sess. 6. cap. 10. cooperari operibus iustorum, & sicut suprà diximus, excitantem gratiam moraliter iuuare, nam eodem modo loquendi est gratia cooperans, quæ nullo modo dici potest operans, scilicet ipsum actuale auxilium imbibitum in actione nostra, qua Deus operatur nobiscum: nam illud esse non potest sine nobis cooperantibus, & ita nullo modo potest esse gratia operans, sicut etiam ita est adiuuans, vt non sit excitans; & sic in omnibus seruant illæ gratiæ proportionem, vt diximus.

Iacob. *Trident.*

16. Gratia operans non est perpetuò efficax. *Aluarez.* Addo denique, gratiam operantem non semper esse efficacem: nam inde fieret esse inseparabilem à consensu, quod dici non potest. Probatur sequela. Primò ad hominem contra P. Aluarez, quia ille affirmat gratiam operantem physicè infundi ante gratiam excitantem: at gratia excitans potest esse inefficax; ergo quoties gratia excitans est inefficax, etiam prior gratia operans est inefficax. Dicet fortè illam gratiam operantem esse tunc inefficacem ad consensum, non verò ad ipsam excitationem; sed hoc in primis nihil est, nam etiam ipsa gratia excitans est efficax ad excitandum. Deinde ipse in secunda conclusione expressè loquitur de efficacia ad consensum efficiendum, & determinandam voluntatem, vt illum præbeat; & absolutè docet gratiam operantem habere illam efficaciam. Non est ergo illa efficacia de ratione gratiæ operantis, quidquid nunc sit, an aliqua gratia operans possit illam habere. Obiter tamen aduerto cauendum esse aliud extremum dicentium gratiam operantem esse inefficacem, & solam cooperantem esse efficacem, quod sentit Palaci in 2. diff. 26. dum ait Deum mouere voluntatem efficaciter, & inefficaciter, & quando mouet efficaciter, gratiam esse operantem quando inefficaciter, gratiam esse cooperantem. Sed licèt hoc posterius verum sit, quia gratia cooperans inuoluit hominis cooperationem, & ideo quantũ ad illum actum, propter quẽ datur, semper est efficax. Nihilominus illud prius non est verum, quia gratia operans abstrahit ab efficaci, & inefficaci, sicut gratia excitans, vel vocatio, vt in lib. 5. ex professo probabimus.

Palaci.

CAPVT XXII.

Augustini sententia de gratia operante, & cooperante, amplius examinatur.

QVarta difficultas summi potest ex celebri testimonio Augustini lib. de Grat. & lib. arb. cap. 17. quod censetur esse præcipuum huius diuisionis fundamentum. Vbi autem prius dicit, eum, qui vult seruare præceptum, & non potest, habere voluntatem paruam, seu imualidam, quam vocat imperfectam charitatem; eum verò, qui & vult, & potest seruare præceptum habere voluntatem robustam, quam è conuerso perfectam charitatem appellat. Et statim subiungit: *Quis igitur, vbi paruam, dare cæperat charitatem, nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit quod operando inchoauit? Quoniam ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: propter quod Apostolus, Certus sum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficit vsque in diem Christi Iesu. Vt ergo velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante, vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo, vt velimus, dictum est. Deus enim qui operatur in nobis, & velle, de cooperante illo, cum iam volumus, & volendo faciamus: scimus* (inquit) *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Videtur ergo ex sententia Augustini gratia operans, & cooperans non distingui, nisi quia operans præbet charitatem, vel voluntatem imperfectam, cooperans autem perfectam. Quo testimonio aliqui moderni ad asserendum coniunguntur, & consequenter addunt priorem charitatem dici à gratia operante, quia prima gratia sine meritis datur; posteriorem verò esse à gratia cooperante, quia perfectio charitatis sub meritum cadit. Et videtur esse expositio consentanea verbis Augustini, quia charitas imperfecta non est motus indeliberatus, sed liber, qualis fuit in Petro, quando dixit Christo, *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* quo exemplo vtitur Augustinus: & tamen illam charitatem imperfectam tribuit gratiæ operanti; ergo per gratiam operantem non intelligit motus indeliberatos gratiæ excitantis, sed motus liberos imperfectos, qui sub meritum non cadunt.

1. Quarta difficultas ex testimonio Augustini. Verba obscura. Confirmatur ex celebri testimonio.

Hæc tamen expositio, neque veram doctrinam continet, neque consentaneam aliis locis Augustini. Vnde necesse locum illum aliter interpretari. Primum probo quod iuxta illam expositionem Augustinus loquitur de charitate habituali perfecta, vel imperfecta, vel de actibus charitatis perfecto, vel imperfecto. Primum membrum infinuat ille auctor cum probat charitatem imperfectam fieri in nobis à Deo sine nobis, quia prima gratia absque meritis datur, non enim loqui potest de gratia actuali, quia hæc est gratia excitans quam ipse excludit; ergo necesse est vt de habituali loquatur. Vnde consequenter subdit charitatem perfectam cadere sub meritum, quia augmentum gratiæ ex meritis datur, quod planè intelligitur de gratia habituali. At idem paulo inferius dicit, alienum fuisse à mente Augustini diuisionem illam accomodare ad gratiam habitualem, quod & nos suprà diximus, & est euidens, saltem in dicto loco Augustini, quia manifestè de actibus loquitur. Item quia si de habitu loqueretur, non potuisset cum fundamento dicere, Petrum, cùm dixit Christo, *Si oportuerit me mori tecum, non*

2. Respondeo ad 1. & explico. Primò probo quod gratia habitualis. Charitas perfecta, & imperfecta.

non te negabo habuisse habitum claritatis adeò imperfectam, vt nullum eius, vel gratiæ augmentum per sua merita esset consequutus: nam poterat habere gratiam habitualem valde perfectam, & nihilominus in illa non perseuerare, sed Christum negare. At denique, quia licèt de habituali charitate loqueretur, non verè diceret Augustinus, neque consequenter in doctrina sua, imperfectam, vel primam gratiam fieri in nobis sine nobis, id est, sine vllo merito nostro. Quia illa particula *sine nobis*, relata ad meritum, non solùm excludit meritum de condigno, sed etiam de congruo. Additur enim ab Augustino, & Concilio Arausicano illa particula ad reprobandum Semipelagianorum errorem, qui meritum aliquod primæ gratiæ, & initij nostræ salutis ponebant, & ideo non satis reprobatur, nisi excludendo omne meritum, etiam de congruo ab initio salutis, vt in quinto Prolegomeno visum est, & in libro sequenti latiùs dicetur. At verò iuxta doctrinam Augustini epist. 105. prima gratia habitualis, & remissio peccatorum non comparatur sine aliquo merito imperatorio per fidem; ergo non poterat de illa intelligere Augustinus, quod fiat in nobis, sine nobis, respectu meriti.

3 1. Negat de actu charitatis perfecto, & imperfecto.

Superest ergo, vt Augustinus in illo loco de actu charitatis perfecto, vel imperfecto loquutus fuerit. Hoc autem posito non rectè probatur charitatem imperfectam fieri in nobis sine nobis quia prima gratia non cadit sub meritum. Quæ est enim hæc illatio, aut connexio? Nam licèt prima gratia habitualis infundatur nobis sine merito de condigno, nihilominus potest in nobis præcedere imperfectus motus charitatis meritorius de congruo, & ante illum motum charitatis præcedere motus spei, vel fidei, qui potest esse meritum de congruo auxilij ad illum motum charitatis imperfectum; ergo illa ratione non potest dici fieri in nobis sine nobis, & consequenter neque potest dici gratia operans in illo sensu. Rursus etiam motus perfectus charitatis, & super omnia non cadit sub meritum de condigno, quia potest natura antecedere habitualem gratiam, sine qua non est meritum de condigno; potest enim ille amor perfectus per præcedentia opera ex fide, & auxilio gratiæ facta non sine aliquo merito impetratorio obtineri; non magis fit in nobis sine nobis, quàm motus imperfectus; ergo magis vnus, quàm alter est ex gratia operante, vel cooperante. Dicetur fortè omnem motum charitatis, qui non fit ex habitu, vocari imperfectum, & è contrario omnem qui ex habitu charitatis, dici perfectam charitatem. Sed hoc neque euitat difficultatem, neque explicat Augustinum; tum propter rationem factam, quòd motus liberi charitatis præcedentes habitum, cuiuscunque perfectionis sint, non fiunt sine nobis, etiam relati ad meritum aliquod, tum etiam quia Augustinus, vt dixi, nihil de habitu loquutus est. Vnde non considerauit, an actus procedat ex habitu, nec ne, vt illum perfectam, vel imperfectam charitatem vocaret. Denique etiamsi actus procedentes ex actu charitatis sint ipsi meritum de condigno; nihilominus non cadunt sub meritum de congruo, & ita non magis sunt sine nobis, quàm actus præcedentes habitum; nullo enim modo potest expositio, & sententia illa vera esse, aut Augustino accomodari.

4 2. Gratia operans non esset necessaria ad omnes actus pietatis.

Accedit quòd iuxta illam gratia operans non esset necessaria ad omnes actus pietatis, quod suprà ostensum est falsum esse, & contra eundem Augustinum, & Concilium Arausicanum can. 9. dicens, *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* Sequela patet, charitas imperfecta iuxta illam expositionem, est ex gratia operante, & non cooperante; quia fit in nobis sine nobis, & nihilominus dicitur esse actus liber, bonus, ac pius; & licèt dicatur esse imperfectus, non potest illo titulo excipi à generali doctrina Concilij, quæ cùm sit contra Semipelagianos, tam imperfectos, quàm perfectos actus, comprehendere necesse est, aliàs non satis damnasset Semipelagianos, qui solùm actus imperfectos sibi tribuebant. Vnde etiam constat illam particulam *sine nobis*, non rectè explicari solùm respectu meriti, quia excludit etiam cooperationem liberam: nam quoties nos liberè cooperamur, non dicitur Deus agere in nobis, & nobiscum, vt ibi loquitur Concilium. Vnde August. q. 2. ad Simplicianum, dicit ideo Deum incipere operari in nobis, quia non est in potestate hominis vt cogitatio, & vocatio ad ipsum perueniat. Et sic etiam de dono perseuer. cap. 3. *non esse in potestate nostra cor nostrum*; ideoque indigere diuino auxilio, vtique operante, & lib. de spirit. & liter. 94. in vniuersum dicit Deum operari ipsum velle, præueniendo voluntatem per vocationem: consentire autem vocationi semper esse propriæ voluntatis, vtiq; cum operante gratia. In omni autem actu libero voluntatis siue perfecto, siue imperfecto, est aliquis consensus, quia est aliqua determinatio libera; ergo si actus est pietatis, semper fit per gratiam cooperantem & supponit operantem. Ergo è contrario gratia purè operans non est nisi in actibus non liberis, quales sunt gratiæ excitantis, vt iam declarauimus. *Augustin.*

5 Vera mens Augustini de omni bona voluntate.

Dico ergo in primis, licèt ibi Augustinus de charitate imperfecta loqui videatur, tamen id solum esse veluti causa exempli, & doctrinam generaliter in principio capitis, *voluntatem faciendi Dei mandatum*, appellauit. Et ratio est clara, quia gratia operans, & cooperans, non sunt necessariæ propter solos actus charitatis, sed propter omnes actus pietatis, vt sæpe dictum est, & probatum. Deinde probabile est per voluntatem imperfectam intelligere Augustinum simplicem affectum, non liberum ad bonum à solo Deo immissum. iuxta quem sensum facilè expeditur difficultas, quia ille est gratia operans, & dicitur imperfectus quia non est liber: è conuerso autem liber omnis actus qualiscumq; sit, ex ea parte qua liber fit, est actus humanus, & ideo voluntas perfecta nominatur. Potestque hoc suaderi, quia nisi hoc modo locum illum explicemus, vix potest distinctio illa voluntatis, vel charitatis paruæ, & magnæ de actu voluntatis cum certitudine, vel cum sufficienti coniectura declarari. Nam voluntas non dicitur ab Augustino magna, vel parua ex parte obiecti, quia circa idem obiectum, scilicet facere mandatum, vel ponere animam pro Christo, illam duplicem voluntatem distinguit, eámque dicit fuisse magnam in Martyribus, qui magnum illud mandatum fecerunt, paruam autem in Petro, qui id volebat, quando dicebat, *animam meam pro te ponam*, & postea non fecit.

6 Quomodo distinguatur ab Aug. parua & magna charitas.

Distinguntur ergo illæ duæ voluntates ex modo tendendi in illud obiectum. Quis est igitur iste modus si vterq; actus liber esse supponitur? nam quòd vna voluntas sit cõstans, & non alia, non satis indicat imperfectionem in ipso actu, pro tempore quo fit, sed in operante illam ostendit. Hoc tamẽ non satis est, vt diuersa gratia operans ad talem actũ necessaria sit. Si verò dicamus voluntatem perfectam dici, quæ est per actum absolutum, imperfectam, quę per conditionatum, velleitatem vocant. In primis non constat exemplo Petri, quod Augustinus adducit, nam Petrus tunc propositum ex se absolutum habuisse videtur, licèt postea illud mutauerit. Et deinde etiã desiderium sanctũ, licèt non sit omnino absolutũ non sit liberè sine cooperante gratia. Deniq; si (vt alij volunt) per voluntatem imperfectam

ctam intelligatur voluntas intendens, per perfectã, voluntas vtens, & exequens, in primis incredibile est propositum seruandi mandata absolutum, & vniuersale vocari ab Aug. voluntatem imperfectam Deinde etiam est incredibile, sensisse Augustinum talem actum fieri sine gratia cooperante, cùm in c. 16. dicat petendum esse à Deo, vt tantum velimus, quantum necesse est, vt volendo faciamus.

7. Parua & simplex affectio effecta autẽ volitio libera.

Videtur ergo illa facilior, & expeditior intelligentia, vt voluntas parua dicatur illa simplex affectio, quam Deus per gratiam excitantem, quæ est etiam purè operans, solet immittere: voluntas autẽ perfecta sit volitio libera, quę nõ dicitur perfecta, quia in se, & absolutè semper talis sit, sed solùm comparatione prioris, in qua gratia solùm operatur, & nondum voluntati liberæ cooperatur. Obiici verò contra hoc solet, quia Augustinus dicit, gratiam operantem facere, vt velimus, quod intelligit non solùm de effectu illo indeliberato, sed etiam de libera voluntate. Nam de hoc velle loquitur Paulus cum dicit, *Deus operatur in nobis velle*, & tamen de illo velle, ait August. fieri per gratiam operantem, cùm ait, *De operante, vt velimus, dictum est, qui operatur velle*. Respõdetur duobus modis fieri posse per gratiam operantem, vt velimus; vno modo formaliter imperfectè, & hoc confert gratia operans per se sola, & Deus infundendo illa dicitur facere vt velimus. Et in hoc sensu videtur sumi ab Augustino cùm dicit, *vt velimus sine nobis operatur*, quia de nullo libero velle id potest dici verè, vt iam ostendi. Alio modo potest gratia operãs facere, vt velim⁹, liberè, quod non facit formaliter, sed effectiuè, siue physicè, siue moraliter. Et hoc vlterius subdistinguendũ est. Nam gratia operans, vt suprà tetigi, potest esse efficax, & inefficax, seu consequi effectum, & non consequi. Quando ergo non consequitur effectum bonæ voluntatis deliberatæ, dicitur facere, vt velimus, vtiq; quantum est ex se, & tunc particula, *vt velimus*, significat quidem effectum, non tamen iam factum, sed vt finem intentum per talem operantem gratiam. Et in hoc sensu, etiã est verum, Deum operari in nobis sine nobis, vt velimus, licèt non consequatur effectum intentum, quia nos non cooperamur. Quando verò talis gratia coniungitur effectui liberæ volitionis, & illam causat, tunc verè dicitur efficaciter facere, vt velimus, & Deus per illam dicitur operari nostrum velle liberum, cuiuscumque gradus, vel perfectionis sit: tunc autem talis gratia non manet in ratione solius operantis, sed transit in cooperantem, quia simul cum voluntate efficit illud velle. Et ita in hoc sensu dici non potest Deum in nobis sine nobis operari, vt velimus, quia numquam inducit effectum liberæ voluntatis per solam gratiam operantem, sine cooperante, vt declaraui.

8. Ex illa doctrina pluta Augustini loca explicantur.

Atq; hæc doctrina mihi quidem verissima videtur, & necessaria ad explicandas varias locutiones, & loca Augustini, ad quæ est cum magna discretione, semperque attentè considerato contextu applicanda: vnde quod ad præsentem locum attinet, in vno puncto mihi non satisfacit, nimirum, quòd Augustinus per paruam charitatem, vel voluntatem intellexerit solum simplicem affectum non liberum à Deo immissum. Nam certè quando Petrus Christo dixit, *Animam meam pro te ponam*, actum liberum charitatis habebat, & tamen de illo ait Augustinus habuisse paruam, & imperfectam charitatem. Concedo ergo etiam inter actus liberos charitatis, seu bona voluntatis, esse aliquos imperfectos variis modis suprà tactis. Videtur autem Augustinus specialiter vocare dilectionem, vel voluntatem imperfectam illorum qui rectè proponunt, de quibus dixit Christus, *Qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*. Luc. 8. 13.

Numquã verò dixit Augustinus, vt in obiectione supponitur, hanc voluntatem esse à sola gratia operante, sine cooperante, sed dixit. *Et quis istam etsi paruam dare cœperat charitatem, nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quòd operando incipit.* per quę verba voluit pungere Semipelagianos, qui dicebant quædam initia imperfecta voluntatis bonæ esse à nobis. Contra illos ergo ait, etiã initium illius paruæ charitatis fuisse ex Deo, qui incipit operando, & sic præparat voluntatem. Per hoc autem non excludit, quin etiam illo cooperetur in eodem actu libero, licet imperfecto, quia ex ea parte, qua liberè fit, aliquam perfectionem habet, & illam sine cooperatione Dei habere non potest. Illud autem initium operantis gratiæ, dicit esse ad velle potius quàm ad operari, vel perficere, quia gratia purè operans, vel excitans primum omnium necessaria ad velle, & mediante illo potest sufficere ad faciendũ, seu operandum, nisi in executione ipsa difficultas operandi crescat; tum enim noua gratia operans necessaria erit, vt homo non tantùm velit, sed etiam operetur: quoties autem homo vult, vel operatur, sola operans gratia inchoat voluntatem, siue volentem, siue exequentem; neutram verò cum effectu inducit, nisi transeat in cooperantem, iuxta illud Augustini lib. de nat. & grat cap. 31. *Operamur & nos, sed illo operante cooperamur, quia misericordia eius præuenit nos.* Aug.

9. Verbum adductum ponitur.

Ita igitur intelligenda sunt verba, quæ in dicto cap. 17. Aug. subiungit. Vt ergo *velimus sine nobis operatur*, vtiq; quod initium bonę voluntatis, quod solus Deus facit, siue voluntas consentiat, siue non, & siue vel tantum imperfectè consentiat, siue etiam perfectè. Et ita est intelligendum quod subdit. Cùm autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum cooperatur, id est, ipsemet Deus, & eius gratia operans, per quam solus in nobis operatur, vt velimus, nobiscum cooperamur cùm volumus, atq; etiam, cùm ita volumus, vt faciamus quia vel virtus primæ gratiæ operantis, ad omnia extenditur, vel noua additur, si ad constantiam, vel perfectionem in operando necessaria sit. Et ideo dixit in cap. 16. eiusdem lib. *Certum est nos mandata seruare, si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino ab illo petendum est, vt certum velimus, quantum sufficit, vt volendo faciamus. Certum est velle, cùm volumus, sed ille facit, vt velimus bonum, &c. Certum est nos facere, cùm faciamus, sed ille facit, vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati.* Ergo & velle simpliciter (vt sic dicam) & ita velle, vt faciamus, & seruemus mandata, est à gratia cooperante, per quam facit Deus, vt velimus, & vt faciamus, quamuis ipsum velle, & facere, id est: voluntatem proponentem, & exequentem, ipse etiam nobiscum cooperetur. Denique hanc esse Augustini mentem facile intelliget, qui alia loca eius suprà citata considerauerit, præsertim lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 17. 18. & 19. de spirit. & liter. cap. 34. q. 2. ad Simplicianum, & quæ in capite sequenti ex Gregorio, Bernardo & aliis afferemus, hanc doctrinam confirmant, quam ipsos ex Augustino sumpsisse nemo in dubium reuocabit. Aug. Alia testimonia.

CAPVT XXIII.

Quid sit gratia præueniens, comitans, & subsequens, & quomodo ad excitantem, & adiuuantem comparentur.

1. Gratia excitans præcedit.

HÆc quæstio eodem ferè modo, quo præcedens, breuiter expediri potest. Dico ergo primò

primò actuales gratias conuenienter illis tribus nominibus significari. Ita docent omnes Theologi, & patet primo, quia in Scriptura fit mentio harum gratiarum. Psalm 58. *Misericordia eius præuenict me*, & Psal. 20. *Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, & tamen Psalm. 22. dicitur, *Misericordia eius subsequetur me*. vox autem comitandi non inuenietur formaliter, in Scriptura tamen inuenitur æquiualenter, quoties Deus adiutor noster dicitur. Et maximè significata est à Paulo 1. Corinth. 15. in illa verba. *Non ego, sed gratia Dei mecum*. nam illa particula *mecum*, concomitantiam indicat. Secundò Trident. sess. 6. cap. 5. dicens verbis illis, *Conuerte nos Domine, & conuertemur*, ait nos cõfiteri gratia Dei præueniri. Et ita ex illo loco gratiam præuenientem colligit, de qua dicit can. 3. *Si quis sine præueniente Spiritus sancti inspiratione*. Dum autem addit, *eiusque adiutorio*, comitantem iudicat, de qua & de cæteris in cap. 16. expressè dixit, quæ virtus (scilicet gratiæ Christi) bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur. *Et Ecclesia in quadam Collecta orat: Tua nos Domine gratia semper præueniat, & sequatur*. De concomitante autem videtur intelligi quod subditur. Ac bonis operibus iugiter præstat esse intentos. Expressius verò de hoc tertio membro in alia collecta dicitur. *Quos cælestibus reficis munere, perpetuo Domine comitare præsidio*, & alia statim afferemus, ex eadem Ecclesia, & Patribus.

Declaratur tandem ratione, quia ad salutem tria sunt nobis necessaria, initium salutis, consensus in uocationem, & conseruatio propositi, vel executio, vel etiam augmentum; propter initium ergo necessaria fuit gratia præueniens: ad consensum autem addenda fuit gratia comitans, quia sine Deo adiuuante nihil possumus; ad reliqua verò necessaria fuit gratia subsequens, quia sine actuali influxu gratiæ, nec progredi, nec perseuerare in salute inchoata possumus, & multo minus in illa crescere. Quam ferè rationem tradidisse videtur Bernard. lib. de grat. & lib. arbitr. versùs finem dicens. *Siergo Deus tria hæc (hoc est bonum cogitare, velle, perficere) operatur in nobis, primum perfectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem nos præuenit immutando etiam voluntatem, simper consensum iungit, ministrando & consensui facultatem forò per apertum opus nostrum internus opifex innocescit. Sane ipsi nos præuenire nunquam possumus. Qui autem bonum nemmem inuenit, neminem saluat, quem non præuenit? A Deo ergo sine dubio nostræ fit salutis ex ordium, neque per nos vsquequaque, nec nobiscum. Verum consensus, & opus, etsi non ex nobis, non iam tamen sine nobis.*

Dico secundò gratiæ, quæ his vocibus significantur, quatenus internæ, & actuales sunt, in re non distinguuntur à gratia excitante, & adiuuante, sed connotant solum quasdam habitudines prioris, & posterioris. Sententia est communior Theologorum, cum Magistro in 2. d. 27. Prob. autem discurrendo per singulas gratias prædictas. Nam in primis Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. excitantem gratiam præuenientem appellat, dum ait, *exordium salutis sumi à præueniente gratia Dei*, hoc est, inquit, ab eius vocatione. Constat autem vocationem esse excitantem gratiam. Idem colligitur ex illa oratione Ecclesiæ. *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præuem*. Ergo inspiratio est gratia præueniens: inspiratio autem gratia excitans est. Et eodem modo dixit Concilium Tridentinum dicto can. siquis 3. *sine* præueniente Spiritus sancti inspiratione. Similiterq; dixit August. lib. 2. de peccator. merit. cap. 17. & 19. Deũ præuenire nos operando in nobis sine nobis, quod facit per gratiam excitantem, vt suprà vidimus. Idem habet q. 2. ad Simplicianum, & passim. Sic etiam Gregor. lib. 16. moral. cap. 11. dicit. *Si superna gratia mentem non præuenit, nunquam perfectò inueniet innocentem*. Quomodo autem præueniat, declarat, dicens. *Superna pietas prius agit aliquid in nobis sine nobis*. De comitante verò subdit. *Vt subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod apetimus, agat nobiscum*. Vnde lib. 17. cap. 9. alias 8. gratiam præuenientem dicit esse lumen diuinum, id est, illuminationem. Et lib. 18. cap. 13. alias 25. dicit, esse inspirationem diuinam. Similia reperientur in Bernardo suprà, & in Prospero, & Anselmo locis citatis capite præcedenti.

Ratio item clara est, quia, vt statim dicam illa habitudo prioritatis, quam declarat vox *præueniens*, sumi potest, vel in ordine ad conse ísum liberum, vel in ordine ad merita, seu bona opera, vel in ordine ad alias gratias. Omnibus autem his modis potest gratia excitans esse præueniens, quia præcedit consensum ad quẽ excitat, vt per se notum est, præcedit etiam omnia merita, vt suprà contra Semipelagianos probatum est. Deniq; præcedit alias gratias ex genere suo, quia in toto ordine gratiarum excitans est prima. Est ergo omnibus modis præueniens. Simili modo gratia comitans, eadem est quæ adiuuans, de qua sub illa voce, vt suprà dixi, rarò loquuntur Patres, & ideo non afferimus eorum testimonia, neque sunt necessaria, quia ex termin s ipsis res est manifesta, quia non potest gratia liberum arbitrium adiuuare nisi simul concurrat cum illo, & hoc est comitari illud: vnde hæc habitudo concomitantiæ ex parte gratiæ habet protermino, seu correlatiuo liberum arbitrium, seu influxum eius in eundem consensum. Quam concomitantiam optimè explicauit Bernardus in dicto libro, dicens: *Qui enim bono quod opere complent, voluntate consentiunt, opus omnino quod per eos Deus explicat, ipsis communicat. Vnde Paulus cum bona plurima quæ Deus per ipsum fecerat, enarrasset, Non autem ego, ait sed gratia Dei mecum. potuit dicere, per me; sed quia minus erat, maluit dicere, mecum præsumens se non solùm operis esse ministrum per effectum, sed & operantis quodam modo socium per consensum.*

De gratia subsequente est nonnulla maior dubitatio, quia aliqui significant constituere membrum tertium distinctum, sed reuera nihil tale necessarium est, imò nec facilè cogitari potest. Suppono autem sermonem esse de interna, & actuali gratia, nam de influentia interna maximè loquitur Tridentinum in cap. 16. vbi illa tria membra posuit. Sic ergo gratia subsequens, non est nisi adiuuans, vt subsequitur excitantem, vel quodlibet auxilium quod post aliud & veluti ratione illius datur. Probatur ex Augustino lib. de nat. & grat. cap. 31. vbi contra Pelagianos dicentes, *Nos ipsi nos ipsos iustificamus, aut, vbi quidem operamur & nos; sed illa operante cooperamur, quia misericordia eius præuenit nos: præuenit autem vt sanemur, quia, vt subsequitur, glorificemur præuenit, vt pie viuamus, quia sine illo nihil possumus facere*. Vbi videtur sub gratia subsequente comprehendere omnes gratias necessarias post primam vocationem, non solùm ad benè operandum, sed maximè ad perseuerandum vsq; ad mortem. Et in idem redit, quod ait in Enchirid. cap. 32. nolentem præuenit, vt velit; volentem subsequitur, ne frustrà velit, id est, vt possit exequi, quod voluit, aut in incepto perseuerare. Ad hoc autem solum indiget homo nouis auxiliis excitantibus, & adiuuantibus; ergo illa dicuntur subsequentia respectu primæ vocationis, vel primæ cooperationis gratiæ, quæ etiam dici potest subsequens, respectu præuiæ excitantis. Et ita ferè expossuit Gregor. homil. 9. in Ezechiel. in principio, dicens. *Ipse aspirando nos præuenit, vt veluti aus, qui adiuuando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere, quod volumus*. Idem latè Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 11. *Ipsa præueniendo misericorditer*

1. Ratione eius quæ nobis ad salutẽ necessaria sunt.

2. Gratiæ non esse nunc ab excitante & adiuuante.

4. Ratione probatur de gratia præueniente.

De comitante.

5. Et de gratia subsequẽte.

Tridentin.

Augustin.

Gregor.

Fulgent.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

corditer incipit, subsequendo custodit. Et paulo pòst. *Præuenit donans homini bonam voluntatem, subsequitur, benè volentem, operando in illo boni operis facultatem.* Et concludit, *Hoc igitur ista misericordia Dei, in homine subsequitur, quod præueniens ipsa largitur.* quibus verbis, & aliis, quæ subiungit, apertè sentit, subsequentia auxilia non esse, nisi quæ post præuenientem gratiam nos custodiunt, & adiuuant ad augmentum, perseuerantiam in iustitia, quæ non sunt nisi noua auxilia excitantia, & comitantia: nullum ergo nouum auxilium gratiæ per hoc tertium membrum superioribus additur.

6. Gratia dicitur subsequês ratione præcedentis.

Vt ratione hoc declaremus, aduerto, vocem illam *subsequens*, relationem posterioritatis dicere, vt per se manefestum est: potest ergo hæc relatio accipi respectu trium terminorum, quos paulo antè declaraui. Primò enim comparari potest ad præcedentem gratiam, sic tam gratia commitans, quam secunda præueniens potest rectè dici subsequens. Et de comitante videtur ita loqui Ecclesia in quadam oratione pro iter agentibus, dicens, *vt præueniente tua grátia dirigas, & subsequente comitári digneris.* nam gratia comitans, seu adiuuans semper supponit præuenientem, & ideo est subsequens respectu illius. Et ita in hac parte consentiunt etiam D. Thomas, & Theologi suprà. Vide etiam patet secundam gratiam præuenientem dici posse subsequentem respectu alterius gratiæ præcedentis, tam præuenientis, quàm comitantis. Loquor autem de secunda, quia prima non potest in hoc ordine dici subsequens, quia non datur ratione alterius, in quo differt à prima comitante, quia hæc datur ratione præuenientis, & quasi consequens ad illam, vt suprà tetigi.

7. 2. In ordine ad consensum.

Secundò potest alia relatio sumi in ordine ad liberum consensum, & sic respectu vnius, & eiusdem consensus non potest gratia comitans, vel præueniens, quæ ad illum datur, esse subsequens, quia in nullo genere, aut modo est posterior, quàm vsus liberi arbitrij, vt sæpè dictum est. Et in hoc sensu dixit Augustinus, non posse gratiam esse pedissequam liberi arbitrij: tamen respectu talis consensus, etiamsi primus sit, reliquæ gratiæ quæ postea dantur, dici possunt subsequentes, quia sunt posteriores, & possunt dari ratione illius, quod non est inconueniens, quia ille consensus non est naturalis, sed gratuitus, quod statim magis patebit. Et eadem ratione si gratia præueniens & comitans, seu excitans, & adiuuans non comparentur ad consensum, propter quem dantur tamquam propter finem, siue effectum, sed ad alium præcedentem, sic dici possunt subsequentes respectu illius. Tertiò potest dici gratia subsequens respectu præcedentis meriti, vel dispositionis, quomodo frequenter loquuntur Patres, & sic constat multas gratias excitantes, & adiuuantes post primas posse esse subsequentes: nam possunt cadere sub meritum suppositá priori gratia, vt sæpè etiam dictum est.

3. Respectu meriti.

Ex his ergo rectè concluditur, gratiam subsequentem non esse auxilium distinctum ab excitante, & adiuuante, sed illa eadem vt habentia tales respectus illis vocibus nominari. Quod ratione dialectica declarari potest, nam respectu diuersorum, potest eadem res accipere denominationes relatiuas, quasi oppositas, vt patris, & filij, prioris, & posterioris; sic ergo eadem gratia potest dici præueniens, & subsequens, & comitans, quamuis adiuuet, & excitet. Denique si considerentur effectus, propter quos dari potest gratia subsequens, non inuenitur alius modus, quo possit illos efficere, nisi vel excitando, vel adiuuando: sed istæ gratiæ actuales non dantur nisi propter suos effectus; ergo gratia subsequens actualis, & interna

8. Ex his fit subsequentem gratiã non distinguiab excitante.

non datur, nisi vt excitet, vel adiuuet, vel ad bonum operandum, vel ad malum vitandum, siue hoc consideretur in singulis actibus, & occasionibus, præsertim post primum consensum liberum, siue in ipsa perseuerantia, ergo non potest esse gratia distincta ab excitante, & adiuuante, vt etiam satis constat, licèt hæc diuisio trimembris videatur, nihil addere priori diuisioni auxilij in excitans, & adiuuans, ideóque nihil obstare quominus illa diuisio adæquata sit. Obiter tamen notari potest differentia inter illa membra: nam in ordine gratiarum præuenientium dari potest aliqua, quæ sit purè præueniens, quia in omni ordine prioris, & posterioris pertinet ad primũ, & proportionali modo potest dari gratia purè subsequens, quia potest dari vltima: comitans autem semper potest alios respectus participare, quia vel est subsequens respectu præuenientis, vel potest esse subsequens respectu posterioris gratiæ, quamuis respectu cooperationis liberi arbitrij sit purè comitans, vt iam explicatum est, & in sequenti capite latiùs dicetur. Aduerto etiam non omnem gratiam, quæ post aliã datur, dici propriè subsequentem, sed illam quæ aliquo modo ratione prioris datur: nam si nullo modo sit ab illa, vel ratione illius, non dicitur propriè subsequens, nisi fortè in ratione temporis, quod est accidentarium, & non consideratur.

9. Sequitur 4. dictum.

Præterea ex dictis infert potest, gratiam subsequentem non dari tantùm in hominibus iustis, sed etiam in peccatoribus, imò etiã in infidelibus, si ad fidem iam vocati sunt, vel aliquo modo præueniri, & cooperari incipiũt: patet facilè ex dictis quia peccator per fidem potest impetrare auxilium ad pœnitentiam petendo, & eleemosynas faciendo, vt Scriptura docet; ergo si tale auxilium impetrat, habet respectu fidei veram rationem gratiæ subsequentis. Et eadem ratio locum habet in homine vocato ad fidem, nondum plánè conuerso: nam ex præueniente gratia quã recipit, potest concipere aliquod bonum desiderium, quo paulatim disponatur, posteriùs ergo auxilium, quod illi homini datur intuitu dispositionis eius, est reuera gratia subsequês. Quin potiùs, vt dixi, ipsa gratia cooperans, quæ his hominibus datur, vt se remotè disponant ad gratiam, potest dici subsequens respectu excitantis, quæ præcesserit; non est ergo gratia subsequens propria iustorum. Quod si interdum Augustinus, vel Fulgentius locis citatis, eam specialiter iustis attribuere videntur, non ideo est, quia aliis nullo modo communicetur, sed id faciunt ad explicandam iustitiam semel comparatam, & auxilia, quæ dantur ad illam obtinendam, non sufficere ad salutem, sed etiam ipsos iustos indigere gratia subsequentibus. Vnde non negant, imò à fortiori docẽt, eisdem auxiliis indigere peccatores, quamuis non sint illis ita debita, sicut iustis. Et ideo fortè etiam innuere voluerunt esse in iustis maiorem quamdã rationem, ob quam auxilia, quæ illis dantur, sint subsequentia, quia vel sunt debita, tanquam connaturalia gratiæ habituali, vel etiam, quia iniusti possunt multa auxilia de condigno mereri.

10. Ad 3. Ad idem perseuerantiam, & quemcunq;

Secundò sequitur ex dictis, subsequentem gratiã non tantùm dari ad perseuerandum, sed etiam ad quemcunq; progressum faciendũ in gratia quocũque modo inchoata. Hæc sequitur apertè ex præcedẽti, quia vt fidelis peccator ad iustitiã vlteriùs progrediatur, & se disponat, nouo gratiæ auxilio indiget, quod respectu fidei subsequens est. & idẽ est de aliis similibus. Et eadẽ vel maiori ratione nõ datur gratia subsequês tantũ ad actus internos, seu ad executionem boni propositi, sed etiã ad interiores actus, & ad ipsum bonũ propositum concipiendum. Probatur inductione facta, nam peccator, vt concipiat propositum pœnitentiæ, & disponat, recipit gratiam

tiam subsequentem ad fidem, vel timorem. Et ita Trident. sess. 6. cap. 7. describens seriem, & ordinem iustificationis varios numerat actus, quorum vnus prior est alio, & ad singulos requiritur auxilium gratiæ, vt constat, & ideo auxilium datum ad posteriorem actum subsequens esse potest respectu actus præcedentis. Ratio verò est, quia hæc auxilia sunt, vel excitantia, vel adiuuantia, quæ recipiunt illas denominationes, quoties datur ratione prioris gratiæ, vel intuitu alicuius boni operis præcedentis.

11. An gratia subsequens aliquid addat supra excitantem.

Sed dicunt aliqui, præter auxilia, quæ dantur ad bonum incipiendum, necessarium esse, vt Deus etiam exterius ad executionem propositi, & consequenter ad opus externum præbeat occasionem opportunam ad bene operandum, & præterea vt auferat omnia impedimenta; nã hæc meritò inter gratias cõputantur. Ergo rectè dicitur gratiã subsequentem addere huiusmodi bona vltra gratiam excitantem, & adiuuantem. Respondetur in primis hoc nihil obstare, quia loquimur de gratia interna, vt inconclusione dixi: illæ autem gratiæ externæ sunt. Deinde dico etiam ad illas gratias externas posse, & debere doctrinam datam applicari, quia præparatio opportunæ occasionis ad bene operandum, licèt sit gratia subsequens respectu præcedentis propositi; tamen respectu operis, ad quod datur, reuera est gratia præueniens, quia à Deo fit sine nobis. Quo modo rectè intelligitur illud Prouerbior. 16. *Hominis est præparare animã, Dei autẽ gubernare linguam.* nam illamet directio & gubernatio linguæ respectu præparationis est subsequens, & respectu locutionis est præuia, quia est solius Dei vt in eisdem verbis planè indicatur. Vnde talis gratia poterit esse excitans eo modo, quo per externa verba homo excitatur. Ac denique si homo tunc operetur, etiam potest dici gratia adiuuans, quia non parum iuuat, vel carere impedimentis ex prauis occasionibus, vel bonas habere. Igitur quoad gratias externas, nulla est hic differentia. Addo denique has gratias externas etiam ad concipiendum primum bonum propositum dari posse, & requiri, quia etiam congrua occasio exterior, & ablatio impedimenti multum conferre possunt ad bonum propositum concipiendum. Ideoque opportuna occasio audiendi verbum Dei, præueniens gratia est, & ad excitantem pertinet, & ablatio impedimenti, quod posset idem propositum impedire, gratia est, quæ tale propositum comitatur, vt fiat; ergo non est cur inter conceptionem, vel executionem boni propositi discrimen vllum constituamus.

12. An hæc nomina gratiæ habituali accommodentur.

Tandem dixi in assertione, *si loquamur de gratijs actualibus*, qua D. Thomas in dicto art. 3. etiam accomodat has tres voces ad gratiam habitualem quod facile etiam fieri potest. Nam habitualis gratia quatenus à solo Deo infunditur, & præcedit actus quos elicit, dici potest præueniens; quatenus verò simul est cum actibus quos elicit, & ad illos cum voluntate cooperatur, potest dici gratia comitans, quia liberum arbitrium in operando comitatur. Eadem verò gratia, vel quoad infusionem ratione dispositionis præcedentis, vel quoad suum augmentum quia datur ex merito de condigno, gratia subsequens dici potest. Hæc verò solum est accommodatio quædam per se probabilis, quamuis Augustinus nihil de illa tractauerit.

‡ ‡
‡

CAPVT XXIV.

Quomodo gratia præueniens, comitans, & subsequens ad operantem, & cooperantem gratiam comparentur.

QVæstio hæc in sententia quam sequimur, nullam nouam difficultatem habet. Diximus enim gratiam excitantem & adiuuantem, cum operante, & cooperante respectiue conuerti. Vnde necesse est, vt eamdem proportionem, seu habitudinem seruent ad præuenientem, comitantem, & subsequentem. Quia verò moderni quidam aliter sentiunt, saltem de cooperante gratia, pauca de illa dicere necessarium existimauimus. Est ergo hoc tempore quorundam Theologorum sententia affirmans, non solùm operantem gratiam, sed etiam cooperantem esse præuenientem, & non simultaneam, seu comitantem, vel fortè etiam subsequentem. Vt autem intelligatur huius sententiæ sensus, aduertendum est non distinguere præuenientem, & subsequentem gratiam per comparationem ad alias gratias, sed per comparationem ad efficientiam, & influxum liberi arbitrij. Nam Priori modo fortè non negarent hi Doctores, posse cooperantem gratiam esse subsequentem, cum etiam gratia operans, imò & excitans (quæ secundùm illos est distincta ab operante, & prior illa) possit esse subsequens ad priorem gratiam, imò & ad aliquod meritum quando non est prima in suo ordine, sed aliam supponit, vt ostensum est. Loquuntur ergo per cõparationem ad influxum liberi arbitrij, cum ipsamet gratia, & sic supponunt, gratiam operantem semper esse præuenientem, de quo nulla est controuersia. Nam licèt non eamdem gratiam nomine operantis intelligamus omnes, (nos enim excitantem intelligimus, illiverò prædeterminantem physicè,) nihilominus qualiscumque sit, si est gratia operans, sine dubio præcedit ordine naturæ seu causalitatis consensum liberi arbitrij, quia est causa eius; ergo de gratia cooperante difficultas supereſt.

Quæstio an gratia cooperans sit tantùm præueniens ratione cõsensus liberi.

Addunt enim etiam gratiam physicè cooperantem in quantum cooperantem esse præuenientem. Ita tenet P. Aluarez, & solùm citat pro sua sententia Medinam 1. 2. quæst. 11. iait. art. 2. de cuius sententia infrà dicã. Probatur autẽ hæc sententia primò ex illo Pauli ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere*, & Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* quæ testimonia sine alia inductione proponuntur. Secundò ex Gelasio Pap. epist. 5. ad vniuersos Episcopos per Picenum circa finem, dicente. *Quis autem audeat dicere Christianos aliquid habere boni sine gratia? quando magister gentium clamat, cuncta breuiter in se bona concludens. Gratia Dei sum id quod sum & gratia eius in me vacua non fuit. vt ostenderet, quia donum gratiæ non ipse præcesserit, sed fuerit subsequutus, atque monstraret cooperationem se esse gratiæ subsequendo, sed plus omnibus, inquit, laborauí. Ac rursus veritus ne de se præsumere videretur, adiũgit: Nõ ego, sed gratia Dei mecũ. Non dixit ego, & gratia Dei mecum, sed præposuit gratiam præcedentem se, atq; subiungit.* Si ergo liberum arbitrium subsequitur, gratia profectò antecedit cooperando eidem libero arbitrio, quia non potest arbitrium cooperando subsequi, nisi gratia antecedat.

Quod etiã de gratia physicè cooperante tenent. *Aluarez. Medina.* Probatur ex Scripturis. *Gelasius.*

Tertiò probatur ex Trident. sess. 6. can. 4. definiente. *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum, excitatum nihil operari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, anathema sit.* Nam si arbitrium cooperatur motum præcedit motio; ergo præcedit gratia cooperans. Probatur hæc vltima consequentia, quia illa motio non sit per solam gratiam excitantem, sed etiam per cooperantem, & adiuuantem. Vnde idem Concilium cap. 5. non obscurè significat etiam adiuuãtem esse præuenientem, cùm tamen adiuuans gratia sit etiam cooperans.

3. Ex Tridentino.

Quartò additur Prosper in epist. ad Augustinum, vbi gratiam cooperantem præoperantem appellat quia est præueniens. Et adiunguntur Patres, qui impugnarunt Faustum Rhegiensem, quia non admittebat gratiam cooperantem præuiam, sed comitem, & illi primas partes tribuebat. Ergo ex sententia Patrum necesse est gratiam concomitantem præuiam admittere.

4. Ex Prospero.

Quintò allegatur D. Thomas. 1. 2. quæst. 111. art. 2. quia dicit, *in illo effectu, in quo mens nostra & mouet, & mouetur operatio, non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ, & secundum hoc dicitur gratia cooperans.* Ex quibus verbis colliguntliberum arbitrium in eo effectu, qui gratiæ cooperanti attribuitur, moueri à Deo, & mouere seipsum; ergo gratia cooperans mouet liberum arbitrium, & simul cum illo liberam operationem producit; ergo gratia cooperans, vt sic præcedit ordine naturæ, & sic est præueniens, quia omne mouens, præcedit ordine naturæ motum suum.

5. Ex S. Thoma.

Sextò addũtur rationes. Prima, quia opus meritorium est effectus gratiæ cooperantis, sed in omni opere meritorio mens nostra mouetur physicè à Deo, iuxta id ad Roman. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*; mouentur enim vt agant, vt sæpe exponit Augustinus; ergo præcedit gratia cooperans physicè, quia non solùm moraliter, sed etiam physicè aguntur. Secunda ratio, quia gratia cooperans, seu Deus per illam non cooperantur vt duæ causæ partiales, sed vt totales; vnaquæque in suo genere; ergo gratia cooperans præcedit ordine causalitatis cooperationẽ lib. arbitrij. Probatur cõsequentia, quia si non sunt causæ partiales, sed totales, vna pendet essentialiter ab alia, tanquam à superiori at vbi est dependentia, est ordo naturæ: ergo causa superior, scilicet Deus, vel gratia ordine naturæ præcedit in cooperando.

6. Ratione multiplici.

Reiicitur hęc sententia, & eius sensus magis explicatur.

Hanc sententiam censeo esse falsam: vt autem sensus eius rectè intelligatur, & sine confusione, vel æquiuocatione impugnetur, supponere in primis oportet dictos auctores præter omnes gratias excitantes, & adiuuantes à nobis explicatas, addere quamdam actualem gratiam realiter distinctam ab omnibus actibus elicitis à nostris potentiis, siue sint motus indeliberati excitantis gratię, siue actus liberi arbitrij meritorij, seu pietatis, quam gratiam vocant motionem virtuosam, & hanc ipsam gratiam subdistingunt vel re, vel munere. Vnam dicunt præcedere ante motus gratiæ excitantis tãquam principium illorum, de quo puncto iam suprà dictum est: aliam dicunt subsequi post motus gratiæ excitantis, vt determinet efficaciter voluntatem ad actus liberos, & sit suo modo causa per se efficiens, & faciens facere consensum; quo liberum arbitrium gratiæ excitanti respondet. Huic ergo gratię duo munera tribuunt, vnũ est mouere voluntatẽ perseipsa, quasi formaliter, ita vt in ea motione voluntas merè passiue, se habeat talẽ motionẽ reciendo; & vt sic dicunt esse gratiã operantẽ, ac præuenientem, de quo nunc quæstionem directè non mouemus. Aliud est efficere cum voluntate actum liberum, & sic dicunt illam esse gratiam cooperantem, & nihilominus sub hac ratione dicunt etiam esse gratiam præuenientem & prius natura operantem, quàm voluntatem, & de hoc vltimo puncto est nunc principalis controuersia. Vt autem melius nostram sententiam explicemus, tam de hac gratia, quam de omni verè cooperante breuiter dicemus.

Dico ergo primò nullam dari actualem gratiam physicè præmouentem, determinantem, vel cooperantem cum voluntate ad actus pietatis. Hæc assertio tangit totam materiam de concursu prę- uio in sequentibus capitibus disputandam, & de auxilio efficaci lib. 5. tractandam, & ideo ne perturbemus ordinem, & confundamus disputationem à prolixa eius probatione abstinemus, sed eam tantum supponimus, vt iam præuenientem gratiam in nostra sententia explicemus. Probatur autem breuiter, quia illa gratia, neque necessaria est per modum præuij concursus necessarij ex parte causæ primæ, neque per modum specialis auxilij necessarij ex parte causæ secundæ ergo nullo modo. Consequentia est euidens ex sufficienti partitione. Prima verò pars antecedentis probabitur in discursu huius libri, ac tandem concludetur in capite vltimo. Nunc vero addo, licet ille prœuius concursus esset necessarius, non esse illam gratiam operantem, vel cooperantem, de qua Patres loquuntur; quia Patres tractant de gratia quæ se teneat ex patre causæ secundæ, & iuuet illam, & det illi vires efficacissimas, vt loquitur Augustinus. Nec requirunt illam gratiam propter dependentiam causæ secundæ à prima, sed propter infirmitatem naturæ lapsæ ad operandum quod cumque bonum, vel propter imbecillitatem naturæ secundum se ad opera gratiæ cooperantis. Et ideo etiam talem modum operationis Dei requirunt, qui actibus malis, vel non bonis communis nõ sit. Gratia ergo prœueniens, siue operans, siue cooperans non requiritur ex generali ratione concursus primæ causæ, ideòque ad illum non pertinet, siue ille detur prœuius, siue non detur. Altera verò pars antecedentis patet, quia si talis gratia esset necessaria ex parte voluntatis, vt causa secunda est, daret illi posse operari, quod neque verum est, nec ab aliis auctoribus conceditur. Sequela autem patet, quia daret illi virtutem, & vires necessarias ad agendum, hoc autem est necessitas principij dantis potestatem agendi: sed de hoc puncto hæc nunc satis.

Dico secundò etiamsi talis gratia admittatur, nihil ominus non potest dici præueniens sub illa replicatione, quatenus cooperans est. Probatur primò, quia illa gratia est simul operans, & cooperans, vt ipse Aluarez supponit disputatione antecedenti 81. vbi in 2. concluſ. ait gratiam operantem physicè esse realiter distinctam à gratia excitante, imò etiam præoperantem illam vocat, quia prædeterminat voluntatem, & deinde addit num. 9. hanc gratiam physicè operantem non esse distinctam realiter à gratia cooperante physicè, ex sententia D. Thomæ 1. 2. q. 111. ait. 2. ad 4. Hinc ergo argumentamur, quia illa gratia physicè determinans voluntatem (si datur,) vt est operans, est prœueniens; ergo vt est cooperans, non est prœueniens, sed cõmitans voluntatem cooperantem. Antecedens certissimum est in illa sententia, quia illa gratia à solo Deo fit in nobis sine nobis, & per eam Deus solus operatur determinando voluntatem, & faciendo efficaciter vt consentiat, at verò & totum hoc antecedit

cedit ordine naturæ & causalitatis influxum liberum voluntatis; ergo talis gratia secundum illam rationẽ operans est. Hinc ergo probatur prior consequentia. Primò, quia inter infusionem illius gratiæ prædeterminantis, & influxum liberum nostræ voluntatis non antecedunt duo instantia naturæ, seu causalitatis, in quibus illa gratia nostrum liberum consensum antecedat, sed vnicum tantum, in quo gratia illa infunditur voluntati, & prædeterminat illam quasi in actu primo, prius natura, quàm operetur, & in secundo instanti naturę statim sequitur operatio, neque medium instans cogitari potest, aut probabilis ratio illius reddi. At gratia illa prius natura est gratia præueniens, & non vt cooperans. Probatur consequentia, quia gratia præueniens est, quæ ordine naturæ antecedit influxum liberi arbitrij: sed gratia illa, vt cooperans non antecedit sic; ergo non est præueniens. Probatur minor, quia illa gratia vt cooperans est posterior natura, quàm vt operans: sed in illo posteriori naturę iam est influxus liberi arbitrij, quia gratia illa non præcedit liberum vsum per duo instantia naturæ, sed per vnum tantùm; ergo gratia illa vt cooperans, est simul natura cum vsu liberi arbitrij, ac proinde non potest esse præueniens.

9. Probatur et causalitate quã habebit hæc gratia.

Secundò idem conuincitur, quia gratia illa duplicem habere potest causalitatem, vna est formalis, altera effectiua: sub priori est tantùm gratia operans, & antecedit vsum libertatis: sub posteriori autem est cooperans, & non sic antecedit; ergo vt cooperans. Consequentia est clara. Minor declaratur, quia illa gratia infunditur à solo Deo voluntati prius natura, quàm operetur, vnde necesse est vt illam afficiat, & suo modo illam informet, quia non potest in ea fieri, quin illi inhæreat, nec potest illi inhærere, quin eam informet; hæc autem informatio, iuxta illam sententiam in hoc consistit, quod voluntatem ita compleat in virtute & efficacitate, vt eam omnino determinet ad eliciendum consensum prius natura quàm agat, quamuis se continere non possit, quin in eodem instanti temporis, & posterius natura illum actum eliciat; ergo in illo priori naturæ, & in toto illo munere habet illud auxilium, vim & causalitatem solius gratiæ operantis, quia & à solo Deo fit, & se sola sine vllà cooperatione liberij arbitrij totum illum effectum confert. Deinde verò gratia illa efficit ipsum consensum voluntatis tanquam principium eius vel principij complementum, iuxta varios modos loquendi eorum actuum, quos infra tractabimus. Sub hac ergo ratione participat causalitatem effectiuam, & donec intelligatur illum actualiter exercere, nondum habet rationem gratiæ cooperantis, quia in toto priori naturæ, quod antecedit effectiuam causalitatem, nondum est cooperans, vt declarauimus. Et ita est sufficienter declarata tota maior propositio, quam in principiis illius sententiæ sectatores eius negare non possunt, si constanter loquuntur. Probatur ergo minor, quia gratia non potest intelligi in actu secundo efficiens consensum voluntatis prius natura, quàm voluntas etiam illũ efficiat; ergo vt actu efficiens non est gratia præueniens sed comitans. At non est gratia cooperans nisi vt actu efficiens, seu tunc incipit esse cooperans cùm incipit efficere actum; ergo vt cooperans non est præueniens, sed comitans & iuuans ipsam voluntatem operantem.

10. Probatur et doctrina D. Thomæ

Tertiò declaratur idem in doctrina D. Thomæ in dicta quæst. III. artic. 3. vbi ait gratiam habitualem esse operantem, vt informat animam, cooperantem verò vt est principium operis, sicque habitus charitatis cùm actu non operatur, siue in tempore siue in naturæ ordine, non potest dici cooperans, sed tantùm operans, quia nondum effectiuè operatur, sed tantùm formaliter, incipit effectiuè operari; ergò idem est dicendũ cum proportione de auxilio illo prædeterminante, fidetur; solùm enim interuenit differentia, quia habitus prius tempore potest esse gratia operans, quàm cooperans, quia in reipsa potest ab operatione effectiua operari; illud verò auxilium simul tempore semper est gratia operans, & cooperans, in priori tate autem, & ordine naturę seruat proportionem. At verò charitas habitualis non potest dici præueniens in quantum cooperans, quia non prius natura operatur, quàm ipsa voluntas, sed solùm habet rationem gratiæ præuenientis, quatenus est operans; ergo idem est de auxilio præmouente. Respondent constituendo, discrimen, quia habitus non facit facere voluntatem, sed potius voluntas vtitur habitu: illud autem auxilium facit facere voluntatem, imò & ipsum habitum, & ideo vt sic natura ante cedit, & est præueniens: sed hoc nihil obstat, quia etiam posita illa doctrina illudmet facit facere, vt est prius natura, quàm ipsum *facere*, non potest esse ab illo auxilio effectiuè, sed tantùm formaliter adhærendo, & quasi inclinando, & impellendo potentiam nondum vitaliter operantem. Nam licèt Deus quatenus effectiuè infundit illud auxilium, dicatur (iuxta illam opinionem) facere vt faciamus, tamen ipsum auxilium vt prius natura inest voluntati, quàm effectiuè operetur, non potest effectiuè facere, vt faciat, sed tantùm formaliter, quia implicatio est dicere, quod causet effectiuè prius natura, quàm efficiat, ergo formaliter tantùm potest dicere facere, vt faciat. Vnde cum Aluarez suprà ad confirmationem secundi argumenti dicit cooperationem huius gratiæ, secundum instans naturæ præcedere, non eliciendo operationem sine nobis sed faciendo quod nos liberè & infallibiliter consentiamus, vel repugnantia dicit, vel verbis æquiuocè vtitur, quia si illa gratia non prius natura elicit operationem, non causat effectiuè, ergo vt sic non est cooperans, nec facit facere nisi formaliter adhærendo. Deinde in secunda solutione ad 15. dicit primum initium nostri consensus esse à sola illa gratia, mouendo ait, & applicando liberum arbitrium ad operandum. At hoc non facit effectiuè, sed formaliter & consequenter, vt gratia operans. Nec in ipso consensu est aliud initium prętер actionem ipsam vitalem, igitur illud auxilium prout inchoat consensũ, illo modo, seu prout eodẽ modo facit facere, nõ est gratia cooperans, sed operãs, nã cooperans dicitur vt cum voluntate faciat, sicut etiam ipsum nomen præ se fert. Quamuis ergo illud auxilium vt facit facere sit gratia præueniens, non ideo vt cooperans est tantùm comitans.

Obiectiõ reiicitur.

Aluar.

Vltimo declaratur, quia duobus modis potest gratia denominari cooperans, sicut supra de adiuuante diximus. Vno modo. tanquam actio, sed actualis influxus gratiæ, quæ dicitur cooperans quatenus imbibitur essentialiter in actione ipsius liberi arbitrij. Alio modo tanquam principium, à quo influit actio, seu influxus cooperans. Priori modo repugnat gratiam operantem esse præuenientem, quia essentialiter imbibitur in actione, & influxu liberi arbitrij, & ideo non potest esse prior natura, quia nec est causa eius, sed in re sunt omnino idem, nec potest aliquid esse prius

natura, quàm id cum quo essentialiter identificatur & ideo iidem auctores hoc genus auxilii vocant simultaneum, non præuium, vt in sequentibus capitibus latè videbimus. Posteriori autem modo non dicitur gratia cooperans prius natura, quàm operetur, quia per ipsam cooperationis actionem denominatur cooperans, sicut agens denominatur ab actione. Non enim dicitur gratia cooperans à potitudine tantùm, seu in actu primo, id est, quia potens est ad cooperandum cum voluntate, sic enim & habitus dormientis diceretur cooperans & Deus ipse quando nihil actu facit & voluntas ipsa existens in otio diceretur cooperans quia apta est ad operandum: hæc autem falsa esse constat; ergo illa denominatio sumitur ab actuali influxu cooperatiuo; ergo si influxus ipse non potest esse gratia præueniens, multo minus principium eius, quatenus cooperans est, potest esse præueniens, quia talis denominatio supponit influxum simultaneum, ac proinde supponit etiam liberi arbitrij influxum; ergo gratia cooperans etiam physicè, vt talis est, non potest esse præueniens. Vnde repugnantiam profectò in dictis inuolunt, qui fatentur motionem præuiam, non esse cooperantem, nisi simul tempore cùm producit effectum. Et nihilominus dicant, etiam vt sic esse præuenientem. nam in actuali influxu non præuenit voluntatem; nec efficit actum eius prius natura, quàm ipsa volũtas vt satis demonstratum est, & iterum statim dicam & sæpius in sequentibus.

Atque hinc concludo, & dico tertiò, gratiam cooperantem qualiscunque illa sit, numquam esse præuenientem respectu cooperationis liberi arbitrij, hanc assertionem generaliter probant rationes factæ proximè, solum illam addo ne quis existimet doctrinam datam procedere tantùm ex suppositione auxilij prædeterminantis, & physicè cooperantis, nam doctrina vniuersalis est de omni gratia præuia, quæ transit in cooperantem, siue moraliter iuuando, vt est gratia excitans, siue physicè, vt est habitus infusus, vel interdum ipse Spiritus sanctus, iuxta superius dicta. Probarique vlterius potest ex dictis supra de gratia adiuuante, ibi enim multa ex doctrina Augustini allegauimus, quibus ostendit gratiam non esse adiuuantem, nisi nobis etiam coadiuuantibus, quia verbum *adiuuandi*: mutuam relationem inuoluit. Eandem autem, & expressiùs indicat verbum *cooperandi*, vt per se patet.

12. 3. Conclus. Gratia cooperans nunquam est præueniens ratione consensus liberi.

Dicunt verò aliqui cooperari dicere respectũ ad alium simul tempore operantem, non tamen ad eum, qui simul natura operatur. Sed contra. Primò, quia quidquid sit an possit id contingere, vel sufficere in his, qui diuersis actionibus simul agunt, & in his qui vnam & indiuisibilem simul actionem eliciunt, impossibile est vt vna indiuisibilis actio essentialiter pendens à duobus principiis, prius natura, & causalitate fit ab vno, quam ab alio, quia indiuisibilis entitas & formalis ratio actionis huiusmodi simul natura est tota; ergo simul etiam natura dicit habitudinem ad vtrumque principium. Talis autem est simultas, quam verbum cooperandi in his actionibus gratiæ denotat; ergo dicit relationem ad alium cooperantem simul non tantum tempore, sed etiam natura. Secundò id maximè confirmatur, quia illa actio intrinsecè est vitalis; ergo impossibile est prius natura fieri ab aliquo principio adiuuante potentiam, quam ab ipsamet potentia vitali; ergo non habet talis actio esse prius natura à quacumque gratia adiuuante, quam ab ipsa voluntate; ergo talis gratia vt actu efficiens, non potest esse præueniens respectu voluntatis, vt cooperantis. Tertiò, quia

13. Obiicitur cooperari non dicere respectũ ad eum qui simul natura operatur. Reiicitur hæc obiectio.

auxilium præuium iam inditum voluntati eo instanti, in quo actu cum illa operatur, non habet causalitatem in illam, vt operantem præter influxum simultaneum in ipsam operationem, quia si quam aliam causalitatem in ipsa voluntate prius natura habet, illa non est gratiæ cooperantis, sed operantis, vt iam explicaui, quia non est ab ipsa motione vt efficiente, sed vt inhærente: ergo talis cooperatio effectiua non dicit tantùm relationem simultatis in duratione, sed etiam in ordine naturæ, & causalitate.

Denique sententiam hanc expressè docuit Bernard. lib. de Grat. & liber. arbitr. circa finem, vbi de gratia sic inquit. *Ipsa liberum excitat arbitrium, cùm semel cogitatum, sanat, cùm immutat affectum, roborat vt perducat ad actum, seruat ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, vt tantum illud in primo præueniat, in cæteris comitetur. Ad hoc vtique præueniens, vt iam sibi deinceps cooperetur, ita tamen quod à sola gratia cœptum est, pariter ab vtraque perficitur, vt mixtim, non singulatim, simul non vicissim, singulos profectus operentur.* Quid clarius, quæso, aut euidentius dici poterat? nihil verò est tam manifestum quod tergiuersationibus non sit expositum. Respondent ergo Bernardum, cùm dixit gratiam præuenire arbitrium, quoad solam gratiam excitantem, loqui de præuentione secundùm ordinem temporis: sic enim sola gratia excitans est prior, quàm consensus, & cùm dixit in reliquis simul concurrere cum arbitrio, intelligere de simultate temporis, non naturæ, idque suadere nituntur, quia statim Bernard. subdit. *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum, singula opere indiuiduo peragunt, totum quidem hoc, & totum ex illa, sed vt totum in illo, sic totum ex illa.* Nam quia dicit, *totum ex illa*, exponunt gratiam prius natura concurrere, & cooperationem arbitrij ex cooperatione gratiæ pendere, ac subinde cooperationem gratiæ esse natura priorem.

Mens Bernardi explicatur.

Ad hæc certè nimis voluntaria, & violenta sunt. Nam prius dicit Bernardus, totum quidem hoc, ideest, liberum arbitrium prius natura effœre actum, & cooperationem gratiæ à cooperatione arbitrij pendere; sicut ergo ista illatio friuola esset, ita est etiam illa, eamque excludunt illa verba, *sed totum, singula opere indiuiduo peragunt.* Et hæc ipsa manifestè conuincunt loqui Bernardum etiam de simultate naturæ, & causalitatis, & fundamentalem rationem attingit, quia vnica indiuisibilis actio est ab vtroque principio. Idemque optimè significauit, cùm dixit, quod à sola gratia cœptum est, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim, non singulatim, simul, non vicissim. Consultò enim videtur tot modis explicasse illam simultaneam, ne putaretur esse per solam concomitantiam temporis, sed causalitatis & actionis indiuisibilis, & quasi mixtæ ex influxu simultaneo gratiæ, & liberi arbitrij. Vnde cum solam gratiam excitantem dicit esse præuenientem, in opposita significatione vocem præuenientis assumit, considerando id, quòd excitans gratia tempore præcedat, accidentarium est; per se autem est, quòd præcedat ordine causalitatis, & quòd à Deo sola fiat. Et in hoc genere dicit Bernardus illam gratiam vnicam, & solam esse præuenientem, & à sola illa opus salutis inchoari.

Ad primum ergo testimonium respondetur, Deum operari in nobis velle, & perficere, excitando, & adiuuando nos seu operando in nobis, & cooperando nobiscum. Et similiter operatur Deus omnia nostra nobiscum concurrendo, quæ omnia optimè consistunt sine ordine naturæ in ipsamet cooperatione Dei cum homine. In testimonio Ge-

16. Soluuntur testimonia allata.

lasij as-

lasij asserenda simul essent verba præcedentia, quæ sic habent. *Illud autem Pelagianorum virus est, olimque damnatum, quo putant gratiam secundùm merita hominum posse conferri,* & sequentia, quibus concludit, *principium salutis & fidei à gratia cœpisse.* hoc autem initium iam sæpe ostensum est, esse vocationem, & illud donum gratiæ est, de quo in allegatis verbis dicit, *Non præcessisse Paulum operando; sed fuisse subsequutum.* Et respectu eiusdem ait. fuisse Paulum cooperatorem gratiæ, subsequendo, & obeam gratiam ait dixisse Paulum, *non ego, sed gratia Dei mecum*, præponendo gratiam præcedentem se. Neque Sancti aliam præuenientem gratiam, quæ Paulum præuenerit, nos docuerunt; neque est vnde suspicemur Gelasium in, alio sensu esse loquutum.

17. Ad Tridentinum an. 5. adductum.

Ad tertium ex Tridentino respondetur contrarium conuinci ex eisdem verbis, nam cùm dicit liberum arbitrium esse à Deo motum, & excitatum non duas gratias præuenientes ponit, sed quia generali verbo dixerat *motum* declarat modum motionis, addendo, & excitatũ Alioqui fingi etiam posset ante excitationem præcedere, aliam motionem, quod friuolum est Deinde excitationem per vocationem declarat, & illi immediatè adiungit cooperationem, nullamque aliam gratiam præuenientem, & mediam inter gratiam excitantem, & nostram cooperationem nobis tradit. De gratia verò cooperante nihil ibi expressè, sed in correlatiuo ex parte nostra illam cõprehendit, & simul cum nostra cooperatione coniungi significat. Neque aliud alio modo insinuauit de gratia adiuuante in cap. 5. vt ex verbis eius apertè constat & supra satis ostensum est. Prosper autem operantem gratiam, quæ non est alia ab excitante, præuenientem meritò censuit, & ideo præoperantem illam vocauit, numquam tamen de cooperante significauit esse præuenientem, aliàs illam etiam præparantẽ posset appellare.

Ad Prosperum.

18. Ad D. Thom. n. 4.

Ad D. Thomam concedimus Deum mouere voluntatem hominis per gratiam cooperantem, non tamen motione distincta ab illa, qua se mouet ipsa voluntas & ideo illa motio vt talis, nullo modo esse potest gratia præueniens, sed comitans. Vnde in vtraque consequentia, quæ ibi fit, est clara deceptio gratia enim cooperans, vt talis est, non est principium mouens, vt est prius natura, quam sua motio sed vel est motio ipsa, vel est principium agendi, vt denominatũ, vel constitutum in actu secundo per illam, & sic mouens, seu agens in actu secundo, nõ est prius natura, quam eius motio, seu actio, cùm per illam formaliter constituatur.

19. Ad rationes n. 5. allatas.

Ad primam rationem distinguenda est minor *In omni opere meritorio mens nostra mouetur physice à Deo*, motione cooperatiua verum est, præuia, seu præueniente, non est verum nisi ratione gratiæ excitantis, de qua loquitur Paulus ad Rom. 8. vt passim exponit Augustinus, & lib. 5. videbimus. Gratia autem excitans licèt physicè à Deo fiat, & vt sic possit dici physica præmotio, non tamen influit physicè in concursu sed moraliter. Et nihilominus licet in se, & vt excitaes sit præuium, & adiuuans, & cooperans, & comitans. Ad secundam quidquid sit de antecedente, quoad particularitatem causarum negatur consequentia, quia duæ causæ totales in suis generibus, quarum vna pendet ab alia essentialiter in agendo, possunt simul natura concurrere ad eamdem rationem, & effectum, vt de causa prima, & secunda paulo post ostendemus, & de potentia, & habitu ipsi etiam arguentes concedunt; Idem ergo esse poterit de gratia operante, vt sit cooperans concurrendo cũ voluntate. Aliàs nullus posset esse influxus simultaneus secũdum naturam à gratia simul, & voluntate, quod neque illi auctores dicere audent, vt in sequentibus videbimus.

CAPVT XXV.

Vtrum concursus Dei, vt primæ causæ ad supernaturales actus auxilium supernaturale sit.

1. Status quæstionis de concursu primæ causæ vt sic ad actus pietatis.

HActenus illa gratiæ auxilia explicuimus, quæ ad supplendam, & iuuandam imbecillitatem & infirmitatem virium liberi arbitrij ad operandum bonum diuina liberalitate conferuntur, quæ omnia ad causalitatem particularem causæ secundæ, seu proximè spectant, vt explicatum est, nunc dicendum nobis est de concursu generali Dei vt primæ causæ; nam etiam proprijssimè potest auxilium vocari, & inter auxilia adiuuantia recenseri, vt supra tetigimus. Disputationem autem de illo in hunc locum distulimus, quia & propriam quamdam rationem auxilij habet, & hoc tempore singularem habet controuersiam, quam hoc loco exactè disputare necessarium duximus, vt ad similem disputationem de auxilio efficaci viam paremus. Solet autem distingui concursus in simultaneum & præuium seu in concursum in causam ipsam secũdam, vt agens est, & in effectum, seu actionem eiusdem causæ. Nos verò concursum præuium necessarium esse non credimus, & ideo in his prioribus capitulis de concursu simpliciter loquentes simultaneum intelligimus, illo verò explicato, de præuio inquiremus.

2. 1. Concluſ. potentiæ creatæ siue nudæ siue habitu instructæ indigent concursu causæ primæ ad actus supernaturales.

Primùm ergo statuimus potentias nostras siue nudas, siue etiam habitibus infusis instructas indigere concursu Dei vt vniuersalis causæ ad supernaturales actiones eliciendas. Hæc assertio certissima est, neque in illa est controuersia inter modernos: omnes enim damnant sententiam Durandi in 2. d. 1. q. 5. & d. 37. q. 1. qui negauit essentialem dependentiam voluntatis in suis actionibus liberis ab actuali concursu, & influxu Dei, quam etiam in Origene damnat D. Thomas 3. contr. gent. cap. 89. dicitque esse euidenter contra Scripturam. Supra etiam libro 1. retulimus graues auctores sentientes errorem hunc damnatum fuisse in Pelagio, qui vt saluaret libertatem, videtur constituisse voluntatem nostram omnino independentem à Deo in operando; sic ergo veritas contraria probari potest. Primò locutionibus Scripturæ generalibus, de operibus humanis, siue naturalia sint, siue supernaturalia, vt est illud Actor. 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*, vbi in verbo *viuimus* non tantum substantialis vita, quæ satis fuerat in verbo *sumus* comprehensa, sed etiam actualis vita, seu opera vitæ rectè intelliguntur, quamuis etiam possunt sub verbo *mouemur* contineri. Item illud 1. ad Corinth. 12. *Deus operatur omnia in omnibus*, vbi Paulus de supernaturalibus operationibus apertè loquitur, & Isaias cap. 16. dixit, *Domine, omnia opera nostra operatus es in nobis* quod maximè de supernaturalibus intelligi debet. Secundò possunt afferri testimonia, quæ specialiter de supernaturalibus operibus loquuntur, vt est illud Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere*, & ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere.* & illud 1. ad Corinth. 15. *Plus omnibus laboraui, non ego sed gratia Dei mecum.* Ratio verò est, quia non minus pendent habitus infusi à Deo vt prima causa in suo esse, & operari, quam alia principia creata, vt latiùs dixi lib. 3. de auxiliis cap. 3. & 4. & in Metaphys. disput. 22. sect. 4.

3. 2. Conclusio id certum est in potentia instructa habitu infuso. Et probatur ex dependentia essentiali entis creati à causa prima.

Secunda videtur certum & recipiendum ab omnibus ad eliciendos actus supernaturales per habitus infusos necessarium esse auxilium Dei vt causæ primæ concurrentis per actualem influxum in ipso supernaturali actu, qui sit essentialis dependentia eiusdem actus à causa prima. Probatur, quia omnis entitas creata essentialiter pendet immediatè à Deo tanquam à causa per se & principali in suo genere: nam hoc de essentia entis participati sed actus isti supernaturales sunt entia participata & actiones per quas fiunt, eo modo quo aliquid sunt etiam sunt entia per participationem; ergo per se ipsas fluunt immediatè à Deo vt ab illo essentialiter pendent. Et hac ratione probamus in locis allegatis contra Durandum, non solùm omnes effectus causarum secundarum, sed etiam omnes actiones earum immediatè fluere, & pendere à Deo. Et quia actio non pendet ab agente per aliam actionem, sed per se ipsam inde concludimus ipsammet actionem causæ secundæ per se ipsam pendere à Deo; ex quo vlterius inferimus contra nonnullos modernos in emanatione effectus à causa secunda, & prima, non interuenire duas actiones, vnam causæ secundæ, & alteram primæ. quæ est expressa sententia D. Thomæ 1. p. q. 105. art. 5. ad 2. la 3. contr. gent. cap. 70. ratio sit quia necesse est vt ipsamet actio causæ secundæ per se ipsam fluat, & pendeat à prima; est ergo vna indiuisibilis actio, quæ duplicem habet habitudinem, & vt est à creatura dicitur actio eius, vt verò est à Deo, dicitur concursus, seu auxilium, eius simultaneum. Hæc ergo omnia cum proportione applicanda sunt ad actiones supernaturales, etiamsi eliciantur ab habitibus nam eadem omnino ratio in eis versatur. Et in hoc puncto nobiscum conueniunt moderni Thomistæ nam licet requirant auxilium adiuuans præuium & quasi medium inter habitum, & actionem eius, non tamè negant auxilium hoc per modum actualis concursus, & influxus immediati in effectum, quod etiam vocant auxilium simultaneum, vt videre licet in Aluarez. disp. 20. & Ledesma in art. 3. ad 8. & ferè toto art. 4.

Ledesma.

4. 1. Concl. Dari concursus siue auxilium ad actus supernaturales, est etiam supernaturalis & ordinis gratiæ. *Aluar. Ledesma.*

Tertiò videtur etiam certum, & ab omnibus concedendum, hoc auxilium simultaneum, seu concursum necessarium ad actus supernaturales eliciendos etiam per habitus esse supernaturale & ordinis gratiæ, hoc etiam docui in dicto lib. 3. de Auxiliis, & indicta disp. 22. Metaphys. Et postea id latissimè probarunt Aluar. dicta disp. 20. & Ledesma in dicto art. 4. vbi variis testimoniis, & rationibus hoc confirmant. Testimonia verò sunt illa quæ generaliter tradunt ad singula opera pietatis necessarium esse actuale, auxilium Dei, quæ nos suprà lib. 1. latè adduximus, & reuera intelliguntur etiam de iustis per habitus infusos operantibus, vt nos etiam in c. 6. huius libri latè probauimus, & docet apertè Concilium Arausicanum can. 10. & 25. & Celestinus Papa in sua epist. cap. 9. & 10. & Augustinus lib. de Corrept. & grat. cap. 1. & ex Scriptura apertè colligitur, nam cùm Paulus dixit, *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere*, etiam de seipso, & generatim de hominibus iustis loquebatur, & Christus ad Apostolos iam iustificatos loquebatur cùm dixit, *Sine me nihil potestis facere*, Ioan. 15. Ac denique non minus iusti, quàm peccatores inuocant Deum. *Adiutor meus esto, ne derelinquas me*, Ps. 26.

5. Neque de auxilio tantum excitante, sed etiam adiuuante.

Dicere verò potest aliquis hæc sufficienter colligi de actuali auxilio gratiæ excitantis, quod etiam esse necessarium iustis suprà cap. 6. extendimus. Verum tamen per hoc non potest excludi necessitas gratiæ adiuuantis, quia ad quemcumque actum est necessaria gratia excitans, est etiam necessaria nona gratia adiuuans ex parte Dei, iuxta doctrinam Augustini in Enchirid. cap. 32. dicentis, *Rectè dictum intelligitur non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei, vt detur totum Deo, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandum, & adiuuat præparatam.* & lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 18. Quòd nos ad Deum conuertimur, nisi Deo excitante, & adiuuante, non possumus, & alia quæ ex Conciliis, & Patribus de necessitate gratiæ adiuuantis in superioribus adduximus. Nec possunt illa omnia ad solos peccatores, seu operantes sine habitu limitari, tum quia indefinitè, & generaliter loquuntur, & tales locutiones doctrinales, æquiualent vniuersalibus, tum etiam, quia sæpè loquuntur specialiter de iustis, vt patet ex Augustino lib. de natur. & grat. c. 26. vbi prius dicit cùm Deus iustificat hominem, & ad perfectam sanctitatem deducit, non deserere illum, nisi ab ipso deseratur: intelligit autem non *deserere* quoad adiutorium, quo homo etiam iustificatus indiget. Vnde subiungit, *Sicut oculus plenissimè sanus nisi candore lucis adiutus non potest cernere, sic homo etiam perfectissimè iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non potest viuere,* & in eodem sensu dicit lib. de grat. & lib. arbit. c. 6. *Necessarium est hominem etiam cùm fuerit iustificatus ex fide vt ambulet cum illo gratia, & incumbat super ipsam ne cadat.* quod variis testimoniis Scripturæ confirmat, & apertè loquitur de gratia actuali distincta ab ipsis habitibus, consequenter de propria actione Dei vltra influxum ipsorum habitum: nam ad hoc requiritur tale adiutorium Dei, vt homo per ipsos habitus possit operari; ergo saltem necessarium & auxilium adiuuans per modum concursus supernaturalis, quia inter actualia auxilia hoc est (vt ita dicam) minimum auxilium physicè adiunans in ordine gratiæ.

Conclusio probatur Augustino.

Rationes autem quamplures accumulant dicti auctores ad hanc veritatem confirmandam, eo quòd existiment in ipso puncto se Molinam impugnare, referunt enim illum dixisse qui habet infusum habitum, non indigere supernaturali auxilio ad singulos actus supernaturales. Vtique in Concord. disp. 26. & 27. & 36. 37. 38. 39. & in disp. 4. hua, dixisse fertur hominem in statu innocentiæ potuisse habere actus supernaturales cum habitibus supernaturalibus, & auxilio generali naturali. Mihi autem non videntur tot rationes necessariæ, quia suppositis principiis fidei, res est euidentissima; agimus enim de concursu illo simultaneo, qui est in ipso actu deliberato voluntatis, seu quo immediatè talis actus pendet à Deo. Cùm ergo fides doceat illum actum esse supernaturalem, siue in substantia, siue in modo, planè euidens est, dependentiam illam intrinsecam, quam habet talis actus vt supernaturalis est à Deo, eiusdem ordinis esse, ac subinde supernaturalem quod substantiam iuxta veram sententiam de actuum supernaturalitate. Quomodo enim potest essentialis dependentia effectus esse inferioris ordinis, quàm ipse effectus. Item terminus intrinsecus illius concursus, qui est ipsemet actus immanens, vt est quædam qualitas in facto esse, hic, inquam, terminus est supernaturalis, principium etiam immediatum illius influxus est supernaturale: nam est Deus vt auctor gratiæ; non vt auctor naturæ: ergo etiam influxus ipse sui concursus est supernaturalis, quia via esse debet proportionata termino, & principio, à quibus sub quacumque ratione spectetur, speciem sumit. Imò licèt concursus hic esset aliquid prævium in potentia, & distinctum ab actu supernaturali, oportet esse motionem, vel qualitatem supernaturalem, & per se infusam: tum quia aliàs non esset apta ad influendam in actum supernaturalem, & ita esset superflua; tum etiam, quia talis motio

6. Variæ rationes. Falsò accersunt Molinam.

non

non est naturæ debita, neque potest fieri per causas naturales, etiamsi sub illis Deus, vt auctor naturæ comprehendatur.

Hæ igitur rationes nobis sufficiunt, præsertim, quia nulla difficultas alicuius momenti in contrarium occurrit suppositā vera, & catholica doctrina de horum actuum supernaturalitate. nec etiam in hoc puncto est controuersia inter Catholicos Doctores. Neque Molina, si attentè legatur, & sincerè exponatur, contrarium docuit in locis, in quibus allegatur. nam in dicta disput 4. numquam dicit Adam in statu iustitiæ potuisse per habitum charitatis cum solo auxilio generali naturali diligere Deum, sed præcisè dicit cum communi auxilio, vel influxu. Itaque particula illa *naturali* addita est, neque includitur in auxilio communi. nam auxilium commune latiùs patet, quàm naturale, vt statim dicam. In aliis verò disputationibus non habet illam negatiuam, scilicet Deum non concurrere ad hos actus auxilio supernaturali, sed eodem modo loquitur, dicens, Deum concurrere immediatè ad hos actus per suum concursum generalē, vel vniversalem, quia nulla causa secunda etiamsi supernaturalis sit, nisi à Deo immediatè influente adiuuetur quidquid efficere potest, vt expresè habet disp. 36. aliàs 37. §. *Cùm autem*. vbi etiam dicit vnicam esse actionem in tali actu, quæ est à Deo, potentia, & habitu, & illam dicit esse in se supernaturalem, & licèt consideret quasi specificatiuè, aut determinatiuè habere à principio proximo supernaturalitatem, non dubitat tamen quin effectiuè tota sit ab istis principiis, & à singulis eorum in suo genere, & ideo vocat illas causas partiales partialitate causæ, non effectus. de qua locutione paulo pòst dicam. Et disp. 36. §. *Quoad primam*, expresè dicit Deum per suum supernaturalem influxum non solùm concurrere ad hos actus, sed etiam euehere alias causas, vt illos producant. & in §. *Hinc liquet*, repetit Deum supernaturalitater influere in hos actus, & idem habet q. 23. art. 4. membro 6. ad primam obiectionem.

7. Molina declaratur.

Solet autem Molina interdum loqui de hoc auxilio generali, actū esset vnum quid indifferens ad influendum in actus naturales, & supernaturales, & ideo putatur vocare illud commune, non communitate rationis, seu causalitatis, ac si esset vnus numero indifferens ad actus naturales & supernaturales, vel saltem ita vnus, vt semper sit eiusdem ordinis naturalis. Sed hæc & in se improbabilia sunt, & in mentem eius nunquam venerunt, quia ille non ponit alium concursum præter eum, qui imbibitur in ipsa actione causæ secundæ, & ideo dicit esse influxum in effectum, & non in causam: ergo non potuit cogitare vnum numero concursum Dei, qui sit aliquid creatum, dari ad omnes actiones voluntatis, cùm singulæ intimæ inducant suum influxum, vel esse vnum specie, vel eiusdem ordinis, cùm expresè dicat Dei concursum modificari in vnaquaque causa secundùm naturam, & speciem eius.

8. Modus loquendi Molinæ.

Igitur hic concursus Dei duobus modis considerari potest. Primò ex parte Dei, & quasi in actu primo, & sic non est aliquid distinctum ab ipso Deo, sed est ipsa voluntas Dei parata ad concurrendum, & sic dicitur de se indifferens, quia parata est voluntas Dei ad concurrendum cum voluntate creata iuxta modum cooperationis eius, tam ad actus naturales, quàm ad supernaturales, & ad bonos, & ad malos. Secundò potest concursus Dei considerari, vt fluens à Deo, & in actu secundo, & sic nunquam est in re indifferens, aut communis communitate (vt ita dicam) reali, sed rationis: nam in re semper est modificatus iuxta exigentiam termini, seu effectus, & consequenter semper est aut naturalis in actibus ordinis naturæ, aut supernaturalis in actibus ordinis gratiæ, vt in vtroque ordine est diuersarum specierum pro diuersitate actuum. Quia verò in quocunque effectu hic concursus est à Deo, vt à causa vniuersali, & non propria, & particulari: itemque, quia hæc dependentia à Deo generalis est omnibus actionibus creatis, ideò secūdùm hanc considerationem dicitur hic cōcursus communis, vel universalis communitate, & vniversalitate rationis, nō rei: & simili modo dicitur generalis, quia est à Deo, vt generaliter influente, & secundùm eundē respectū dicitur esse eiusdē rationis, non specificæ, vel naturalis, sed abstractæ, & quasi trāscendētalis.

9. Quid sit ille Dei concursus, & quomodo dicatur communis.

Ad hunc ergo modum verè dicitur auxilium adiuuans ad actus supernaturales, quādo est per modum concursus primæ causæ esse auxilium generale, quia necessitas eius non prouenit ex particulari excellentia actuum supernaturalium, sed ex generali conditione omnium actuum creatorum, quæ est essentialiter pendere à primo actu increato, quamuis vnusquisque actus postulet hanc dependentiam iuxta modum, & perfectionem suam, peculiari etiam modo dicitur hoc auxilium generale in ordine gratiæ, quia licèt consideratum absolutè secundùm suam entitatem & perfectionem sit speciale, quia & est altioris ordinis, quàm omnia auxilia naturalia, & quia non erat debitum homini secundùm naturam suam spectato; nihilominus comparatum ad alia auxilia gratiæ, & præsertim ad habitus infusos rectè dicitur generale, quia seruat eandem proportionē ad principia supernatutalia, quā cōcursus ordinis naturæ ad virtutes naturales. 10. & generalis.

Quartò dicendum est, sicut cōcursus ordinis naturæ est debitus virtutibus naturalibus, ita hic cōcursus supernaturalis est debitus virtutibus supernaturalibus, in quo aliquo modo deficit à ratione gratiæ omnino indebitæ, sicut de concursu naturali diximus l. 1. c. 1. & tradit Soto l. 1. de nat. & grat. c. 2. quam assertionem tradidi etiam in l. 3. de Auxil. c. 3. n. 4. eam verò referens Ledesma dicta q. art. 4. corollar. 2. post 5. concluſ. eam impugnat, dicens, contrarium commune esse inter Theologos, præcipuè discipulos D. Thomę, nimirum concursum generalem, etiamsi sit proportionatus virtuti causarū secundarum, non esse illis debitum. Ratio autem eius est, quia concursus generalis, seu auxiliū generale in ordine gratiæ est auxilium efficax: sed auxilium efficax non est debitum; ergo auxiliū generale non est debitum. Minor probatur, quia quoties voluntas actu non diligit Deum, non recipit auxilium efficax, & tamen nullum auxiliū illi debitum denegat illi Deus; ergo auxilium efficax non est debitum. 11. 4. Conclus. sio. *Ledesma.*

Hæc verò ratio melius probat auxilium efficax physicè præueniens, & determinans voluntatem non esse necessarium ad generalem concursum Dei, cum voluntate, & habitibus eius, sine acquisitis, sine infusis, quàm quod generalis concursus non sit debitus causis secundis. Nam hoc profectò negari non potest, loquendo de illo debito, quo proprietates connaturales vnicuique rei debentur, quod debitum sufficit ad fundandam aliquam rationem iustitiæ in Deo, sicut dixit D. Thomas 1. p. q. 21. art. 4. Quis autem neget concursum connaturalem & proportionatum esse veluti proprietatem quandam connaturalem vnicuiusque virtutis; ergo talis concursus est debitus, hoc nimirum debito connaturalitatis. Et hac ratione id asseruit Soto dicto lib. 1. de natur. & grat. cap. 2. Nec ego inueni Theologos contradicentes, quos oporteret in præsenti allegare, imò multi dicunt voluntatem aliquam violentiam pati, si sufficienter proposito obiecto, & positis aliis requisitis ex parte eius ei denegetur concursus ad amandum, & ideo amorem non eliciat, quod tenuit Alman. in tract. 1. 12. *S. Thom.* *Soto.* *Alm.*

Moral cap.2.& sequitur Medina 1.2.q.6.art.4.quæ doctrina maximè fundatur in hoc,quòd talis concursus est debitus,vt notauit Vasquez 1.2. disp.26. cap.vltimo.Confirmatur primò.Nam potentię debetur actus proprius hoc debito connaturalitatis, & ideo dicunt Theologi intellectui lumine glorię eleuato deberi visionem beatam,& similiter materiæ proximæ dispositæ & organizatæ ad esse hominis, debetur anima rationalis, & hac ratione est naturaliter debita creatio animæ rationalis. Ergo simili modo debetur lumini gloriæ concursus ad vtsionem beatam, & idem est cum proportione de cæteris virtutibus tam infusis, quàm acquisitis. Confirmatur secundò ; quia si non debetur igni concursus generalis, non erit contra ordinem naturaliter debitum negare illum talem concursum sicut ille auctor dicit, non esse contra debitum naturale negare homini auxilium efficax ad amandum;ergo non erit miraculum ignem non calefacere,vel non comburere pueros in caminoBabylonis,quia solũ nõ non cõbussit,quia defuit Dei concursus: negare autem talem concursum non fuit miraculum iuxta illam sententiam, quia negare quod non est naturaliter debitum,non est miraculum,sicut negare auxilium efficax non est miraculum,ergo neque carentia actionis, quæ inde sequitur,miraculosa est, sicut non est hominem carentem auxilio efficaci,non diligere Deum.

Medin. Vasquez. Probatur ratione.

13. Soluitur obiectio ex discrimine agẽtium necessario ũ & liberorũ petita.

Fortasse verò aliquis argumento conuictus dicet, agentibus ex necessitate naturæ deberi auxilium efficax, quia generalis concursus semper est determinatus iuxta capacitatem talium agentium; agentibus autẽ liberè nõ deberi auxiliũ efficax,quia nullum est determinatum ex natura talis agentis. Sed hoc in primis gratis dicetur, quia non patitur ratio cur ignobilioribus causis secundis debeatur auxilium primæ causæ proportionatum suis virtutibus, & non debeatur nobilioribus agentibus liberis proportionatum ipsis,& peculiari modo agendi illorum. Et deinde non minus miraculum esset,voluntatem de se expeditam cum omnibus requisitis ad agendum nihil liberè velle ex solo defectu concursus,quam ignem non cremare ex defectu sui concursus;ergo tam est debitus voluntati concursus ad liberè volendum, sicut igni ad calefaciendum. Est tamẽ notanda diuersitas, quia igni debetur vnus determinatus concursus, voluntati autem minimè, sed indifferens iuxta illius naturam,seu multiplex sub disiunctione, vt ita non explicem,id est,concursus ad volendum, vel nolendum,aut ad volendum hoc,vel oppositum.

14. Quale sit illud discrimen respectu cõcursus debiti.

Vnde sequitur aliud discrimen, nam respectu agentis necessarii debitum est(vt ita dicam) absolutum, id est, nullam includens conditionem, quæ non ex naturali necessitate compleatur: respectu verò voluntatis liberę, licèt absolutè debeatur cõcursus sub disiunctione,modo explicato : determinatus autem concursus ad talem actum non debetur, nisi sub conditione pendente ex libertate voluntatis,nimirum si per ipsam non steterit,seu dum modo ipsa cooperetur. Hæc autem conditio habet locum in auxilio efficaci comitante,vt per se patet, & in lib.5.dicitur. Et ideo tale auxilium potest esse debitum modo prædicto,& actu non dari, quia ex parte Dei non denegatur, imo semper est paratus sub prædicto modo, & conditione, & quoties de facto non datur positis aliis prærequisitis ad agendum, solum est ex defectu conditionis ex parte hominis deficientis. Dicta verò conditio non ita locum habet in auxilio efficaci physicè præueniente voluntatem,quia tale auxilium,vt actu conferatur non potest pendere ex libero vsu voluntatis, vt in lib.5.ostendam. Ex quo (vt dicebam in principio) potius infertur nullum esse tale auxilium efficax, quod possit esse generale, aut necessarium ad liberam actionem voluntatis; tum, quia necessitas illa non esset composita,sed absoluta, cùm non pendeat ex vsu libero voluntatis, tum etiam, quia eo ipso quòd tale auxilium determinatum pro solo Dei arbitrio dari dicitur,vel negari,est euidens argumentum,illud non pertinere ad concursum generalem, & essentialem dependentiam secundæ causæ à prima in agendo,vt ex dicendis in sequenti capite patebit.

15. Quomodo intelligatur hoc debitum respectu eius.

Quæret fortasse aliquis,an hoc debitum intelligatur solum respectu eius,qui ex habitu operatur, videri enim potest ita esse asserendum,quia hoc auxilium non debetur voluntati secundùm se spectatæ , sed ratione virtutis supernaturalis,ergo non habenti habitum non debetur hoc auxilium. Respondetur argumentum concludere non deberi debito connaturalitatis; nihilominus tamen alia ratione dicendum est ex conuenienti ordine diuinæ prouidentię,peccatori iam sufficienter excitato ad fidem vel pœnitentiam,vel similes actus moraliter esse debitum hunc concursum. Ratio est, quia licèt excitatio non sit principium physicum , est principium morale sufficiens in suo ordine , & datur , vt homo possit moraliter conuerti; & ideo secundum rectum ordinem prouidentiæ secum affert paratum auxilium physicè adiuuans,si per hominem non steterit,& hoc est morale debitum,de quo loquimur. Accedit, quòd homo sic excitatus potest liberè consentire,& ad hunc finem datur illi excitatio , & ab eo sæpè consensus sub obligatione exigitur,ergo tali prouidentię suppositæ,debetur illi concursus necessarius ad consensum,saltem sub ea conditione,si per hominem non steterit.

16. An cõcursus Dei generalis,& vt causæ primæ sit necessarius non operanti tanti tribus.

Sed quæri rursus potest,an in illo, qui non operatur supernaturaliter ex habitu , sit necessarius duplex Dei influxus in ipsum actum, vnus , quo supplet vicem habitus, & agit vt causa proxima, alius generalis causæ primæ. Videtur enim ita necessario dicendum,quia quando habitus adest, habet suum concursum distinctum à concursu generali;ergo quando Deus supplet concursum habitus adhibet etiam distinctum influxum. Respondetur in reipsa non esse duos influxus,sed vnum eminentiorem virtute continentem plures, quia ratione possunt tantùm distingui. Nam , vt suprà dixi illa actio vnica est & simplex , ideoque etiam respectu principiorum realiter distinctorum, vt sunt causa prima, & secunda, vel habitus,& potentia non distinguuntur in re,tanquam duæ partiales actiones sed solum habitudine rationis ; ergo multo minus poterunt distingui respectu Dei,in quo ratio causæ primæ,& proximæ in re non distinguuntur,imo si ibi consideretur Deus præcisè vt causa particularis supplens vicem habitus,ille influxus vt est à Deo,est longè altioris rationis, quàm influxus habitus, quia iste est influxus principij creati,& ideo postulat concursum causę primæ : influxus autem Dei est à principio increato,& ideo per se est independens ab omni superiori causa. Vnde in tali influxu sic spectato,nec ratione distinguuntur concursus causę primæ , & influxus Dei vt causæ proximæ, tum neque in ipso Deo distinguuntur ratio causæ primæ , & proximæ , neque in ipsa actione distingui possint actio causæ primæ , & concursus causæ primæ , quia illa actio per se talis est,vt concursu alterius causæ non indigeat; ita ergo est in dicto influxu Dei in talem actum supernaturalem præcisè spectatum vt est à Deo, vt cau-

vt causa prima,& supplente vicem habitus. Quia verò actio illa etiã est à volũtate creata,ideo respectu illius,ille influxus Dei, & habet rationem specialis adiutorij supplentis vicem habitus ,& rationem concursus generalis ordinis gratiæ adiuuantis potentiam creatam, & ita potest ibi ratione distingui duplex Dei concursus.

Vltimò ad quæstionem directè respondendo dicimus vltimò concursum hunc generalem ad supernaturalis actus esse verum donum ordinis gratiæ gratuitũ, & speciale respectu concursus generalisordinis naturæ,quæ resolutio communis etiam est & singulæ partes facilè probantur ex dictis:nam esse donum ordinis gratiæ ex tertia assertione manifestum est,quia est donum in se supernaturale,sicut est actus ipse ad quem datur. Esse autem gratuitum probatur,quia per se non datur ex operibus, quia non requirit antecedentia opera. Etlicèt non detur nisi cooperanti,non tamen datur propter cooperationem, quia nullo modo cooperatio antecedit tale auxilium, sed ad summum est simul cum illo: datur ergo ad operationem cum comitante cooperatione causæ secundæ, gratis tamen darur. Quòd si contingat præcedere aliquod meritum,vel impetratio talis auxilij,illud non potest esse fundatum in operibus solius naturæ, sed in fide,& priori gratia; ideo etiam tunc est donum gratuitum, quamuis non primum, sed tamquam gratia pro gratia,quod satis est, vt non sit simpliciter ex operibus, & ideo etiam in gratia excitante idem contingere potest,vt in superioribus sæpe dictum est,& in lib.vlt.latius dicemus. Atque ob eamdem causam non obstat huic parti assertio præcedens, quia licèt hoc auxilium detur vt debitum habitui, vel priori gratiæ, numquam datur vt debitum naturæ secundùm se spectatę,& ideo semper illud debitum est fundatum in gratia , & consequenter ipsum auxilium est semper gratuitum tamquam gratia pro gratia.Ex quo etiam facilè patet vltima pars de auxilio speciali : nam omne auxilium gratiæ comparatione naturæ est speciale, quamuis respectu prioris gratiæ præsertim habitualis vocetur generale in ordine donorum gratiæ & per quãdam conuenientiam seu proportionalitatem ad cursum naturæ. Nam sicut iste est communis ad virtutes naturales,ita ille est communis ad supernaturales. Si autem illi duo inter se comparentur absolutè respectu naturæ, sic concursus gratiæ est specialis,quia est vltra debitum naturæ:concursus autem naturalis est tantummodo,& quasi per antonomasiam generalis,quia non excedit commune debitum naturæ.

17. Concursus ille generalis ad actus supernaturales est donum ordinis gratiæ.

18. Dilucitur ob iecta.

Vna supereſt obiectio facilis,quam non omitto, quia ad magis declarãdam distinctionem auxiliorum deseruire potest.Videtur ergo sequi ex dictis ad excitantem gratiam esse necessariam adiuuantem, quod videtur in conueniens : tum quia aliàs confunderentur istæ gratię inter se tum etiam quia tunc gratia excitans non esset prior,quàm adiuuãs sed vel ordine naturæ posterior, vel ad summum essent simul,quod est contra suprà dicta. Sequela patet,quia gratia excitans est opus supernaturale factum ab homine;ergo non potest fieri sine concursu Dei eiusdem ordinis: sed talis concursus est gratia adiuuans ; ergo non potest fieri sine gratia adiuuante. Respondeo committi æquiuocationẽ in verbo *gratiæ adiuuantis*; propriè enim dicitur respectu arbitrij liberè operantis , & sic omnino distinguitur à gratia excitante, vt excitans est, præsertim loquendo de adiuuante per modum influxus,vt suprà probatum est. In hoc ergo sensu negatur sequela, cuius probatio non procedit , quia motus gratiæ excitantis non sunt à nobis liberè. Si autem aliquis omnem concursum Dei ad omnem etiam actionem necessariam vocet auxilium adiuuans, sic verum est Deum efficere in nobis actus gratiæ excitantis adiuuando, & eleuando nostras potentias ad illos efficiendos : nam eo modo , quo in illis motibus potest distingui via , & terminus, seu actio , & qualitas,potest etiam distingui auxilium quasi adiuuans potentiam ad agendum à gratia formaliter excitante potentiam; ille tamen modus loquendi, vt dixi,non est vsitatus , sed vtrumque sub gratia excitante,siue in fieri , siue in facto esse comprehenditur.

CAPVT XXVI.

Corollaria nonnulla, quæ ex doctrina superioris capitis inferuntur.

PRiusquã de concursu prævio in causam dicam operę pretium visum est ex doctrina capitis superioris, nonnullas proprietates, seu vera attributa huius cõcursus comitãtis inferre, vt supponamus ea in quibus nulla ferè est dissensio inter eos, qui de concursu per influxum in causam dissentiunt, quæ maximam lucem afferent ad intelligendam sententiarum diuersitatem in alio puncto de concursu prævio, simulque ad percipendam efficaciam rationum vtriusque opinionis multum conferunt.

Primò ergo colligitur ex dictis hoc auxilium actuale quod est per modum concursus comitantis, esse aliquid creatum animę potentiis inhærens. Hoc pro comperto habent omnes Theologi , & philosophi,etiam in sua sphæra , quia hic concursus est dependentia operationis creatæ à creatore; ergo est aliquid creatum , seu factum existens in subiecto, in quo ipsa operatio existit. Inuenio tamẽgeneratim relatum sine nomine auctoris quosdam dixisse hunc concursum non esse aliquid in creatura,sed voluntatem Dei efficacem , quia vult talem effectum fieri.Et fortasse mouebantur, quia hic concursus Dei non potest esse increatum , nisi per modum actionis Dei transeuntis: at verò Deus non operatur ad extra per actionem transeuntem, vt nonnulli opinabantur,sed per suam increatam volitionem immanentem , quæ est virtute transiens,non actu;ergo illamet volitio erit concursus cum creatura ad operationem eius.Pro qua sententia allegari potest Capreol.*disp.* 1. *q.* 2. præsertim ad argumenta Durandi contra conclusionem.Sed hoc nobis nihil obstat.Primò, quia sententia illa falsa est,nam effectus Dei etiam manãt ab ipso per actiones transeuntes respectu ipsius : voluntas autem Dei est principium talium actuum,vel per seipsam vel per omnipotentiam, quę sit attributum rationẽ distinctum à voluntate, quæ omnia ex Metaphysica,& ex 1.part.quæst.16.& 45. suppono.Secundò, quia etiam data illa sententia non potest negari, quin in ipsamet actione creaturæ intrinsecæ imbiabatur essentialis dependentia , & emanatio à Deò tamquam à primo efficiente principio,siue dicatur emanare ab illo tamquam actio,siue tamquam passio,vel mutatio quædam creaturæ ; quocumque enim modo spectatur,seu apelletur illa dependentia,est concursus Dei simultaneus coefficiẽtis cum causa secunda actionem eius. Nos verò, quia responsionem priorem veriorem existimamus, eandem actionem;quę est à creatura,vt est à Deo,dicimus esse hunc concursum Dei.Et Capreol.licèt suprà dicat actionem Dei vno modo esse immanentem: nihil ominus etiam docet,ipsam actionem externam causæ secundæ esse actionem Dei.

1. Auxilium actuale est aliquid creatum potentiis inhærens.

Caietan.

Secundò sequitur ex dictis, concursum Dei cum causa secunda non distingui realiter , vel actualiter ex natura rei ab actione creaturæ sed tantum

2. Concursus Dei non distinguitur realiter ab actione creaturæ

tantum ratione ratiocinata, per inadæquatos conceptus eiusdem actionis cum fundamento in ipsa. Hoc corollarium quoad priorem partem de distinctione reali perfecta, quæ dicitur esse tanquam res à re, per se nota est, & extra controuersiam, & à fortiori patebit ex altera. quæ probatur, quia si ibi esset distinctio modalis ex natura rei, vel esset tanquam inter duas actiones, vel tanquam inter actionem, & terminum: neutrum autem dici potest, quod ita ostenditur. Nam in cap. præcedenti assertione 2. ostensum est in effectu causæ secundæ non interuenire actionem aliquam, quæ sit solius causæ secundæ, quia impossibile est causam secundam habere actionem, quæ immediatè non manet ab ipso Deo, cùm sit aliqualis entis participatio, quæ non potest non fluere immediatè ab ente per essentiam; ergo illamet actio, quam elicit causa secunda, manat à Deo, seu Deus immediatè influit in illam; ergo ipsamet est concursus Dei cum voluntate creata non minus in actionibus supernaturalibus, quàm in naturalibus, nam est eadem ratio. Igitur præter hanc actionem non est necessarium fingere aliam, quæ sit à solo Deo, quia vel talis actio tendit immediatè ad alteram actionem causæ secundæ, & sic est impertinens, vel etiá impossibilis, quia ad actionem non est alia actio tanquam ad proximum terminum, aliàs procederetur in infinitum: actio ergo eadem per se ipsam fluit à suo principio adæquato, seu ab omni causa, à quâ essentialiter pendet; vel talis actio esset immediatè ad eundem terminum, ad quem terminatur altera actio, & sic est superflua, quia per alteram actionem, quę simul est à causa prima & secunda, procedit ille terminus, pendètque ab vtraque causa sufficienter; ergo superflua est alia actio solius Dei tendens ad eundem terminum. Vnde tandem concluditur, non esse distinctionem modalem, vel actionis ab actione, vel tanquam actionis à termino. Alia autem ex natura rei cogitari non potest ergo superest vt sit tantum distinctio rationis cum fundamento in re, nam quia eadem actio dicit habitudinem ad duas causas, vt est causa secunda dicitur calefactio verbi gratia, vel volitio, vt verò præcisè concipitur, vt est à Deo, dicicur concursus actualis Dei.

3. Hic Dei cõcursus distinguitur ab effectu causæ secundę, seu termino actionis illius

Tertiò sequitur ex præcedentibus, concursum hunc causę primæ distingui ab effectu, seu termino actionis causæ secundæ ex natura rei non propria reali, sed modali tantùm distinctione. Probatur, quia actio ipsius causæ secundæ distinguitur modaliter à suo termino: sed hic concursus Dei non distinguitur in re ab actione causæ secundæ ergo eodem modo, quo ipsa actio causæ secundę a suo termino distinguitur. Consequentia euidens est, quia sicut ea quę sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se ita etiam è contrario, quæ inter se non distinguuntur in re, necesse est, vt àquocũq; vnum distinguitur, alterum etiam distinguatur Minor autem probata est in præcedenti corollario. Maior verò ex Metaphysica supponitur, quia quæ in re ipsa sunt ita separabilia, vt alterum sine altero manere possit, quamuis non sit reciproca separatio, necesse est in re ipsa distingui, saltem modaliter. Ita verò se habent actio & terminus, vt patet in calefactione ignis, nam illa cessante manet calor. Vnde etiam potest firmari corollarium, quia etiam concursus causæ primæ cum secunda ad aliquem terminum est separabilis ab eodem termino, quia quando Deus producit calorem cum igne, cessante calore ignis, cessat concursus Dei, quia sunt vna indiuisibilis actio; perseuerat, autem calor. Ergo distinguitur concursus ille in re ipsa ab ipse calore.

4. Diluitur obiectio.

Dices, postea calor conseruatur à Deo solo. Respondeo conseruari per nouam actionem, quia quoties mutatur dependentia à priori causa, necesse est mutari actionem, quia non potest fieri mutatio, vel cessatio in dependentia ab aliqua priori causa sine aliqua mutatione in re facta: non potest autem interuenire nisi in actione, cùm in termino non fiat. Hęc tamen doctrina non videtur tam facile accommodari ad actus immanentes animæ, de quibus hic tractamus, quia illi ita pendent in conseruari à potentiis, vt sine illarum influxu manere non possint. Nihilominus tamen etiam in his procedit illatio, & assertio, quia in illis distinguitur etiam ex natura rei actio à termino, quod potest ostendi, tum per æquiparationem rationis, quia etiam in lumine, & aliis qualitatibus, quę pendent in fieri, & conseruari à suis causis distinguitur actio à qualitate, tum etiam, quia in actibus immanentibus potest mutari actio, manente eadem qualitate actus, vt si idem amor elicitus sine habitu charitatis incipiat per habitum conseruari, vel alio simili modo, vt latiùs in Metaphysica & in materia *de Anima* disseritur: hîc verò hæc perfunctoriè præmittimus, quia postea erunt necessaria.

Hic citat sos est. multorum cũ aliqua humana. Ledesma. Coninc.

Quartò sequitur ex dictis hunc Dei concursum, vel auxilium etiam in operibus gratię esse omnino simultaneum respectu concursus, seu actionis voluntatis humanæ. ita dixi in lib. 1. de Auxiliis cap. 4. & nunc inuenio communiter recipi à modernis Thomistis. Et Ledesma dicit in hoc debere conuenire omnes Doctores, & omnes discipulos D. Thomæ, citatque Caietanum 1. p. q. 14. art. 13. quem ego etiam retuli lib. 1 de Auxil. cap. 8. & 14. Ratio est manifesta ex dictis, quia vel comparantur actio creaturę, & concursus Dei inter se, vel comparantur vt attingunt terminum, & in neutro respectu potest intelligi prioritas propria naturæ, quæ in causalitate fundatur; sunt ergo omnino simul. Prior pars probatur, quia ibi non sunt duæ actiones reales, sed vna tantum re, & duplex ratione. Et confirmatur: nam sicut illa actio præcisè, & inadæquatè concepta, vt est concursus Dei, est ab illo solo ita concepta præcisè, vt est influxus causæ secundæ, est à sola illa. Ergo vt sic neutra ab altera; ergo neutra est prior in re ipsa (vtique prioritate causali,) alterâ sed neutra est sine altera, & consequenter vtraque est simul omnino, vel potius illa actio, cùm sit vna indiuisibilis, simul omnino est; vtramque verò rationem in se vniens, & simplicissimè complectens. Altera pars probatur tum discursu facto, quia cùm illa sit vna simplex actio, tota simul tendit in terminum, & attingit illum; tum etiam, quia sicut ille duplex influxus causę primæ & secundæ propter indistinctionem non habent in se causalitatem in suo esse, ita neque habent causalitatem inter se in attingendo termino; ergo neque habent ordinem prioris vel posterioris naturæ in illa attingentia; tum denique, quia terminus non est à causa secunda prius natura, quàm à Deo, quia hoc est contra dependentia essentialem creaturę à prima causa; neque est à Deo prius naturâ, quâ à causa secunda, aliàs & causa secunda ageret in factum, & totus effectus prius esset à solo Deo, & postea vel esset iterum à sola creatura, quod est impossibile, vel iterum à causa prima, & secunda simul quod esset superfluũ Ergo hic concursus Dei omnino est simultaneus cum influxu causæ secundæ.

6. Obiectio ex dependentia causę secundæ à prima.

Dices: ergo causa secunda vt est actu agẽs, non pendet à Deo tamquam à causa, ex vi huius concursus, quod videtur dici non posse. Probatur sequela, quia si penderet causa secunda à prima, necessarium esset causam primam in hoc eodem concursu esse priorem natura in causando. Propter hanc rationem multi putant necessariam esse præ-

se præmotionem Dei in causam secundam, vt ratione illius verè dicatur causa secunda pendere à prima in causando. Sed non oportet vnam quæstionem cum alia confundere; nam illa præmotio nec per se necessaria est, vt infra dicam, nec in præsenti ad difficultatem tactam expediendam deseruit. Nam etiam admissa tali præmotione, ipsamet pendet à Deo in agendo quoad concursum simultaneum; qualiscumque enim illa motio sit, est quædam virtus creata, imò dicitur esse instrumentum Dei; ergo intrinsecè indiget immediato influxu intimo imbibito in actione illius, qui non attingat prius natura effectum quàm præuia ipsa motio per actionem suam. Relinquitur ergo eadam difficultas de illa præmotione, quæ est de virtute permanente causæ secundæ, quomodo scilicet pendeat à Deo in agendo, & nihilominus Deus prius non attingat effectum, quam ipsa virtus creata vel motio.

6. Solutio scitetur.

Alij distinctione vtuntur, nam concursus primæ causæ, & secundę dupliciter possunt comparari, primò vt exeunt à causis suis, secundò vt attingunt effectum. Et hoc posteriori modo dicunt procedere quæ diximus, quod concursus primæ causæ non prius attingit effectum, quàm concursus causæ secundæ. Sub priori autem respectu dicunt, concursum causæ primæ esse priorem natura, quàm concursum causæ secundæ, quia causa secunda pendet à prima in agendo; ergo concursus causæ secundæ pendet à concursu causæ primæ & ab ipsa participat omnem suam virtutem. Sed hæc distinctio non rectè accommodatur ad concursum Dei simultaneum, de quo tractamus, licet posset habere locum respectu motionis præuiæ: nã illa posita verissimè dicitur priùs natura exire à Deo, & efficere causam secundam, quam actio causæ secundæ ab illa profluat, quamuis illamet præmotio Dei non prius natura attingat effectum causæ secundæ, quàm ipsamet causa secunda, vt iidem auctores fatentur. Et quantum ad eamdem præmotionem rectè etiam dicetur concursum causæ secundę pendere à concursu causę primæ, nomine concursus illum prędium significando.

7. 1. Solutio scitetur.

Hoc tamen non rectè dicitur respectu concursus simultanei, & concomitantis, quia in re non distinguitur à concursu causę secundæ, & ideo non potest esse inter eos realis emanatio, vel causalitas; ergo nec prioritas naturę, siue vt exeunt à causis siue vt attingunt terminum, quia etiam sub priori respectu habent inter se realem causalitatem, eo vel maximè quòd in ipso concursu non est prior vnus respectus, quam alius, id est, in actione non est prior natura exitus ab agente, quàm attingentia ad terminum spectatum, vt est in fieri. nam, v. g. illuminatio æquè primò exit à luce, & tendit in lumen; ergo similiter concursus Dei in illuminatione imbibitus æquè primò exit à Deo, & attingit lumen ergo etiam vterque concursus causæ primæ, & secundæ, sicut attingunt terminum sine ordine naturę inter se, ita etiam exeunt ab vtraque causa sine eodem ordine sunt ergo simul natura.

1.

9. Solutio Capreoli re simul.

Aliter verò Capreolus in 2. d. 1. q. 2. argumenta Durandi contra 6. conclusionem docet, actionem primę causę priùs natura attingere effectum, quam actionem causę secundæ. Sed vt notaui in lib. 1. de Auxiliis cap. 4. non videtur id intelligere Capreolus de actione Dei ad extra, sed de ipsa Dei voluntate, quam ibi vocat actionem Dei internam, quæ est principium actionis externę, & sic est natura prior: non tamen negat Capreolus quin actio causę secundæ, sit etiam actio externa, seu transiens ipsius-met Dei, & sic etiam ibidem fatetur vnam, & eamdem actionem transeuntem esse immediatè à causa secunda, & prima, & vt est à prima esse concursum simultaneum respectu concursus causę secundę. De hac ergo actione transeunte Dei dici non potest quod attingit effectum prius natura, quam actio creaturę, cum in re sint vna, & indiuisibilis actio, & ob eamdem rationem, vt dixi, illa actio non prius natura emanat à Deo, quàm à causa secũda, prioritate scilicet causalitatis, licet sub aliis rationibus dicatur prima causa prius natura influere, quia eius influxus, & est intimior, seu essentialior, & magis necessarius, & de se magis etiam independens, vt rectè notauit Caietanus 1. p. qu. 14. art. 13. §. *Neque sustinendus* & qu. 19. art. 8. in fine

Caietan.

10. Vera solutio.

Ad obiectionem ergo factam respondetur negando sequelam, quia vt causa secunda pendeat à prima in agendo, sufficit quod ab illa pendeat in omni re, & forma, vel modo, aut conditione reali necessaria, vt in esse actu agentis constituatur: pendet autem causa secunda à prima, non solum in esse, & conseruari, & in virtute agendi, sed etiam in sua actione: nam illamet actio essentialiter pendet immediatè à Deo, vt dictum est, per illam autem actionem constituitur causa secunda in esse actu agentis; ergo hoc ipso est vt causa secũda pendeat in esse agentis à prima. Quod si causa secũda consideretur prius natura, quam agat, vt sic etiam dicitur pendere à Deo essentialiter in agendo, non solum quia per continuum influxum eius habet virtutem agendi, sine quo illam non haberet, sed etiam, quia prędicta tali virtute nihil potest agere sine actuali iuuamine, & auxilio causę primę, quod prębet simul cum illa efficiendo eamdem actionem, & effectũ. E contrario verò dici nõ potest causa prima dependere à secunda in agendo, quia non postulat consortium causę secundę ex indigentia, nam per se est sufficiens ad operandum, si velit, licet ex benigna prouidentia, vt relinquat suas creaturas operari, talem concursum illis accomodare; quo sine illis non operetur.

11. Concursus ille ex parte sua non est adæquata ratio prędicti effectus quem tamẽ tota attingit.

Quintò infertur hunc concursũs Dei sub hac precisa ratione conceptum non concipi exparte eius sdẽ causæ, vt adęquatam actionem productiuã sui effectus, seu termini, parte licèt ex effectus totũ illũ attingat. Probatur prior pars, quia actio adæquata illius effectus, est quædam actio, quæ intrinsecè respicit duplicem causam, primam scilicet, & secundam; ergo illa inadæquatè concepta vt manat à solo Deo non est completa, & adæquata actio illius effectus est ergo; inadæquata, & sub illa ratione dicitur non esse vnica. Declaratur à simili, nam sapientia Dei sub illa præcisa ratione concepta rectè dicitur non esse vnica perfectio Dei, nam iustitia intelligitur esse alia perfectio, & sic de ceteris attributis. Vnde adæquata Dei perfectio concepta vt tota perfectio Dei omnia attributa Dei includit; ita ergo se habet actio illa prout in re est adæquata comparata ad concursum causæ secundæ præcisè conceptos. Ergo quilibet eorum solùm concipitur vt actio incompleta ex parte termini, vt in altera parte dicebamus, quia quilibet illorum concursuum etiam inadæquatè conceptus intelligitur terminari ad totum effectum, seu terminum, quia nihil est in termino quod non à Deo essentialiter pendeat, vel quod non à causa secunda tunc fiat. Nec fingi potest pars in effectu quæ magis attingatur per concursum causæ secundæ, quam alia, vt in sequentibus magis explicabimus.

12. Obiectio soluitur.

Obiicies, quia si Deus per illum concursum prius natura attingeret effectum, quam causa secunda, totum effectum produceret, vt paulo ante dicebamus, & sentit Caietanus 1. part. quæst. 19. art. 8. in fine.

fine. Ergo ille concursus vt precisè concipitur à solo Deo, est totalis actio illius effectus. Respondetur hypothesim illam destruere propriam rationem, & conditionem talis concursus, & ideo licet data hypothesi bona sit illatio, nihil infertur contra positam illationem, quia non fit illatio de concursu pro ut modò à Deo præstatur, sed de concursu qui fingitur ex illa hypothesi. Declaratur. quia licèt Deus per se sit potens ad faciendum se solo effectum causæ secundæ, nunc verò quando cum causis secundis concurrit, ita illis suum influxum, & actiuitatem accommodat, vt concursus eius prout nunc præstatur, non sufficiat efficere effectum, si causa secunda non coagat, quia Deus (vt sic dicam) tali modo agendi non vult esse operator, sed cooperator, vt in Metaphysica dixi.

Falsò accusatus auctor.

Ex quo intulit quidam modernus Scriptor, insinuasse me in illo loco, *quòd si in aliquo priori naturæ causa prima concurreret, & non produceret totum effectum.* Hoc autem neque in mentem meam venit, neque ex verbis meis potest cum probabilitate colligi. Sed potius immediatè infertur, fieri nullo modo posse, vt hic concursus Dei prout de facto datur, prius natura attingat effectum, quàm influxus causæ secundæ, quod est verisimum, & satis probatum in corollario. Quod etiam idem auctor admittit, ideo paulo inferius fatetur ita esse de facto quòd Deus, vt nunc cõcurrit cum causa secunda, non prius attingit effectum quàm illa, ideoque nec sine illa producit effectum. At vero posita hypothesi quòd Deus vellet suo influxu prius natura attingere effectum, tunc quidem produceret totum effectum actione totali, tam ex parte principij, quàm ex parte termini, quia Deo non deest virtus, & per illam voluntatem applicaret totam virtutem necessariam. Tunc autem concursus Dei esset alterius rationis, imò non esset concursus, quia particula *con*, dicit comitantiam alterius, sed esset absoluta effectio, & tunc creatura vel nihil ageret, vel actum ageret, quod præsenti quæstioni est impertinens. Si autem talis fingatur hypothesis, vt manente eodem concursu prout nunc datur, prius natura attingat effectum, dico hypothesim inuoluere repugnantiam, quia implicat concursum esse simultaneum per etitatẽ in eadem indiuisibili actione & prius natura attingere, vt probatum est. Et ideo data illa positione, sequitur per talem concursum totum effectum fieri, quia aliquid fit cum fit actio, quæ supponitur terminum suum attingere, vtique producendo illum & non partem, tum quia non est maior ratio de vna, quàm de alia, tum quia terminus illius concursus, est totus effectus, vt dixi. E contrario verò etiã sequitur posita illa hypothesi nihil omnino fieri quia deest concommitantia alterius agentis omnino necessarij ad talem effectum, & ad omne illud quod in ipso fieri potest per talem concursum, & Deus non applicat suam virtutem ad supplendum illum defectum, vt supponitur, quia ponitur nolle amplius efficere, quàm cum causa secunda simul efficiat.

CAPVT XXVII.

Vtrum causa prima, & secunda, vt partiales causæ, ad eumdem effectum concurrant.

Necessitas huius quæstionis explicandæ.

HÆc quæstio necessaria est ad auxilia supernaturalia explicanda, & ad tollendas verborum contentiones, & ad soluendam obiectionem quæ ex illa contra dicta oritur; sequi enim videtur Deum concurrere cum causa secunda, vt partialem causam effectus causæ secundæ, & non vt totalem. Consequens est absurdum. Ergo. Sequela patet, quia causa quæ non influit actione totali, & integra, non potest dici totalis in actu, cùm ab actione denominetur agens actu: diximus autem concursum Dei cum causa secunda non esse actionem totalem; ergo sequitur Deum vt influentem per illum concursum non esse causam totalem; erit ergo partialis. Falsitas autem consequentis ostenditur, tum quia hoc contra mentem omnium Theologorum, tum etiam, quia hæc esset maxima imperfectio in Deo: nam esse causam partialem dicit dependentiam ab alia causa partiali, quæ est magna imperfectio. Item, quia causa partialis est inferior in sua operatione, quam causa totalis, quæ ex duplici partiali conflatur, sicut ex duobus trahentibus nauim & vnam causam totalem componentibus, vnusquisque per se est viribus inferior vtroque simul. Hoc autem Deo attribuere magna est imperfectio. Opinio Illustrissimi Caietani

In hoc puncto Molina in concordia disp. 26. in Antuerpiana editione circa finem, concedit Deum, & causam secundam simul concurrentes ad eundem effectum esse causam partiales eius, & ex vtraque conflari vnam causam integram, vtiturque illo exemplo à duobus trahentibus nauim. Contra Molinam quam sententiam vehementer insurrexerunt plures moderni Scriptores de auxiliis gratiæ, sed sine dubio disputant de vocibus, priusquam de re, vt alibi dixi, & mox explicabo. Et præterea excedunt in modo impugnationis. Primò, quia quidam eorum refert Molinam consequenter dicere quòd *pars effectus respondet primæ causæ, & pars illius respondet secundæ, & ita Deus non attingit totum effectum prius, sed tantum effectus simul.* Quod certè si Molina diceret, non solum in modo loquendi, sed in re magni momenti errasset, non tantùm contra communem Theologorũ & Philosophorum sententiam, vt ille dicit, sed etiã contra fidem. Nam inde fieret aliquam partem entis realis fieri in mundo, quam Deus non facit, siquidem dicitur solùm attingere partem effectus simul. At verò Molina longissimè ab illo errore abfuit, suamque sententiam explicuit, dicens: *At cum dicimus neque Deum per concursum vniuersalem, nec causam secundam esse integras, sed partiales causas effectuum, intelligendum id est de partialitate causæ vt vocant, non de partialitate effectus, totus quippe effectus & à Deo est & à causis secundis.* Et statim adhibet exemplum de duobus trahentibus nauim, & declarans in quo ponat similitudinem addit. *Siquidem quilibet eorum simul efficit cum altero omnes, & singulas partes eiusdem motus.* Illo ergo modo non fideliter refertur sententia Molinæ. Molina quo sensu dicatur.

Hoc autem sano sensu supposito immeritò etiam dicitur ille modus loquendi esse contra omnes Theologos. Graues enim, & non pauci Theologi illo modo loquuti sunt. Gregorius enim in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 3. ad 12. expressè dicit modum communem quo Deus concurrit ad quemlibet effectũ agentis creati, esse iuuando causam secundam, *partialiter cum illa efficiendo.* quæ verba habet idem Capreolus quæst. 1. art. 3. ad 12. contra tertiam conclusionem. Gabriel etiam 2. dist. 1. quæst. 2. art. 1. notab. 2. latè, & inter alia dicit, *Deus producens effectum cum causa secunda,* & dist. 37 quæst. 1. ad argument. de 4. via; Deus volendo causat omnia, non tamen ideo est causa totalis, quia vult secum concurrere alias causas. Eodem modo loquitur Olchot in 2. quæst. 1. art 3. in principio, & Lychetus in 2. dist. 37. q. 2. §. Ad solutionem, vbi ait Deum concurrere ad omnem actionem nostrã vt causam partialem, quia vult causam secundam sibi cooperari, & alios statim referam. Neque contra prædictum sensum quod ad rem spectat, alicuius momenti est ra-

est ratio illius auctoris; tunc enim solum est imperfectio in aliquo, quòd sit causa partialis, quando indiget auxilio alterius concausæ ex defectu virtutis propriarũ, vt frequentius contingit in causis creatis, vt in visu, specie, & lumine, & in multis trahentibus nauim, quam neuter per se trahere potuisset. Nam vt dixit optimè D. Thomas 4. contr. gent. c. 7. ratio. 16. ad prouenit, quia virtus cuiuslibet imperfecta est, & insufficiens ad istum effectum, ideoque ex diuersis virtutibus congregatur vna virtus omnium, quæ sufficit ad trahendum nauim. Secus verò est quando causa libera non ex indigentia, sed ex sua libertate, vel imperfectione virtutis, nõ vult totaliter applicare suam virtutem, nec modo sufficienti, vt sola producat effectum, sed tantùm cooperando cum alia, quæ simul totum effectum coefficiat. Tunc enim esse causam partialẽ in tali dicto sensu non supponit imperfectionẽ in tali causa, cùm supponatur per se sola sufficiens; neq; etiã ille modus agendi ponit in ea imperfectionẽ, quia agere, vel non agere extrà se non ponit perfectionẽ in ea, nec tollit perfectionẽ ab ipsa. Quapropter de huiusmodi causa falsò dicitur, pendere ab aliâ in agendo: nam potius alia concausa pendet ab ipsa, quia dependentia dicit necessitatem iuuaminis alterius ex propria impotentia. Vnde dicetur propriè effectus tunc pendere, non ab altera tantùm causa, quantumuis potente, sed indigere alterius influxu quod verissimũ est supposito illo agendi modo, neque enim sequitur aggregatum illarũ causarum esse potentius altera causa secundùm se, sed solũ prout voluntariè limitante suam influentiam: quod nullum est inconueniens. Nam in re hoc est ab omnibus dicendum, siue his verbis, siue aliis vtantur.

4. Quomodo causa prima coniungatur causæ secundæ.

Isto ergo modo causa prima coniungitur causæ secundæ, vt concausa, non ex defectu virtutis, sed quia benignè vult sese accommodare causæ secundæ, vt eius efficientiam non tollat, neque præueniat. Sicut homo fortis vult interdum non solus portare lapidem, sed cum alio, qui vult iuuare illum, & non totum opus in se suscipere, licèt posset, in quo etiam multum distat homo à Deo, quia homo licèt facere possit opus sine ope alterius, non tamen tanta facilitate, aut velocitate, aut sine tanto labore, & ità semper iuuatur aliquo modo in eo, quòd per se non potest. Deus autem propter infinitatẽ virtutis, semper tam bene, & tam facilè, & sine vllo labore solus posset facere, quod per causa secundam operatur: solùm ergo ex benigna prouidentia se cõstituit cooperatorem, & causam partialẽ, iuxta illum loquẽdi modum, quem ita explicuit Gabriel 2. dist. 1. q. 2. art. 3. dub. 5. ad 3. in actibus vitalibus est multorum opinio Deum non posse se solo efficere illos sine cooperatione causæ secundæ, quod inter Thomist. satis receptum est, & ita videtur Deus ibi partialiter illo modo concurrere, non ex sola voluntate, sed quia tales actus non potest solus efficere. Et nihilominus dicendum est posità illa sententia id non esse imperfectionem in Deo, quia id non prouenit ex limi potentia Dei, vel ex defectu virtutis, sed partim ex incapacitate talis effectus, quia nõ est aliter producibilis, quã à principio intrinseco proximo, partim ex eminentia Dei, cuius puritati, & actualitati repugnat esse principium intrinsecum talium actuũ. Quamuis, iudicio meo, probabili⁹ sit quidquid est efficientiæ in productione talium actuum non pẽdere essentialiter à proxima potentia, sed posse à Deo solo fieri, licèt nõ connaturali modo neq; informãdo potentiã, & ideo vt ita fiat decreuerit Deus iuuare potentias, vt illos vitali modo eliciant, fiantque aptæ ad recipiendos in se formales effectus eorum.

5. Obiecta eõ rum motum

Alius verò eiusdem doctrinæ defensor, & Molinæ impugnator maximè inuehitur contra illũ modum loquendi applicatum ad opera gratiæ, de qui-

bus ita etiam loquitur Molina, & in primis obiicit multa testimonia Patrum dicentium totum quod est in operibus gratiæ, esse tribuendum Deo, & non partem homini, partem Deo. Deinde dicentium ipsammet cooperationem hominis esse effectũ gratiæ Dei, vt sic verum sit illud Roman. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*; dicentium deniq; nihil habere hominem vnde glorietur, sed totum quod habet esse diuinæ gratiæ beneficiũ. Obiicit præterea rationes. Prima est, quòd potentiæ animæ nullum habent virtutem innatam ad coefficiendũ actus supernaturales, etiã vt causæ partiales; ergo Deus nõ potest dici causa partialis propter cooperationem voluntatis. Secunda ratio est, quia aliàs dicendum esset etiam Patrem patialiter producere Spirit. sanctum, & similiter Filium, & comparari possent cum duobus trahentibus nauim, neque neuter producit Spiritum sanctum, sed ambo simul. Tertia ratio sit, quia principale agens, & instrumentum non sunt duæ causæ partiales, sed causa secunda est veluti instrumentũ causæ primæ, præsertim in operibus gratiæ; ergo. Sed citata testimonia non rectè accõmodantur præsenti institu-

1 Ioquendi Molinæ. Ex PP.

Deinde ex ratione.

Diluuntur hæc omnia.

to, & punctum præsentis controuersiæ variatur, quod in tota hac materia sæpissimè fit; estque attentissimè cauendum: Hic enim, vt dixi, non agimus de diuisione effectus inter causas quasi per partes, sed de toto effectu, vt sit à pluribus causis. Neq; etiam tractamus an illæ duæ causæ, quæ partiales vocantur, sint inter se subordinatæ, nec ne, sed tantùm vtriusque concursum, & necessitatem considerauimus, & ad hoc tantùm adducitur exemplum de duobus trahentibus nauim; non vt in omnibus simile reputetur. Denique non agimus de toto influxu gratiæ, nec de Deo, vt variis modis in nobis per gratiam operatur; sed præcisè vt cooperatur nobis per concursum simultaneum ordinis gratiæ.

Quibus præ oculis habitis facilè intelligitur priora testimonia in contrarium allegata nihil obesse; illa enim contra Semipelagianos scripta sunt, vel procedunt. Illi enim ita diuidebant bona pietatis opera inter hominem, & Deum, vt quædam dicerent fieri ab homine solùm per liberum arbitrium, alia per Dei auxilium, illúdque non omnino gratuitum, sed per priora opera sua promeritum, vt Prolegom. 5. latè dictum est. Contra hos itaq; dicit Augustinus lib. de prædestinat. sanctor. cap. 2. *Homo non ita componat cum Deo, vt partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat, & quod est elatius, primam tollat, ipse sequentem dat illi.* Et contra eundem errorem sic intellectum inducit verba Apostoli, *Quid habes quod non accepisti.* & verba Cypriani. *In nullo gloriandum, quoniam nostrum nihil est.* Et in eodem sensu dicit cap. 7. *Quidquid antequam in Christum crederet, & cùm crederet, & cùm credidisset, Cornelius operatus est, totum Deo dandum est.* vbi particula *totum* non concludit cooperationem hominis, aliàs pugnaret cum verbo *operatus est*; sed distribuit omnia opera conducentia ad salutem, etiam fidem antecedant. In eodemque sensu ait idem Augustinus lib. de dono perseuer. cap. 6. in fine. *Tutiores vitiamus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, nobis autem ex parte remittamus.* nimirum aliquid nostris viribus; & propter illud aliquid à Deo sperando. Et in hoc sensu allegat alium locum Cypriani exponentis verba orationis Dominicæ; *& ne nos inducas in tentationem;* & dicentis illam orationem admonere vnumquemq; infirmitatis suæ, ne quis sibi superbè, arroganterq; aliquid assumat. Nam, vt infrà subdit, vbi præcedit humilis, & deuota confessio, datur totum Deo. vbi etiam particula *totum* non excludit, quin totũ opus liberum fiat etiam ab homine, sed distribuit omnia opera, & quidquid boni est in quocun-

6. Explicantur aliata testimonia PP.

Augustin.

que opere ab initio eius vsque ad finem. Et in eodem sensu subiungit August. cap. 7. illam Domini orationem nihil nobis reliquisse, in quo tanquam in nostro gloriemur. Vnde optimè Bernard. de Grat. & lib. arbirt. *non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opera induuidua peragunt; totum quidem hoc, & totum illa, sed vt totum in illo, ita totum ex illa.* In quo vltimo verbo indicat alium modum, quo totum opus pium dicitur esse ex Deo, vt iam de claro.

Bernard.

7. *Alia testimonia explicata.*

Vnde testimonia etiam quę secundo loco obiiciuntur, ad punctum quod nunc tractamus, nihil conferunt, quia in præsenti non consideramus Deum secundùm omnem rationem, & modum quo per gratiam suam in nobis operatur, nostrúmque eleuat, vel tegit arbitrium; sed præcisè vt concurrit nobiscum per concursum simultaneum, & suo modo generalem, quod expresè Molina in eodem loco aduertit, nullus tamen Catholicus ignorat liberum arbitrium non nisi præuentum à Deo, & viribus gratiæ instructum posse in suo ordine esse causam supernaturalis actus fidei, & similium, ideóq; necessarium esse, vt à Deo præueniatur, vocetur, & excitetur ad supernaturalem consensum præstandum. Considerando ergo Deum non vt cooperatorem, sed vt inducentem, *& trahentem lib. arb. ad consensum*, verissimum est in Deum solum tanquã in primam radicem & causam, *pium opus liberi arbitrij esse reducendũ.* Et in hoc sensu loquũtur Patres secundo loco allegati, vt constat aperte ex Aug. de prædest. Sanct c. 16. vbi ponderans verba Pauli, *Non ex operibus, sed ex vocante*, ait, *Nunquid dixit non ex operibus, sed ex credente.* Rursus, *Hoc ab initio hominem vt totum daret Deo etiam voluntas credendi, & cooperatio liberi arbitrij, quia illa etiam prouenit a vocatione, non quacunque, sed congrua, qua fit, vt homo velit.* Per hoc autem non excluditur, quia liberum arbitrium fit simul causa sua fidei cum Deo illi cooperante, neque illi doctrinæ contrarium est, quod propter illam cooperationem causæ partialis vocetur.

8. *Confirmatio allatæ expositionis.*

Vnde idem Aug. lib. 83. qq. 68. dixit, *Si quis sibi tribuat quòd venerit vocatus, non potest sic tribuere quod vocatus sit.* & in Enchirid. c. 32. tractans verba Pauli ad Rom. 9. *Non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis*, exponit dicta esse, vt totum Deo detur. Declarans autem quomodo totum datum sit Deo, addit, *Qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Præparat autem excitando, adiuuat cooperando; ergo vt tribuat totum Deo non considerat illum præcisè vt concurrentem, sicut nec modò loquimur, sed præcipuè vt voluntatem præparantem. Et sic etiam Ambros. lib. 2. de Abraham c. 7. exponit eadem verba Rom. 9. *Non est volentis*, dicens, *vt omnia tribuas Deo qui te vocauit.* Et in idem redit quod dixit Paulus Oros. in fine suæ Apolog. totum fructum palmitis tribuendum esse viti, quia dat non solùm vt possit, verùm etiam vt sit; & Anselm. circa id ad Ephes. 2. *Gratiâ estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei*, ait, *donum est fides, & vocatio & non partim, sed purè donum Dei, quia non ex operibus, ergo ratione vocationis totum est Dei solius, quia vocatio nullo modo est à nobis, & per illam nobis datur, vt possimus, & si fit congrua, datur etiam vt velimus.* Eandémq; doctrinam summatim tradit D. Thom. 1. 2. q. 111. art. 2. ad 2. vbi dicit totam iustificationem esse ex gratia, quia ipsa cooperatio nostra procedit ex gratia vtique excitante & fit cum adiuuante.

Ambros. *Oros.* *Anselmus.* *D. Thom.*

9. *Alia testimonia allata explicata.*

Denique eos sensus habent testimonia in tertio loco allegata; vbicumq; enim Patres dicunt, totum opus salutis esse tribuendum Deo, non intendunt excludere propriam causalitatem liberi arbitrij in operibus pietatis, sed interdum illam solam nihil per se valere, nisi à Deo, & adiuuetur. Sic Hieronym. Ierem. 18. exponens illa verba, *Sicut lutum in manu figuli*, ostendit per illa non excludi causalitatẽ liberi arbitrij, sed doceri non esse totum tribuendum homini, sed gratiæ, quod exponens subiungit, *ita enim libertas arbitrij seruanda est, vt in omnibus excellat gratia largitoris.* Et similia multa habet Chrysostomus in Ioan. 15. & tom. super 2. epistol. ad Thess. & 6. in id 2. ad Corinth. 3. *non quòd simus sufficientes*, &c. nam quia Paulus dixerat, fiduciã habemus ad Deum, vt hoc, inquit, emolliat, subdit, *nõ quòd simus sufficientes* & c. hoc est, non ita dixi, fiduciam habemus tanquam aliud nostrum sit, aliud Dei, sed totum istud Deo adscribo. Ac deniq; eodem sensu dicunt Patres, nihil est in homine de quo possit gloriari, quia omnia debent in Deũ referri, & quo quisque sanctior est, eo magis totum Deo tribuere, vt videre licet in Cypriano l. 3. ad Quirin. c. 11. Basilio Homil. 22. de humil. & Nazianzen. orat. 31. ita exponit illud Rom. 9. *Non est volentis*, &c. Idcirco ait, *non volentis*, id est, non solùm volentis, nec currentis solùm, *sed* etiam *miserentis Dei.* Ita quoniã velle quoq; ipsum à Deo est, optimo iure totum Deo assignauit, hæc enim ideo dicuntur, quia omne datũ optimum, & omne donum perfectum de sursùm est, descendens à Patre luminum, Iacob 1. & eo ipso, quod vt tale recognoscitur, homo non habet vnde glorietur, iuxta illud ad Ephes. 2. *Dei enim donum est, vt ne quis glorietur*, vtiq; in seipso, vt exponit August. nuper allegatus in cap. 7. de præstinat. Sanctor. qui autem recognoscit perfectè gratiam Dei, licèt suam cooperationem liberã necessariam esse cognoscat, non in se, sed in Domino gloriatur, quod Paulus non reprehendit 2. Corinth. 11. de qua re dixi plura in lib. de Auxiliis cap. 20. ad 3. 7. 13.

Cyprian. *Basil.* *Nazian.*

Ad primam rationem respondetur negando assumptum, quãuis enim ex se voluntas non habeat innatam virtutem per se sufficientem, etiam in ratione principij proximi ad actus supernaturales faciendos negari non potest, quin habeat aliquam inchoatam, siue illa dicenda sit naturalis, vt multis placet siue obedientialis, vt mihi magis probatur, & illa sufficit vt in suo genere dicatur causa, & concausa cum Deo. In hac vero ratione indicant isti auctores liberum arbitriũ per seipsum non habere proximum, & immediatum influxũ in opera gratiæ, sed solùm mediante habitu infuso, vel alia motione gratiæ præuia, quæ suppleat vim effectricem habitus; & in hoc sensu significant etiam totum opus pium esse tribuendum gratiæ, quia totũ principium tam proximum, quam primum, quo nit, est gratia. Verumtamen, quia hoc nunquam satis declarant, illud eis simpliciter non tribuo: si tamen ita sentiunt, falsam existimo talem doctrinam, & interpretationem; quia est contra rationem actus vitalis, & liberi, & in lib. 6. fusè tractabo.

Primatio diluitur.

Ad secundam rationem negatur sequela, quia Pater & Filius non sunt duo principia Spiritus sancti, sed vnum, producunt enim vna & eadem voluntate, ac virtute, quæ tota est in vtraq; persona, & tota in singulis, & ideo nulla est æquiparatio. Ad tertiã rationem respondetur (in primis) non procedere in sententia eiusdem auctoris, qui alibi totis viribus contendit voluntatem esse causam principalem actus supernaturalis, & saltẽ ratione habitus, quando per illum operatur, negari nõ potest. Deinde dicimus etiam causam instrumentalem habere suam causalitatem propriam, ratione cuius causa principalis non est simpliciter adæquatæ, & vnica causa effectus, ab vtraq; producti, & de effectibus gratiæ id insinuat Paulus, dicens, *Non ego, sed gratia Dei mecum.* & ex Theologis Bonau. in 1. dist. 40. art. 2. quæst. 1. dicit prædestinationem non esse totam causam, sed cum alia, scilicet cum libero arbitrio. Et Thom. Elisius Ordinis Prædicatorum tract. de donis Spir. sancti p. 473. aliàs 478. de dispositionibus ad gratiã dicit,

2. Diluitur ratio contra Molinam, & tertia quoque.

Bonauen. *Thom. Elis.*

dicit, *Sufficientiâ dispositionum est à Deo, & à nobis, vt à duabus causis partialibus facientibus vnam totalem.*

11. Nihil quoad doctrinã in opinione Molinæ damnãdi esse neque in modo loquendi.

Concludo igitur si rem ipsam spectemus, nihil esse in illa doctrina, quod iure improbari possit. Ad do etiam si vis fiat in verbis, vel in modo loquendi, vel in exemplo de duobus trahentibus nauim, nullam reperiri ibi sufficientem causam, vel occasionẽ offensionis: tum, quia cùm de re, & vero sensu constat, & in verbis nulla occasio errandi datur, quia sufficienter explicantur, non est, cur de illis multũ condendatur, tum etiam, quia graues Theologi eodẽ modo loquuti sunt, vt vidimus, & alij exemplo illo de duobus trahentibus nauim vsi sunt ad concursum Dei cum creatura explicandum, vt videri potest in Bellarmino l. 4. de Grat. & lib. arb. c. 15. in principio. Stapletonio in Antidot. contra Colum. in epist. ad Cor. vers. Raphaële Venust. l. de prædest. & lib. arb. contra Luther. lib. 1. fol. 41. & ex veteribus Gabriele 2. dist. 1. q. 2. dub. 5. ad 3. Olcoth in 2. quæst. 1. art. 4. ad 10. formam quarti argumenti principalis. & Caietan. 3. part. quæst. 62. art. ad 1nem, & Conrad. 1. 2. q. 79. art. 1. in fine corporis. §. *nota secundo*. Qui tamen auctores nõ vtuntur hoc exemplo vt in omnibus putent tenendam esse similitudinem, sed in hoc solùm, quòd Deus, & liberum arbitriũ, seu causa prima, & secunda habent propriam efficientiam in eundem effectum, & neutra illum operatur sine consortio alterius, sicut vnus trahentiũ non mouet nauim sine alterius consortio.

Bellarmin. Stapleton. Raph. Venust. Gabriel. Hoior. Caietan. Conrad.

13. Aluaris dictus & optimè.

Vnde etiam P. Aluarez fatetur si per causam partialem alicuius effectus nihil aliud significetur nisi causa quæ sine consortio alterius causæ non operatur talẽ effectum, sic Deum concurrentem cũ causa secunda esse causam partialem, imò ait auctores vtriusque sententiæ hoc vnanimi consensu conteri, etiam in Deo, & libero arbitrio respectu supernaturalis concursus. Addit tamẽ alio modo dici causam partialem, quæ ita cum alia operatur, vt licèt fortè illi dederit virtutem agendi, non tamen dat illi in proprio genere causæ efficientis propriũ influxum, & conatum, & in hoc posteriori sensu ait loqui Molinam, imò & nos omnes. Quia docent, ait, liberum arbitriũ habitu supernaturali, vel excitante Dei gratia adiutũ ita efficere actum suum, & in illum influere pro innata libertate, vt à Deo, vel ab auxilio efficaci tanquam à causa priori, & per se efficiente non dependeat.

14. Reiicitur quòd falsò attribuat quibusdam auctoribus.

Sed in hoc confundit vnam quæstionem cum alia de physica prædeterminatione, & nobis attribuit quæ in nostris certè libris non legit, vel designet loca in quibus ea inuenerit. Probatur primum, quia hic præcisè tractamus de coucursu simultaneo, & de Deo vt præbente illum, vt iam admonui. quæ consideratio locum habet quidquid sit de altera quæstione de concursu prævio: nam admissa illa motione præuia, vt causa secunda sic præmota influat in effectum, indiget actuali cooperatione Dei, & Deus sic influens postulat consortium alterius causæ; ergo si causa partialis solum significat causam ita agentem, vt postulet consortium alterius coagentis, etiam Deus sic agens, erit causa partialis, neque hæc vox excludit præmotionem vel physicam, vel moralem vnius causæ, in aliam, neque illam includit, sed ab hoc abstrahit, supponitq; voluntatem sufficienter constitutam in actu primo per præcedentia auxilia immissa à solo Deo esse causam partialem sui actus secundi; & similiter Deum tunc non facere talem actum sine consortio voluntatis humanæ. Sicut Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 26. ait Dei præuenientem opitulationem per innumeros modos omnibus adhiberi. Et quod à multis refutetur, ipsorum est nequitiæ: quod autem à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ. Vnde addo etiamsi verum esset, precedere motionem physicam Dei in liberum arbitrium, adhuc verum esset in illo sensu Deum vt concurrentem per influxum simultaneum esse causam partialem, non solùm respectu liberi arbitrij, sed etiam respectu illius prætiæ motionis, quia illa etiam concurrit ad actum non sine consortio alterius concursus simultanei Dei, vt in puncto sequenti dicam.

Prosper.

15. Alia calumnia Aluaris.

Deinde ostendo alteram partem. Quis enim nostrũm vnquam dixit voluntatem nostram infirmam habitu infuso, & excitatã à Spiritu sancto pro innata libertate ita influere in suũ actum, vt à Deo vel ab auxilio efficaci tamquam à causa priori, & per se efficiente non pendeat: Contrarium enim ex præcedenti capite statuimus, vt non nouum, sed, vt antiquum, & indubitatum. nam voluntas donis creatis affecta causa secunda est: hanc autem causam essentialiter diximus pendere in suo influxu à causa prima, quæ causa prior est, & per se efficiens, & concursus eius, auxilium efficax est: ergo quod per illa verba in rigore significatur, falsò nobis tribuitur. Quòd si sub illis tantùm significatur voluntatem excitatam, vel affectam habitu, vel alia virtute sufficiente in actu primo, non pendere ab alio auxilio efficaci priori, & prævio; hoc totis viribus contendimus, non tamen per illa verba in proprietate sumpta significatur. Neque etiam propter illam controuersiam de auxilio illo prævio dicitur Deus causa partialis, sed præcisè propter concursum simultaneum.

16. Quomodo Deus sit causa partialis & totalis simul. *Raph. Venustus.*

Vltimò addo in hoc puncto, etiamsi modus ille loquendi, quo dicitur Deus causa partialis, admittatur, non propterea negari, quin sit causa totalis sub alia consideratione, nimirum in suo genere causæ supremæ: vnde Raphaël Venustus lib. 2. de prædest. dixit Deum esse causam operis nostri partialem, & totalem, sed non totaliter influentem. Quod certè Molina non ignorauit: nã in loco allegato statim subdit: Si sit de integra, siue tota causa, non omninò, sed in aliquo gradu causę, tunc Deum per concursum generalem esse causam integram in genere vniuersalissimæ, seu primæ causæ, quia in eo gradu neque habet, neque habere potest consortem. Et ob hanc rationem mihi semper magis placuit hic loquendi modus, vt Deus etiam vt concurrens auxilio simultaneo vocetur potius causa totalis, quàm partialis, quia vt dicatur totalis, sufficit quòd in suo ordine, & gradu, qui est perfectissimus, tota causa sit. Et hæc vox maioris est excellentiæ, & perfectionis, quàm altera, vt per se patet. Aliunde verò nomen partialis causæ videtur dicere habitudinem ad alteram causam partialem eiusdem ordinis, vt rectè adnotauit Caietanus 1. p. quæst. 52. articul. 2. §. *Adeuidentiam*, in fine. Vnde necesse est vt ex vtraque causa quæ partialis dicitur, vna causa integra conflatur, quod in præsenti admittit Thomas Elisius in verbis allegatis. Re tamen vera non rectè; nam ex causa prima, & secunda non conflatur vna totalis causa, sed cumulus plurium causarum ad talem modum efficiendi necessariarum, quod longè diuersum est, vt benè notauit Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 2. quæst. 9. sect. 2. §. *Quoloco*, in fine; sicut materia, & forma licèt simul concurrant, vt plures causæ ad eumdem effectum, non possunt dici componere vnam causam totalem; ergo neque causa prima, & secunda simul concurrentes dici possunt vnam causam effleere, seu componere. Ergo sicut materia, & forma non dicentur plures partiales causæ, sed vnaquæque est totalis in suo genere, ita de causa prima & secunda, censendum, & loquendum est. Nam seruata proportione, eadem est ratio, quia sicut materia, & forma habent diuersos causandi modos, & Vnaquæque in suo genere

Caietan. *Thomas Elisius.* *Fonseca.*

est

est perfecta, & integra; ita modus influendi causæ primæ, & secundæ est longè diuersus, vnaquæque in suo genere plenè exhibet suam causalitatem. Dicamus ergo causam primam, non esse causam solam, vel vnicam efficientem illius effectus, ad quem concurrit: sed esse vnam præcipuam ex multis concurrentibus non tantùm cumulum causarum ibi operatiuum. quibus res quidem eadem significatur, & inuidia verbi euitatur.

17. Quomodo Dei actio sit totalis, & non partialis.

Nec huic dicendi modo obstat obiectio suprà facta, sed potiùs illum confirmat. Nam actio illa, qua effectus fit simul à Deo, & à creatura in re tota est à Deo, & tota à libero arbitrio, cùm in re non habeat partes distinctas, & ideo concursus Dei non potest dici simpliciter actio partialis Dei, sicut sapientia Dei non potest partialis perfectio Dei appellari, sed est tota perfectio in sua formali ratione, & ad summum dici poterit, vel vna ex perfectionibus Dei secundùm rationem, vel ipsa tota perfectio Dei incompletè concepta. Ita ergo concursus Dei licèt in bono sensu, & secundùm rationem dici possit vna ex rationibus distinctis ibi concurrentibus, vel illa actio tot incompletè concepta, non dicitur tamen propriè actio partialis, quia non est pars alicuius actionis totalis. Quòd si aliquis illam vocauerit causalitatem partialem eo modo, quo priores Doctores vocant Deum causam partialem, oportet, vt cum aliquo addito, vel cum sufficienti explicatione loquatur, vt addendo *secundùm rationem*, vel secundùm nostrum concipiendi modum, vel quid simile.

Caput XXVIII.

An Deus etiam in ordine gratiæ per concursum simultaneum influat in effectum & actionem causæ secundæ immediatè immediatione virtutis, & suppositi.

Resolutio huius puncti necessaria est ad sequētia, & ideo præmittenda est, quam breuiter expedire possumus, quia in eo, vel nulla est dissensio opinionum, vel si quæ est, parui est momenti, & inter ipsos etiā Thomistas versatur. Dico ergo Deum ad actiones gratiæ per se, & immediatè concurrere per influxum simultaneum vtroque ex illis modis. Probatur in primis generatim. quia illa causa dicitur immediata respectu alicuius effectus, à quo immediatè procedit actio, quæ immediatè etiam terminatur ad talem effectum: sed actio quæ immediatè terminatur ad effectum creaturæ, immediatè procedit à Deo vt causa immediatè influens in talem effectum. Maior videtur clara, quia causa efficiens, & effectus eius quasi se contingunt, & connectunt media actione: actio autem duplicem dicit habitudinem, vt actio est, nimirum quòd fit ab agente, & quod tendat in terminum, & ideo quando immediatè dicit habitudinem ad causam & ad terminum immediatè inter se illa connectit; illa ergo est causa ad quam immediatè dicit actio immediatam habitudinem. Et hæc immediatio hic magis consideratur, quàm propinquitas localis, vel intima præsentia. Nam si per impossibile Deus distaret loco à creatura, & in habitudine actionis, vel dependentiæ illam eodē modo produceret, esset causa immediata, & è conuerso licèt secundùm præsentiam substantialem esset intimè indistans, si actio causæ secundæ non esset immediatè à Deo, sed à causa secunda, vt voluit Durand⁹ Deus non esset causa immediata talis effectus ex immediatione suppositi, quamuis suppositum Dei à tali effectu loco non distaret. Nunc autem actio causæ secundæ, vt ostensum est, dicit immediatam habitudinem ad Deum propter dependentiam per se, & essentialem ab ipso.

1. Necessitas huius quæstionis.

Concl. Deus vtroque illo modo concurrit immediatè.

Probatur 1. in vniuersum.

Probatur præterea in particulari pars prior de immediatione virtutis, propter quam declarandā hanc quæstionem proponimus. Est enim clarissima secundùm opinionem, quæ negat generalem concursum Dei prœuium, seu in causam. Nam tunc in causa secunda solùm præcedit virtus actiua, quā Deus illi concludit in actu primo, siue per naturā, siue per gratiam. Si ergò Deus non concurreret ad effectum causæ secundæ nisi mediatè mediatione virtutis, profectò non aliter influeret, nisi dando virtutem agendi causæ secundæ, & illam conseruando: at hoc est incidere in errorem Pelagij, & Durandi; ergo necesse est fateri Deum influere immediatè per virtutem suam, quæ iuxta illam sententiam nulla est alia nisi virtus increata in ipso Deo existens. At verò iuxta sententiam ponentem concursum prœuium causæ primæ in secundam, res indiget maiori explicatione. Nam iuxta illam sententiam præter omnem virtutem causæ secundæ constitutæ in actu primo, datur illi à solo Deo noua motio, quæ, vt infrà videbimus, dicitur esse virtus quasi instrumentalis ipsius Dei, à qua immediatè fit actio causæ secundæ, quatenus in virtute causæ primæ operatur, & præsertim quatenus dat suo effectui esse existentiæ.

2. Probatur de immediatione virtutis.

Cùm ergo dicitur Deus concurrere ad effectus causæ secundę immediatè immediatione virtutis, intelligi posset iuxta illam sententiam ratione illius virtutis Dei, quæ est quid creatum prius natura factum à Deo in ipsa causa secunda sine alio influxu, qui fit immediatè à virtute increata Dei. Et hunc sensum sufficere assero, imò esse omnino falsum, & ex parte incidere in sententiam Durandi, quia illo modo Deus non esset causa per se, & directè influens in effectum, & actionem creaturæ, sed tantùm per accidens, vel per denominationem remotam sumptam ab actione virtutis impressæ causæ secundæ, sicut qui impressit impetum lapidi, dicitur mouere lapidem non per se, & per propriam influxum in motum ipsum, sed remotè, & per quandam denominationem ab actione impetus, tanquā ab actione instrumēti separati. Hoc autem est contra rationem primæ causæ, à qua per se, & essentialiter pendet omne ens per participationem qualis est omnis effectus, & actio creaturæ. Vnde sine dubio dicendum ad actionem creaturæ esse immediatè à Deo immediatione virtutis increatæ in ipso Deo existentis, ita vt licèt admittatur illa prœuia motio in causa secunda, & quòd ab illa etiam procedat immediatè in suo genere actio causæ secundæ, negari non possit hæc immediata manatio actionis causæ secundæ ab increata virtute Dei. Atque ita videntur sentire moderni Thomistæ ponentes illam motionem prœuiam, nunquam tamen rem ipsam satis explicant, melius eam exposuit Caietan. 1. p. q. 19. art. 8. quia prœuiam illam motionem non agnouit.

Ratio in forma, quæ possit concurrere cum Dei influxu.

Caietan.

4. Probatur de immediatione suppositi.

Ferrar.

Caietan.

Supereſt in particulari probanda & explicanda pars altera de immediatione suppositi. Nam quidā Thomistæ dixerunt, Deum concurrendo cum causis secundis non efficere effectus earum immediatione suppositi, licèt creando, vel conseruando aliquid, per seipsum immediatè operetur immediatione suppositi. Ita sentit Ferrar. 3. contra gent. cap. 70. & tribuit D. Thomæ ibi ratione 1. At verò Caietanus 1. parte quæstio. 8. art. 1. distinctione vltima de Deo etiam vt concurrente ad effectum creaturæ, nam quatenus dat illi existentiam, dicit sub hac ratione agere Deum immediatè immediatione suppositi, vt verò concurrit cum causa secunda ad formam, vel motum, quem ipsa causa secunda

cunda ad formam, vel motum, quem ipsa causa secunda efficit principaliter, dicit non agere immediatione suppositi, sed tantùm virtutis. Itaque in hoc videntur conuenire, quod Deus tunc solùm operatur immediatè immediatione suppositi; quãdo solus sine concursu alterius suppositi operatur saltem vt causa principalis. Caietanus autem addit Deum solùm efficere esse existentiæ, etiam quando concurrit cum creatura ad operandum, *Aluar.* & illum sequitur Aluarez d. 18. n. 19. & tribuit *D. Thomæ* q. 3. art. 7. neutrum autem nobis verum videtur.

1. Distinctio Caietani reiicitur.

Et in primis distinctio illa Caietani reiicienda est, quia etiam causæ secundæ dant suis effectibus esse existentiæ, alias nihil efficerent, quia efficere rem aliquam, non est aliud quam dare illi existentiam, quam antea non habebat. Nam res prius quàm fiat, non est res actu, sed tantùm in potentia. Vnde vt sit res in potentia, non oportet vt fiat, sed vt possit fieri per affectionem; ergo fit res vera, & actualis; dũ per existentiã cõstituitur in esse actualis entis; ergo nihil aliud est, rem fieri, nisi accipere existentiam. Ergo vel causæ secundæ nihil agunt vel dant effectiuè existentiam suis effectibus; ergo ex hac parte non magis concurrit Deus immediatè immediatione suppositi cum causis secundis ad esse existentiæ suorum effectuum, quam ad ipsos effectus. Neque probabilior est subdistinctio dicentium causas secundas esse causas principales in suo genere suorum effectuum, quantum ad formas, vel naturas eorum, quantum verò ad communicandum esse existentiæ, esse tantùm instrumenta Dei. Hoc enim etiam est falsum, quia omnis efficientia, siue principalis, siue instrumentalis, est communicatio alicuius esse existentię, quia per illam immediatè producitur aliqua entitas actualis, quæ incipit esse in rerum natura, & hoc est recipere existentiam. Vnde si causæ secundæ aliquam rem producunt vt causæ principales in suo genere, eodem modo producunt aliquam existentiam, vel è contrario, si in productione existentiæ sunt tantùm propria instrumenta Dei, nihil efficiunt vt causæ principales. Sed de hoc puncto in sequentibus capitibus occurrit occasio dicendi plura, vbi de illo etiam loco D. Thomæ qu. 3. de potent. dicemus. Nunc verò ad immediatam actionem Dei parum refert illa distinctio, quia etiam actio instrumenti potest impedire immediationem suppositi in agendo: nam animal per semen generat tanquam per instrumentum, & id satis est, vt non efficiat tunc immediatè immediatione suppositi, sed tantùm immediatione virtutis semini impressæ. *D. Thom.*

2. Probatur conclusio.

Quapropter generalitet assero concursum Dei cum causa secũda esse immediatè à Deo immediatione suppositi. Ratio est, quia immediatio suppositi non consistit in hoc, quòd sit vnicum suppositũ agens, alias etiam creatura non ageret immediatè immediatione suppositi, quia non est vnicum suppositum agens, nam etiam Deus est ibi suppositum sua virtute immediatè influens, & tria suppositа diuina in omni sua actione simul operantur, & plures portantes lapidem immediatione suppositi ibi concurrunt. Tunc ergo solum dicitur aliquid operari mediatè mediatione suppositi, quando per solam virtutẽ alteri suppositо communicatã influit in effectum talis virtutis, sicut de generante per semen decisum dicebamus, & idem est de mouente per impetum impressum; & de generante mouente lapidem, iuxta modum loquendi Philosophorum. At verò quoties suppositum per virtutem sibi inhærentem, siue intrinsecam, immediatè operatur, tum verè agit immediatione suppositi, siue habeat aliud suppositum cooperans, seu simul efficiens, siue in eodem genere causæ; siue diuerso: quia concomitantia alterius causę non constituit mediationem propriam inter ipsa suppositа causantia. quia nec illa immediatio inuenitur secundùm localem propinquitatem, vel distantiam: nam possunt esse simul coniecta, vel sufficienter applicata ad immediatè efficiendum, vt maximè est euidens in Deo respectu cuiuscumque suppositi creati, neq; etiam inuenitur illa mediatio in habitudine causæ & effectus, quia productio talis effectus immediatè potest fluere ab vtroque suppositо, sicut fluit immediatè ab vtriusq; virtute. Ostensum autem est concursum causæ primæ esse immediatè à virtute increata Dei, quæ virtus est intimè in ipso Deo, imò est ipsum suppositum Dei, & intimè adest omni operi causæ secundæ illud faciendo. Quid ergo ampliùs desiderari potest ad immediationem suppositi? Ratio enim alterius sententiæ solùm probat, in hoc concursu Deum non esse vnicum suppositum agens, non verò non esse immediatum, quod longè diuersum est.

7. Obiectio diluitur.

Sed obiicies, quia communiter dicitur quòd Deus operatur effectus causarum secundarum illis mediantibus. Et ita causa secunda vocatur proxima, & vniuersalis remota, vt patet in cælo, & in aliis intermedijs causis. Respondeo etiam communiter dici causam primã intimiùs, & immediatiùs attingere, & quasi penetrare effectum omnis causæ creatæ, quàm ipsa causa secunda. quod quia ad Dei perfectionem pertinet, maiori proprietate est intelligendum, non solùm de virtute, sed etiã de suppositо, cum & in Deo hæc non distinguantur, & eadẽ sit vtriusq; ratio, vt declaraui. Dicitur ergo Deus agere mediis causis secundis, quia etiã illis dat virtutem operandi, & illas conseruat ad suos motus, agere finit, & ita etiam per illas operatur, quamuis non per illas solas, sed etiam immediatè per se ipsum illas adiuuando, & immediatè cum illis efficiendo, vt explicatum est.

8. Eminentia primę causę hac in parte.

Et in hoc superat Deus alias causas vniuersales creatas & cœlos, nam istæ ordinariè non agunt cũ causis secundis inferioribus immediatione suppositi, sed virtutis, imò ordinariè non influunt in ipsam actionem causæ inferioris, sed in ipsam causam, vt inferiùs explicabo, & ita respectu aliarum causarum creatarum vniuersalium facilè intelligitur, quo modo Deus intimiùs, & immediatiùs agat cum causa inferiori. At verò respectu causæ secundæ proximæ, & particularis non dicitur Deus immediatiùs agere propter solam negationem causæ mediæ: nam hoc modo etiam causa secunda proxima agit omninò immediatè immediatione suppositi, & est sine medio; sed id dicitur vel propter altiorem rationem immediationis ad eum modum, quo vnus assensus dici solet certior alio, non propter solam carentiam formidinis, quę in vtroq; potest esse integra, sed propter altiorem rationem assentiendi. Sic ergo dici potest Deus immediatiùs influere, quia à se, & essentialiter habet illam immediatam causalitatem, nec potest quidquam fieri sine illa, quod non ita est in causa creata. Vel etiam dici hoc potest, quia causa creata non intimè adest suo effectui sicut Deus, quod maximè patet in causis secundis naturalibus, seu corporalibus, per se enim, & immediatione suppositi solùm agunt in passum, in quantum illud attingunt, & per solam virtutem quasi diffusam penetrant ipsum. Deus autem non sic, sed intimè adest vt per seipsum immediatè agit in totũ, & in singulas partes eius. In causa verò spirituali, vt in voluntate respectu sui actus, non ita procedit hæc ratio, prior verò ad illum modum loquendi sufficit.

CAPVT XXIX.

Vtrùm præter simultaneum concursum gratiæ, qui est in ipso actum voluntatis, vel intellectus, sit necessarius alius prævius in potentia receptus, & à motibus excitantis distinctus; refertur-que prima sententia cum suis fundamentis.

1. Ratio dubitandi, & status quæstionis.

QVæstio hæc valdè coniuncta est cum quæstione de auxilio efficaci gratiæ, est tamen in rigore distincta, & magna ex parte ex diuersis principiis pendens, pertinétque ad auxilium per modum concursus, de quo disputamus, & ideo non potest hoc loco prætermitti. Duplici ergo ratione, vel titulo potest hæc præmotio diuina requiri ad actus voluntatis humanæ. Primò ex generali ratione concursus primæ causæ cum secunda, siue naturali, siue libera. Secundò ex peculiari necessitate, vel indigentia orta ex propria excellentia ordinis gratiæ, & actuum eius, quatenus vires naturales voluntatis humanæ excedunt. Hæc verò posterior consideratio pertinet ad librum quintum; ideo quoad fieri possit, illam à priori separabimus, & in illum locum eam remittimus. In priori autem sensu quæstio in præsenti tractanda est, nam quia diximus in actibus supernaturalibus dari influxum immediatum Dei, per modum simultanei concursus, ex generali ratione, & subordinatione causæ secundæ ad primam, videndum superest an ex vi eiusdem subordinationis, & dependentiæ sit necessarium aliud auxilium à solo Deo vt à prima causa ipsi voluntati inditum prius natura, quàm velit aut amet, vt similem actum efficiat, vt per illud physicè iuuetur, vel determinetur ad talem actum. Vnde hæc quæstio duplicem generaliorem inuoluit, vna est de concursu Dei cum omnibus causis secundis, an sit influxus non tantùm in effectum causæ secundæ, & simultaneus cum actione eius, vel etiam sit influxus prævius in ipsam causam. Alia est an hic concursus prævius, saltem in causa libera & indifferente ad agendum hoc, vel illud, aut agendum; & non agendum sit per se, ac semper necessarius ad effectum seu proprium actum talis causæ. Prius ergo priorem quæstionem, deinde posteriorem prosequemur, cuius resolutionem ad supernaturales actus gratiæ in fine applicabimus.

2. Prima sententia admittit necessitatis influxus prævij ad omnem actionem creaturæ.

Prima ergo sententia docet necessarium esse hunc influxum prævium ad omnem actionem causæ secundæ ex subordinatione, & dependentia essentiali quam causa secunda habet à prima. hanc sententiam tanquam communiter receptam in schola D. Thomæ defendunt constanter moderni Scriptores physicæ prædeterminationis defensores; nam hanc præmittunt vt basim & fundamentum suæ doctrinæ de efficacia gratiæ. Et in primis tribuunt illam Capreolo 2. d. 1. q. 2. præsertim in conclus. 6. & argumenta contra illam. sed ibi Capreolus necessitatem concursus simultanei expressè declarat, illamque quatenus extra Deum est, dicit esse eandem actionem causæ secundæ, prout à Deo est. Alium verò influxum causæ primæ, in secundam non distinguit, nec declarat, sed loquitur eisdem modis, quibus D. Thomas, quem allegat præsertim in q. 3. de præsent. art 7. de quo infrà dicturi sumus. Citatur etiam idem Capreolus in 2. d. 28. q. 1. ad 12. contra secundam conclusionem. Sed ibi potiùs docet influentiam generalis concursus positam esse in sola partiali coefficientia Dei, vt cap. 29. latiùs referam.

Capreol.

3. Præterea tribuitur hęc sententia Caietano 1. p. quæst. 14. art. 13. circa principium. & quæst. 19. ad 8. in fine, sed in his locis potiùs docet contrarium, vt cap. 29. ostendam. Refertur præterea ea in eadem 1. parte quæst. 45. art. 5. vbi Durando respondens ait, causam secundam non agere nisi vt instrumentum Dei, quia oportet vt agatur à Deo multipliciter, quod remittit ad modos numeratos à D. Thoma dicta quæst. 3. de potent. art. 7. in quibus videtur hic includi, de quo infrà videbimus. Allegatur denique 1. par. quæst. 115. art. 6. §. *Ad euidentium*, vbi non de concursu Dei, sed de influentia colorum tractat, de qua est ratio longè diuersa, vt postea videbimus.

Caietan.

4. Huius sententiæ fautores Ferrariẽs. & Cabrera

Hanc verò sententiam aperte tradit Ferrar. 3. contra gent. cap. 70. §. *circa illam propositionem*, eandem tenet Cabrera 3. p. quæst. 17. art. 4. de 2. §. 3. n. 113. vbi variis exaggerationibus vtitur, quibus respondere non est necesse, multaque allegat, & congerit, quæ ad rem non faciunt, quia confundit quæstionem vniuersalem de generali concursu, cum quæstione de auxilio gratiæ efficacis, de qua nunc non tractamus. Eandem ferè eodem modo defendit Aluarez disp. 18. & Ledesma de Auxiliis in principio quæstionis conclus. 3. & latius art. 2. conclus. 2. & toto art. 3. & 18. Alios omitto, quia nihil superioribus addunt. Solet etiam hæc sententia tribui Aristoteli, Augustino, & maximè D. Thomæ, quorum testimonia nunc omitto, quia de illorum sententia speciale caput instituam. Aliqui etiam in confirmationem huius sententiæ congerunt illa scripturæ testimonia, in quibus dicitur Deus facere vt faciamus, & vt præcepta impleamus, vel incipere in nobis velle, & illud perficere & similia, quę de auxiliis gratię præuenientis specialiter dicta sunt, & ideo nihil ad præsentem causam faciunt, vt in sequentibus, & latius, ac proprius libro quinto ostendam. Auctoritas ergo huius sententię, non est maior quam à nobis proposita est; rationum ergo fundamenta perpendamus.

Aluarez.

5. Probatur ratione, quia secunda causa nihil agere potest nisi in virtute primę, nisi in virtute ponatur

Prima ratio sit, quia causa secunda nihil agere potest nisi in virtute primę, ergo necesse est, vt Deus prius illi imprimat suam virtutem, per quam ad agendum vltimatè compleatur. Consequentia probatur, quia si nihil pręuium a Deo reciperet, præter concomitantem actionem non ageret in virtute Dei, sed sola propria virtute. Antecedens autem probatur, quia causa secunda tribuit suo effectui aliquod esse existentię, sed hoc esse non tribuere, nisi in virtute primę causę, & per motionem actualem eius, qua & in sua virtute actiua compleatur, & à primo agente ad efficiendum moueatur, ergo necessario indiget causa secunda illa præmotione. Minor probatur, quia esse existentię est vltima actualitas rei, virtus autem operatiua creaturę est actus admistus potentię; ergo non potest per se sua virtute efficere vltimam existentię actualitatem, quia principium agendi debet habere non minorem actualitatem, quam eius operatio. Et confirmatur, quia forma creata, seu potentia est tantum actus primus, & consequenter est actus admistus potentię; ergo non debet habere tam perfectam actualitatem, quantam habet operatio, quę est actus secundus; ergo oportet vt per motionem pręuiam illam recipiat.

6. Secunda ratio principalis est, quia esse existentię, est proprius effectus Dei; ergo à nulla creatura fieri potest, nisi tanquam ab instrumento Dei; ergo prius debet recipere virtutem, seu motionem, qua vt instrumentum Dei ad dandum esse suo effectui moueatur, seu compleatur. Consequentia prima clara est, quia proprius effectus Dei ab illo tantum prin-

2. Ratio de se existentiæ est proprius effectus Dei quia nulla creatura

nisi tanquã ab instrumento Dei fieri potest.

principaliter fit; ego inferiores causæ non attingunt illum, nisi in virtute Dei; ergo oportet vt ab illo præuia motione tanquam à primo artifice moueantur. Antecedens autem probatur, quia esse est vniuersalissimus effectus, ac proinde est proprius vniuersalissimæ causæ; quod sentit auctor libri de causis, dicens intelligentiam non dare esse, nisi in quantum est diuina. Et apertiùs illud principium tradit D. Thom. 1. p. q. 45. art. 5. & 3. contra gent. cap. 63. & q. 3. potent. art. 7. maximè verò dicitur hæc ratio supta ex solutione illius articuli, quam in capite 31. pertractabimus.

D. Thom.

7. 3. Ratio concursus causę secundæ pendet essentialiter à concursu causæ primæ, ergo concursus causæ primæ est prior ordine causalitatis; ergo recipitur in ipsa causa secunda prius natura, quam ipsa agat. Consequentiæ sunt claræ. Antecedens autem probatur, quia aliàs causa secunda potest agere sine auxilio causæ primæ, & sic essent plures causæ primæ, seu plura prima principia, quæ est hæresis Manichæorum. Sequela probatur, quia de ratione principij primi est vt possit agere sine auxilio prioris agentis, & sine influentia illius: si autem causa secunda, vel voluntas creata ageret aliquid sine præuia motione prioris agentis, ageret sine auxilio, & influentia eius; ergo esset primum principium suæ actionis, & sic essent plura principia. Et hæc ratio dicitur desumpta ex D. Thoma in 2. de 37. q. 2. art. 2. vbi specialiter agit de actu peccati, vt actus est, & probat esse à Deo ratione sumpta ab illo absurdo, quòd voluntas creata esset primum principium suæ actionis, si aliquam actionem posset producere, cuius auctor Deus non esset. Inducitque statim responsionem quorumdam negantium illam sequelam, quoniam de ratione primi principij non est tantum agere à se, sed etiam esse à se, quod neque voluntas, neque vlla causa creata habet.

D. Thom.

8. Cõfirmatur hæc ratio.

Refutat autem D. Thomas responsionem primò quia virtus ab essentia producit, & operatio à virtute. Vnde *cuius essentia ab alio est*, (inquit) *oportet, quòd virtus, & operatio ab alio sit.* Secundò, quia per illud responsum licèt euitetur, ne causa creata sit primum ens, non euitatur quin *sit primum agens, si eius actio aliud prius agens non reduceretur, sicut in causam.* Tertiò, quia non habet esse à se, non potest haberè à seipso agere: sed potentia creata non habet esse à se, hoc, quod est actualiter influere in suam operationem, sed hoc ipsum accipit à Deo; ergo necesse est, vt Deus influat in ipsam potentiam creatam aliquid præuium, quo moueatur, & applicetur, vt actualiter agat. Consequentiæ videntur claræ, & minor est certissima: Maior autem à D. Thoma suprà probatur quia res, quæ non habet esse à se, non potest à se durare; ergo neque potest à se agere. Ab aliis autem probatur, quia etiam in ipsa Trinitate Filius non habet à se producere ad intra, sed à Patre, quia non habet à se esse, sed à Patre, vt docet Concil. Florentinum, & Filius ipse testatur Ioan. 5. *Non potest Filius à se facere quicquam.* ergo multo minus potest creatura agere à se.

9. Altera confirmatio.

Confirmatur hæc ratio, quia aliàs aliquid esset in creatura, quod non esset à Deo, nam præter virtutem permanentem ad agendum, & actionem est in causa secunda agere, vel determinari ad agendum, & hoc est aliquid in illa, quod non sit per concursum simultaneum in effectum: ergo oportet vt fiat à Deo, per proprium influxum in causam, & habeat illud causa secunda à se, & sine Deo. Tandem explicatur aliter hæc ratio, quia operatio causæ secundæ, & effectus diuinæ præmotionis, quia causa prima facit, vt secunda operetur, ergo præcedit diuina præmotio, quia causa præcedit effectum suum.

Quarta ratio similis præcedenti est, quia omnis causa secunda subordinatur primæ essentialiter; ergo priusquam causa secunda operetur, mouetur à prima per influxum aliquem in ipsa causa secunda receptum priusquam fluat in effectum. Antecedens certissimum est; consequentia verò probatur multis modis. Primò, quia Deus non dicitur causa prima solum propter maiorem perfectionem, aliàs Angelus supremus diceretur causa prima respectu rerum omnium naturalium, quia est per se perfectior illis; ergo dicitur prima, quia prius mouet ipsam causam secundam. Secundò, quia aliàs non esset ordo per se inter causam primam & secundam, quia nec ordo perfectionis constituit ordinem per se quoad causalitatem, vt est per se notum, nec sola concomitantia in operando constituit ordinem per se inter plures causas, vt patet in multis trahentibus lapidem; ergo vt sit ordo per se inter causam primam, & secundam, necesse vt prima præcedat præmouendo secundam, & influendo in ipsam. Tertiò, quia omnis causa secunda est mouens mota, quia se habet vt instrumentum respectu primæ; ergo è contrario si agit absque præmotione prioris causæ, est simpliciter causa prima; vt priori non subordinatur. Quantò, quia omnes causæ vniuersales creatæ, vt Sol, & stellæ, cùm cooperantur causis inferioribus, aliquid in illas influunt præuium ad operationem; ergo multo magis Deus.

10. 4. Ratio ex essentiali subordinatione causæ secundæ.

Quinta ratio principalis, & generalis etiam est, quia causa secunda non facit, nisi quòd Deus vult eâ facere; præcedit ergo voluntas efficax Dei, non solùm antecessione æternitatis, sed etiam ordine causalitatis, & naturæ, ante omnem actionem causæ secundæ; ergo Deus per illam voluntatem efficacem physicè præmouet, & applicat causam secundam ad suam operationem. Probatur hæc consequentia vltima, quia voluntas Dei absoluta est efficacissima, & ipsius velle, & facere, & ita per illam voluntatem physicè concurrit ad actionem causæ secundæ; ergo concurrit præmouendo illam, & faciendo, vt infallibiliter faciat. Atque hæc ratio de omni causa creata, siue naturali, siue libera, & de omni effectu reali cuiuscumque ordinis sit, procedit, quia nihil potest in rerum natura fieri, nisi quod Deus absolutè & efficaciter fieri vult.

11. 5. Ratio ex eo quod causa 2. nõ facit nisi quod Deus vult illam facere.

Sexta ratio specialis sit de agentibus naturalibus inanimatis, quia omne agens creatum cùm operari incipit, reducitur de potentia in actum, & ita agendo perficitur: sed ita agentia naturalia & inanimata non perficiuntur nec actuantur sua actione formali; ergo necesse est, vt perficiantur motione aliqua præuia, quam à prima causa recipiunt. Maior videtur Philosophorum consensus cum Aristotele 8. physic. cap. 5. Minor etiam probatur facilè, quia ista agentia solùm agunt per actionem transeuntem, quę est in passo, & non in agente, iuxta receptam doctrinam, & ideo non perficit formaliter ipsum agens; ergo oportet vt antecedenter ab ipso Deo perficiatur.

11. 6. Ratio agentia naturalia & inanimata nõ possunt sua virtute de potentia ad actum reducere, & se ita perficere.

Septima ratio specialis additur de actionibus vitalibus, quia essentialiter pendent à potentia vitali. Vnde fieri etiam non potest de potentia absoluta, vt Deus producat actionem vitalem creatam, nisi mediante principio vitali, cùm dicat intrinsecum ordinem ad potentiam vitalem; ergo impossibile est, quod Deus suo concursu influat in actionem vitalem, nisi prius natura influat in ipsam causam vitalem, per quam debet produci vitalis actio.

13. 7. Ratio circa actus vitales.

Octaua ratio specialis additur de actu libero voluntatis, quia voluntas natura sua est indeterminata ad producendum, vel non producendum talem actum, seu ad producendum hunc, vel aliũ contrarium; ergo non potest rationem inchoare nisi prius

14. 8. Ratio ex actione liberæ voluntatis quę indiget prædeterminatione cum

ipsa sit indeterminata.

natura Deꝰ influat in ipsam voluntatē prędeterminando illam ad talem actionē potius quàm ad aliā. Probatur consequentia, quia voluntas nunquam potest prodire, vel inchoare actionem nisi determinatam, & in particulari: à causa autē indeterminata in eo statu manēte non potest determinatu effectus prodire; ergo oportet vt prius prædeterminetur à Deo, quia nullū est agens superiùs, à quo possit prædeterminari. Consequentia cum maiori euidentes sunt. Minor autem probatur in primis auctoritate Commentatoris 2. Physic. text. 48. & D. Thom. 1. p. q. 19. art. 3. ad 5. deinde ratione, tum, quia quamdiu causa est indeterminata, non est cur magis hunc effectum determinatum quàm alium efficiat; tum etiā, quia talis causa non est plenè in actu, sed est in potentia, & ideo ab illa, vt sic non est determinatus effectus. Tum præterea, quia omne q; quandoque est agens actu, quandoque in potentia indiget moueri ab alio, & ideo promouendum est ad mouentem qui sit purus actus: talis autem est voluntas libera creata, vt interdum sit in potentia quandoque in actu; ergo reuocanda est in Deum, vt in primum mouentem.

Commentator.
D. Thomas.

15. 1. Confirmatio.

Confirmatur primò hæc ratio, quia nisi Deus suo influxu ita præueniat causam liberā, sequitur omnes actus liberos fortuitò & contingenter euenire respectu Dei. Consequens est falsum, & contra debitum ordinem diuinæ prouidentiæ, & contra eius perfectionem, quę non permittit vt casus, & fortuna in Deum cadant. Sequela probatur, quia si Deus non ita præuenit voluntatem creatam, eius libera determinatio non pendet ex diuina voluntate, & prouidentia, sed ab ipsa voluntate se liberè determinante; ergo talis determinatio semper erit contingens, & casu, ac fortuito euenietrespectu Dei.

2. Confirmatio.

Confirmatur secundò eadem ratio, quia aliàs Deus non esset prima causa determinationis liberę volūtatis, quod est absurdissimum, quia illa determinatio est aliquid in rerum natura: quidquid autem est aliquid, est à Deo vt prima causa; ergo. Sequela probatur, quia si Deus non prædeterminat voluntatem; ergo determinatio eius non est à Deo, sed à voluntate primò & per se applicante se ad operandum prius natura, quàm Deus in illam influat.

3. Confirmatio.

D. Thom.

Confirmatur tertiò, quia libertas creata ita subordinatur diuinæ, vt formaliter loquendo, in diuinā libertatem, & voluntatem tanquam in causam primam physicam reducatur, etiam in genere physico, iuxta doctrinā D. Thomæ 1. p. q. 19. art. 8. ibi à Thomistis communiter receptam, & Ledesmam allegat; ergo necesse est vt operatio etiam libertatis liberæ sit à Deo vt præmouente liberè vt inde habeat voluntas creata voluntatem suæ determinationis.

Confirmatio vltima.

Confirmatur vltimò, quia vel voluntas humana determinat diuinam ad hunc particularem effectū, vel è conuerso. Primum dici non potest; ergo secundum, quia non est medium, aliàs vtraq; æquè primò se determinaret, quod est contra diuinam perfectionem, & esset quasi casuale & fortuitum. Probatur minor, quia illa etiam est imperfectio diuinæ voluntatis, penderet enim à creata, & ab illa modificaretur concursus eius.

16. Vltima ratio in actibus supernaturalibus

Vltima ratio affertur, quæ maximè videtur actibus supernaturalibus congruere, quamuis ab aliquibus etiā ad bonos actus morales ordinis naturalis accommodetur, sumiturq; ab inconuenienti, quia initium talium actuum, siue fiant ante habitum, siue ex illo, sumendum est à præmotione Dei, quæ in voluntate præcedat, & physicè actum efficiat, quia aliàs primum initium pię operationis esset ex nobis. nam homo esset qui primò illam inciperet. Consequens autē est contra definitionem fidei; ergo. Sequela probatur, quoniam si voluntas affecta habitu infuso sine præmotione Dei posset vti illo habitu & innata sua libertate, iam ipsa voluntas primò inciperet actum illum, ac proinde ab illa esset initium salutis quoad talem actum. Minor autem & falsitas consequentis probatur. Primò ex Concilio Arausicano Can. 25. dicente, *Hoc salubriter confitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui inspirat.* Conc. Arausic. Secundo ex Concilio Senon. in principio, dicentē. *Accedentem ad Deum oportet primum diuinæ gratiæ munere adiutum credere, deinde bonis operibus intendere, in quibus efficiendis, & liberum arbitrium operatur, & gratia, primò tamen, & principaliùs gratia. Quare qui hominem benè operari, & salutem consequi arbitratur sine gratia, aut primatum boni operis libero arbitrio adscribit, non gratiæ, Pelagianus censendus est.* Conc. Sen. Tertiò, quia aliàs aliquid proprium haberet homo in negotio salutis quod non accepisset ex gratia, contra illud Pauli 1. ad Corinth. 4. *Quid habes quod non accepisti?* Sequela probatur, quia voluntas quòd actu operetur, non habet ab habitu supernaturali, quia solus habitus non dat voluntati, quod infallibiliter operetur, sed solùm vt possit operari, si velit. Concursus etiam Dei licèt sit ordinis supernaturalis, nō tribuit efficienter voluntati quod operetur, nec facit illā iuuare, sed concurrit cū illa simul ad actualem operationē, si ipsa voluerit operari; ergo quod voluntas operetur, habebit ex seipsa, & non ex gratia, quod dici non potest.

Caput XXX.

Quid sit concursus præuius, & quod munus eius, ob quod necessarium esse creditur.

NOn possumus de prædicta sententia ferre iudicium nisi prius sensus illius exactè intelligatur. Vnde, quia in illo explicando defensores eius non conueniunt, nonnullis interrogationibus, seu dubitationibus propositis, illum inquirere necessarium duximus.

1. An concursus ille præuius intrinsecè quid creatum.

Prima interrogatio est, an hic concursus sit aliquid creatum, necne? Sed in hoc puncto non inuenio controuersiam inter dictos auctores. Nam licèt aliqui dicant Deum mouere causam secundam per voluntatem suā immediatè, & ipsammet volitionem Dei vocent motionem, vel applicationē causę secundæ ad agendum, illud non potest intelligi de motione, qua causa secunda mouetur formaliter, sed de motione effectiua, per quam influit Deus in creaturam, quę propriè non est concursus ipse formalis, sed concursus principij, quem Deus effectiuè influit in creaturam: nam illud principium increatum est, siue dicatur esse in Deo per modum virtutis actiuæ, siue per modum actionis immanētis, & virtualiter transeuntis. Hic autem loquimur de influxu qui iuxta hanc sententiā ab hoc principio increato manat in causam secundam prius natura, quàm agat. Et hoc necesse est esse aliquid creatum. Primò, quia fit à Deo in ipsa causa secunda. Secundò, quia per illum mouetur physicè, & realiter ipsa causa secunda; supponit enim illa sententia, causam secundam non posse agere nisi motam: non mouetur autem formaliter per volitionem Dei increatam, vt per se notum est, nam per illam non se habet formaliter causa secunda aliter quàm priùs, ergo per aliquam mutationem intrinsecam, quæ in illo de nouo fit, mouetur; ergo motio prænecessarium est aliquid creatum.

Ostenditur esse.

2. An concursus præuius

Secunda interrogatio est, an hic prę uius concursus generalis primæ causę sit eiusdē rationis in omnibus

hibus causis secundis quoad omnes effectus, & actiones earum, vel in eis varietur, & quo modo. De concursu enim comitante, & simultaneo diximus suprà, & est per se euidens multiplicari, & distingui pro varietate actionum causarum secundarū, quia & est idem cum ipsa actione causæ secundæ, & ad eundem terminum tendit. Non procedit autem hęc ratio eodem modo in concursu prævio si detur, nā ille distinguitur, vt statim dicam, ab actione causæ secundæ, & est aliquo modo principium eius. Vnde non respicit actionem causæ secundę tanquam terminum, propriè loquendo, sed tanquam actionem à se emanantem, & terminum illius actionis respicit tanquam effectum. Vnde non oportet, quòd ab actionibus causarum secundarum, vel terminis sumat distinctionem, nam poterit esse eminentius quoddam, & quasi vniuersale principium plurium, & variarum actionum. Explicatur supponendo præmotionem illam esse qualitatem, nam consequenter dicendum esse qualitatem actiuam, quæ ex sua natura, & particulari modo est propria virtus instrumentalis causæ primæ, vt prima causa, & vniuersalis est: ergo licèt sit in se vnius simplicis entitatis, & speciei, potest esse vniuersale principium per quod causa prima cum omnibus causis secundis ad omnes earum actiones quantumuis distinctas operatur, & pro voluntate eiusdem primæ causæ illas determinat, vel applicat ad varias actiones pro causarum secundarum varietate. Idemq; dici poterit de illo concursu etiamsi fingatur vt pura motio, quæ dicitur esse motio virtuosa. Vnde in suo genere poterit habere virtutem illam cum dicta eminentia, & vniuersitate.

3. Varium & diuersum esse volunt illius auctores.

Nihilominus defensores illius sententiæ licèt interdum magnam, & eminentem virtutem tribuant illi motioni, ita vt sola possit aliquando supplere principium actuum proximum causæ secundæ, si illi deest; nihilominus in præsenti non ita sentiunt, sed hunc concursum variari significant iuxta causarum secundarum in suis virtutibus & actionibus, varietatem. Et in primis negari non potest, quin talis influxus in causam spiritualem, vel materialem genere distinctus sit: nam est quoddam accidens quod in re corporea materiale est, in re verò spirituali, spirituale, neq; hoc maiori probatione indiget. Deinde non minus certum est influxum in causam secundam, verbi gratia, voluntatem ad actum naturalem, vel supernaturalem distingui, etiam in esse entitatis, seu qualitatis naturalis, aut supernaturalis, quia ad naturales actus non est per se necessarius influxus prævius supernaturalis, nec ad actus supernaturales sufficere potest concursus ordinis naturalis etiam prævius, suppositā generali necessitate talis prævij concursus, quia talis motio prævia ponitur, vel ad eleuandam potentiam, vel ad determinandam, vel ad applicandam illam: motio autem merè naturalis non potest vel eleuare, vel determinare, vel applicare naturalem potentiam ad actum supernaturalem, vt videtur per se notum.

4. Diuersa officia tentia hanc motionem multiplicari secundum speciem pro diuersitate causarum secundarum quibus tribuitur, quia vnicuiq; datur ad illam determinandam, seu applicandam ad suum determinatum effectum, & ideo magis consequenter dicitur dari motionem, quæ ex sua specie, & natura illam determinationem habeat, quàm quod ex sola voluntate Dei determinetur, vel applicetur ad hunc, vel illum effectum. Illud autem quod dicti auctores de hoc prævio concursu dicunt de se aptū esse ad supplendam totam actiuitatem principij proximi causæ secundæ, essęque eiusdem rationis quando supplet defectum principij proximi, & quando supponit illud, solúmq; illud ad operandū applicat, difficile creditu est, vt suprà tractando de actibus supernaturalibus qui sine habitu fiunt, tactum est, & in sequentibus magis ostendetur. Habet etiam peculiarem difficultatem, an hic concursus datus causæ naturaliter agenti, & datus causæ liberæ, eiusdem, vel diuersæ rationis, intelligendus sit, de quo puncto in cap. 31. dicam.

Tertiò consequenter interrogari potest, an hoc auxilium prævium determinatum sit ex se non solùm ad speciem actionis, & effectus causæ secundę, sed etiam ad indiuiduū actum, & effectum. In quo puncto prædicti auctores sentiunt necessarium esse, vt talis prævius concursus detur determinatus ex se ad indiuiduum effectum & actionē. Ita docet Aluarez disp. 19. concl. 3. ratio. 2. vbi inde probat hoc auxilium non esse habitum, quia habitus est de se indifferens ad plures actus indiuiduos: hoc autem auxilium est determinatum ad vnam numero operationem. Et idem repetit ad solut. 6. Consentit Ledesma dicta q. vnica art. 2. ad 6. vbi ait voluntatē determinari per auxiliū hoc prævium ad singularē operationem. Et videntur hi auctores in sua sentētia satis consequenter loqui; quia ponunt hanc prę uiam motionem vt prædeterminet causam secundam ad operandum. At in causis naturali necessitate agentibus non est necessaria prædeterminatio ad speciē actionis, quia illę sunt de se satis determinatæ ad speciem actionis. Indigent autem determinatione ad indiuiduum effectum, quia quoad hoc sunt indifferentes; ergo recipiunt hanc determinationem per hunc prævium influxum; ergo necesse est vt ipse influxus non sit de se indifferens, sed determinatus ad indiuiduum, aliàs ipse indigeret prædeterminatione, & in infinitum procederetur. In causis verò liberis, hæc motio prædeterminat potentiam non tantùm quoad speciem, sed etiam quoad exercitium actus: exercitium autem actus non potest esse nisi in indiuiduo; ergo talis motio prædeterminans potentiam ad exercitium actus, necessariò illam debet determinare ad actum indiuiduum. Ergo multo magis ipsa motio debet esse ex se determinata ad indiuiduum, ne ipsa alia determinatione indigeat.

5. An hic concursus prævius determinatus ex se sit tum ad speciem tum ad indiuiduum actionis. *Aluarez.*

Ledesma.

Vnde videtur in hac sententia consequenter dicendum, hanc motionem numero multiplicari, & distingui non tantùm in causis numero distinctis, sed etiam in eadē causa plures actiones, vel effectus eorum diuersos producente, quod est manifestum quando illæ actiones successiuè fiunt, quia prævius concursus ad vnamquanq; illorum solùm determinat, quando vnaquæque actio durat: ergo variatur numero concursus prævius, prout actio variatur. Ergo semper concursus prævius datur ex se determinatus ad illam numero actionem, quam facit, & cum qua sola durat. Idem autē erit consequenter dicendum etiamsi causa secunda plures actiones numero distinctas simul faciat, vt facilius contingit in actionibus transeuntibus, v. g. in igne, simul calefaciente plura ligna: nam actiones numero multiplicantur in subiectis recipientibus illas; ergo & concursus prævij ad illas erunt distincti, quia vnusquisque est determinatus de se ad vnam tantùm actionem singularem; & ideo cessante vna illarum, & non alia, cessabit concursus prævius, qui ad vnam, non verò ad alteram datus fuerat.

6. Hinc fit numero multiplicari pro numero effectuum.

Hæc ergo omnia consequenter dicuntur in illa sententia, neq; in illis peculiarem difficultatem aut repugnantiā inuenio, præter eam, quæ est in liberæ voluntatis prædeterminatione ad vnum, de qua in cap. 31. aliqua, & plura in lib. 5. dicturi sumus. Hic solùm aduerto propter solam determinationē causæ secundæ ad singularem actionem, & effectū non esse necessariū cōcursum prævium; nam per concursum

7. Difficultas ex causis liberis.

tim concomitantẽ sufficienter id fieri potest vt in l. 1. de Auxiliis cap. 7. notaui, & ostendi. Et apertè concedit Ledesma art. 2. ad 6. dicens quòd auxiliũ sufficiens determinatur per auxilium cõcomitans ad singulam operationem. Et ratio est, quia causa secunda nullũ singularẽ effectum potest agere sine cõcursu Dei concomitante, seu simultaneo: potest autẽ Deus huiusmodi concursum limitare ad vnũ effectũ indiuiduum; ergo id satis erit vt actio causæ secundæ ad eundẽ determinetur. Vnde fit propter hanc solam determinationem non esse necessarium concursum præuium illum esse determinatum ex natura sua ad vnam tantùm indiuiduam actionẽ, quia licèt esset indifferens de se ad plures, posset per simultaneum concursum determinari, & ita cessaret processus in infinitum: nihil ergo certum posset quoad hanc partem de tali concursu præuio affirmari, licèt (vt dixi) illo semel posito tota illa multiplicatio, & determinatio talis concursus illi opinioni satis consentanea sit, & ostendi non possit inuoluere repugnantiam. Superfluum tamen erit tot multiplicare concursus, seu motiones, nisi earum necessitas clara ostendatur.

Ledesma.

8. *An iste cõcursus præuius fiat à solo Deo.*

Quartò interrogari potest, an hic concursus præuius fiat à solo Deo. vel etiam ab ipsa causa secunda. Hæc verò interrogatio in causis agentibus actione transeunte nullam habere potest controuersiam, vt statim dicam. De potentiis autem agentibus actione immanente aliqui sensisse videntur, hanc præuiam motionem non fieri à solo Deo, sed ipsam etiam potentiam, quæ illam motionẽ recipit ad illam cooperari efficiẽdo, quod sentire videntur, qui hanc præmotionem ab ipso actu vitali potentiæ in re ipsa non distinguunt, vt statim videbimus. Sed hic modus dicendi inuoluit repugnantiam in eadẽ sententia, eiusque fundamenta destruit. Dicendum est ergo consequenter in illa sententia, hanc motionem à sola prima causa fieri in secunda. Probatur, quia causa secunda non affecta hac præuia motione, non est satis applicata, vel determinata ad inchoandam aliquã actionem; ergo non potest influere in actionem, qua fit, vel in qua consistit hic concursus præuius, cùm iuxta eamdem sententiã non efficiat, nisi iam applicata, vel determinata.

9. *Probatur à solo Deo fieri in causa secunda.*

Item causa secunda non mouet nisi mota, vt supponitur; ergo non se mouet in illa prima motione per quã à causa prima mouetur ad agendum; ergo non efficit illã motionẽ, nam si illã efficeret, se moueret per illam saltem physicè; ergo Deus solus illã motionẽ efficit. Itẽ hæc motio, supponitur esse pręuia, & prior natura omni causalitate, vel actione causę secundæ, & consequenter supponitur esse aliquo reali modo causa, & princip. eius, vt statim explicabitur; ergo impossibile est vt fiat ab ipsa causa secunda, quia non potest esse causa actionis causæ secundæ & terminus, vel effectus eius, neq; potest esse prius & posterius natura, & in genere efficientis causę. Itẽ, quia in agentibus per transeuntẽ actionem hæc motio non potest esse effectiuè ab ipsis, quia illa non agunt in se præsertim ante transeuntem actionem, vt est per se notum. Quis enim dicat calorem prius natura, quàm calefaciat lignum, agere in seipsum actuando, & citando, vel alio modo mouendo seipsum? nemo certè id potest probabiliter cogitare, repugnatq; principiis illius sententiæ; ergo si in his agentibus datur præuius concursus à solo Deo, in illis fieri debet. Ergo idẽ dicendũ est de agentibus actione immanente, nam est eadẽ ratio. Tum quia necessitas huius prætuij concursus fundari dicitur in generali ratione causæ creatæ, q̃ non potest incipere aliquid agere nisi præmota. Tũ etiam, quia ipsa motio prætuij concursus excludit efficientiam eius à causa secunda quæcumq́ue sit, quia si illa eo efficit illum concursum, etiam Deus facit illum concursu cooperante non prætuio. Tum deniq;, quia si in intellectu, verbi gratia, cõcursus præuius fieret ab intellectu, actio illius esset immanens, & sic non potest in re distingui ab actu intelligendi, quod dici non posse consequenter infrà dub. 7. declarabo, & plura de hoc puncto erunt necessariò dicenda infrà in cap. 33. & in lib. 5.

10. *In quo subiecto proximè recipiatur concursus præuius.*

Quintò interrogari potest, in quo subiecto proximè & immediatè recipiatur ille concursus præuius. In quo dicti auctores sentiunt in primis recipi iectionem in ipsa causa secunda. Quia verò inter causas secundas quædam agunt actione transeunte, quæ non & plantur in ipsis, sed in passo recipitur; aliæ verò actione manente in ipsis. In prioribus id non indiget explicatione: recipi enim debet illa motio in ipso agente, vt constituto in actu primo prius natura, quàm agat: in posterioribus autem, quia idem est agens, & recipiens actionẽ & terminum eius cum proportione id intelligunt de ipso agente, vt agens sit, id est vt præsupponitur in actu primo, prius natura, quàm ab illo actio egrediatur, & à fortiori prius natura, quàm in illo recipiatur. Vnde consequenter etiam, proximum subiectum in quo recipitur talis motio, esse ipsammet potentiã, seu facultatem actiuã permanentem in causa secunda, quæ est principium proximum actionis eius: vt verbi gratia, lucẽ Solis esse subiectum proximũ, in quo recipitur concursus præuius ad illuminandum, & calorem ignis ad calefaciendum, voluntatem ad volendum, & habitum charitatis ad amandum super omnia, & lumẽ gloriæ etiã recipere in se nouam motionem, vel entitatem per quam moueatur ad eliciendam visionem, & sic de cæteris; quia illud principium, *Causa secunda non mouet, nisi mota*, formaliter intelligitur de motione, quia ipsummet agendi principium aliquo modo mutetur, & amplius actuetur.

11. *Difficultas in aliquo quando principium proximum agendi sit compositum.*

Contingit autem, proximum principium agendi causæ secundę non esse vnam simplicem qualitatẽ, sed coalescere ex multis, vt principium visionis ex visu, & specie, & fortasse ex lumine. Vnde dubitari potest in illa sententia, an tunc causa secunda recipiat vnũ simplicem concursum præuium, vel plures quasi partiales, quasi constituentes vnum; videtur enim inconueniens tot motiones multiplicare. Nihilominus tamen consequenter loquendo, illud etiam declarandum est, quia vna simplex entitas non potest immediatè recipi in visu, & in specie visibili, & lumine, vnumquodq; autem istorum principiorum indigebat sua motione, & vltima actualitate à prima causa, quia non est maior ratio de vno quàm de alio; sicut etiamsi duo lumina concurrant ad eamdem indiuisibilem illuminationem, licèt concursus simultaneus sit vnus in actione imbibitus, concursus præuius multiplicandus erit iuxta numerum principiorum, seu luminum agentium.

12. *Explicatur quando ab eodem calore ignis prodeant simul calefactiones in plura combustibilia cùmilla diuersificentur.*

E contrario verò si ab eodem calore ignis prodeant simul calefactiones in plura combustibilia cùmilla diuersificentur clarũ, concursus simultaneos multiplicari iuxta datum numerum actionum transeuntium, dubitari potest vtrum concursus præuius sit vnus, & simplex, an verò etiã ille multiplicetur. Nã in hoc dicti auctores variè loquuntur, vt facilè possunt argumenta pro vtraq; parte fieri, sed superuacaneũ duco in hoc immorari, nam supposito illo principio, parum refert, sic vel aliter in his illationibus, & aliis similib⁹, quę facilè excogitari possunt, opinari. Solũ hæc propono, vt considerentur hæc, & alia huiusmodi, quæ ex illa positione sequuntur. Nec omittam vlterius adducere iuxta illam sententiam consequenter dicendum esse nullam esse potentiã actiuam creatã purè actiuam, id est, quæ simul, & quoad modum prius passiua potentia non sit. Quia omnis potentia quæ intrinsecè potest mutari in se aliquid recipiẽdo, est passiua; nihil enim aliud est esse potentiã passiuam,

Hinc sequitur omnem potentiam actiuam esse passiuam, & actiuam, nisi

nisi esse potentiâ capacem recipinedi aliquid : hoc autē habet omnis virtus actiua creata, quia est capax illius præmotionis diuinæ quā in se recipit, vt agat. Ergo est potentia passiua, secundùm quam priùs actuari debeat, quam vim suam actiuam possit exercere, quia non potest mouere nisi mota: ergo prius (vt sic dicam,) est mobilis, quàm principium mouendi; & hoc modo dicimus prius esse potentiâ receptiuam vtique quoad reductionem in actum. Atq; ita non solùm potentiæ animæ, sed omnes potentiæ naturales calor, lux, & similes sunt potentiæ passiuæ, imò non solùm potentiæ, sed etiam habitus vel infusi, vt charitas, fides, lumen gloriæ, vel acquisitio quatenus efficere possunt, receptiui priùs sunt. Neque solùm habitus, sed etiam actus ipsi secundi potentiarum animę, non sunt vltimi, sed potentiam passiuā in se habent, quatenus vnus actus esse potest verum principium physicè efficiens alium, sicut est assensus principij assensus cōclusionis, & intentio finis electionis medij: nam si efficiūt indigent concursu Dei; ergo & præmotione sicut aliæ secundæ. Hęc ergo omnia quamuis à dictis auctoribus expresè non doceantur, necessariò ab eis admittenda sunt, quia per necessariam illationem inferuntur. Quòd si hæc difficilia videntur, & contra communem sensum Philosophorum loquentium de virtutibus purè actiuis, & de habitibus, & actibus secundis, respondebunt dicti auctores illam communem doctrinam intelligendam esse de potentiis actiuis, & passiuis in ordine ad actiones, & passiones causarum secundarum inter se, non verò in ordine ad motionem generalem primi mouentis, nam respectu illius omnis actus creatus est mobilis, & consequenter est aliqua potentia passiua.

cum omne receptiui virtutis per quā in esse potentiæ complcatur

Caput XXXI.

Quomodo præuius concursus à potentia, in qua recipitur, ab eius actione distinguatur.

1. Ad quæstionem realiter distinguatur ab actione potentiæ ad quā datur.

SExta interrogatio de hoc concursu est, an hæc præmotio sit res distincta ab actione & potentia in qua recipitur, & quā determinare, seu applicare dicitur, vel quomodo ab ea distinguatur. Nam quòd sit aliquid in reipsa distinctum à sua potentia, nullus defensor illius sentētiæ negare potest, quia sit impotentia illa per nouum influxum Dei realem & per realem mutationem eiusdem potentiæ; ergo aliquid distinctum in re ab eadem potentia, & illi de nouo additum. De modo autem distinctionis videntur dicti auctores variè loqui. Nam quidam asserunt hunc præuium concursum tantū formaliter distingui à voluntate vel alia potentia in qua recipitur. Ita sentit Cabecudo dicta q. 62. art. 5. dub. 1. ad 3. ait enim, influxū, qui recipitur in causa distingui ab illa, & operatione realiter formaliter, sicut modus rei distinguitur ab ipsa re; & simili modo distingui influxum receptum in effectu, ab ipso effectu. Sed in his verbis videtur inuolui repugnantia: nam voluntas, & operatio eius distinguuntur inter se realiter; quo modo ergo potest ille influxus ab vtraq; distingui tantùm formaliter? nā idem modus non potest identicè inesse duabus rebus realiter inter se distinctis. Item operatio causæ secundæ pertinet ad effectum eius, vel in via, vel in termino prout nomen operationis sumptum fuerit; ergo influxus in causam non est modus ipsius operationis. Omissa autem hac parte in altera videtur cum illo auctore conuenire Ledesma art. 1. concl. 2. ration. 1. §. *aliqui auctores*, vbi sub disiūctione dicit, prædeterminationem esse entitatem realem, vel saltem modum entitatis realis, & in art. 7. ad 1. definitè dixit esse quendam modum voluntatis. Fundamentum esse potest, vel quia illa distinctio sufficit, & non oportet multiplicare entitates, vel quia ille concursus est tantùm quædam motio, & motio solùm est quidam modus rei motæ, nec enim oportet motum à mobili realiter distingui, vt ex Philosophia constat.

Variæ sententiæ.

Hic tamen modus dicendi parum credibilis videtur supposita illa sentētia, & præsertim loquendo de auxiliis gratiæ. Nā isti auctores in hac motione ponunt maximam gratiæ efficaciam; & illam putant esse potissimā virtutē, seu virtuosam motionē supernaturalium actuum effectricem; ergo fateantur necesse est illam esse entitatem supernaturalem sicut sunt ipsi actus; ergo oportet vt sit entitas, & nō tantum modus actuatus voluntati. Atque hæc ratio potest cum proportione extendi ad cæteras causas, & virtutes earū naturales: nam hæc motio dicitur esse rerum principium, per quod omnis causa, & eius potentia efficit suum effectum, vt paulò post dicemus, at solus modus non dat per se virtutem agendi. Præterea ostēdimus statim ipsum concursum non posse intelligi sine impressione alicuius qualitatis, quia nec potest esse sine termino intrinseco proximo, neque alius potest cogitari: qualitas autem extra figuram non est modus, sed res habēs propriam entitatem, aliàs etiam de specie impressa dici posset tantu esse modum & actū videndi, vel appetendi tantum esse modum potentiæ. Quapropter si concursus ille prœuius indicatur necessarius, multo facilius, & intelligibiliùs ponitur, & quædā entitas addita potentię ad magis actuandam illam. quia nec in calore, nec in luce, vel similibus qualitatibus concipi satis potest nouus modus sine mutatione in intrinseco, & in formali effectu quē subiectis sus prębent. Multóq, minus intelligitur talis mutatio in voluntate, & similibus potentiis in se indiuisibilibus, & naturali quodam, & immutabili modo animam efficientibus. Quapropter supposita necessitate illius concursus, negandum est sufficere modum; quia ad mutationem talium potentiarum, quæ tantum fiunt recipiendo aliquid nouum, necessarium est aliquam entitatem, seu formam illis imprimi. Nec refert quòd ille concursus sit motio, tū quia non est pura motio sine termino, vt dicemus, tum etiam, quia omnis motio non est idem cum mobili, sed tantùm modus localis: alteratio enim distinguitur realiter à mobili, sicut & terminus eius. hæc autem motio si quæ est, non est localis motio, vt constat; est ergo alteratio, vel cum illa proportionem seruat.

2. Difficultas aduersus illos qui solū distinctionē modalē ponunt.

Huic autem dubitationi septima est annexa, scilicet an hæc præmotio sit res distincta ab actione & effectu causæ secundæ. In quo non est dubiū de distinctione aliqua ex natura rei, hāc. n. vt manifestā supponunt dicti auctores, & loquuntur consequēter: nam si motio illa est realis causa actionis, & effectus causæ secūdę, & prior natura vera prioritate reali, seu causali, necesse est vt in re sit aliqua distinctio inter illa, quia vt suprà de concursu comitante dicebamus, interea quę in re non distinguuntur, nō potest esse realis causalitas, vel naturalis ordo prioris, & posterioris. Itē, quia aliàs nihil reale adderet hæc præmotio concursui comitanti, quia non distingueretur ab illo in reipsa, quod est euertere omnino eamdem sententiam de concursu præuio. Vnde non video quomodo in sua sententia subsistere possit, quod dicit Ledesma art. 6. concl. 3. ration. 3. *auxilium scilicet in ipsa operatione, & auxilium præmouens, & determinans, esse omnino idem, & non differre nisi per hoc solum, quod auxilium præmouens, & prædeterminans tenet se ex parte principij operationis, taliter quod inde incipiat operatio.* Hæc enim subsistere non possunt nam statim dicit, auxilium imbibitum in operatione non supponi ad operationem. Contrarium autē docet de auxilio præmouente, quæ sine

3. An res distincta sit ab actione & effectu.

Ledesma.

distin-

distinctione aliqua in re neque intelligi possunt: & ita illam admittit in concluſ. 5. & alibi ſæpiſsimè. Fortaſſe autem cùm dicit eſſe omnino idem intellexit eſſe vnum ordine, vt ipſe D. Thomas exponit art. 3. ad 6. & 7. Quidquid verò ſit de ſenſu eius, in ea ſententia non poteſt negari aliqua definitio in re. De propria ergo definitione reali, quæ ſolet vocari tamquam res à re, intelligitur interrogatio, quæ licèt videatur quæſtio multum ſpeculatiua, & parui momenti ad doctrinam Theologicam tradendam, nihilominus ad clariùs procedendum, & vt difficultates occurrentes in vtraque ſententia meliùs percipiantur, vtile erit oſtendere, quid magis conſequenter, magiſque probabiliter, vel fortè neceſſariò in illa ſententia dicendum ſit.

D. Thom.

Quidam ergo putant ſatis eſſe, quòd illa præmotio diſtinguatur formaliter, vt ipſi aiunt, ſeu modaliter, & ex natura rei ab actione, & effectu cauſæ ſecundæ. hanc ſententiam tenuiſſe doctiſsimos viros eius viæ ſectatores, refert Ledeſma art 6. ſent. 2. nominatque Ioannem Vincent. cuius ſcripturam non habemus, nec vidimus. Allegat item Cumel. 1. 2. quæſt. 111. art. 2. diſp. 1. vbi ſæpe dixit concurſum, vel auxilium Dei non eſſe niſi ipſum actum, ſeu actionem cauſæ ſecundæ, vt à Deo fluit, & pendet. Sed id magis competit concurſui ſimultaneo, quàm præuio, & iuxta illam explicationem non ſolùm tollitur diſtinctio realis, ſed etiã formalis, ſeu ex natura rei. Poſtea verò in §. *Aliqui Theologi*, addit, hunc concurſum eſſe aliquid in cauſa ſecunda, quia non mouet niſi mota, ſiue talis motio diſtinguatur (ait) ab actu ſupernaturali, ſiue non. Statim autem §. ſequenti videtur diſtinguere illam motionem à motibus gratiæ excitantis. Vnde nihil certum in hoc puncto de ſententia illius auctoris in dicta diſputatione colligere poſſum. Ipſe etiam Ledeſma non videtur in hac parte ſatis conſtans, aut reſolutus: nam in art. 1. concluſ. 3. ration. 4. dicit auxilium intrinſecè coadiuuans operationem, & prædeterminans voluntatem eſſe idem ſecundùm rem: per auxilium autem intrinſecè coadiuuans intelligit auxilium imbibitum in ipſa operatione, vt patet ex tertia concluſione, & ex principio illius tertiæ rationis. Item auxilium imbibitum vocat ſæpiſsimè concurſum ſimultaneum; huncergo dicit eſſe idem ſecundùm rem cum præuio, ſeu prædeterminante. At verò art. 6. concluſ. 5. in ratione prima dicit diſtingui ſaltem formaliter, & in ratione tertia addit diſtingui realiter. Et poſtea declarat hoc vltimum eſſe certum in agentibus tranſeunti actione, in aliis verò ſufficere diſtinctionem formalem, idémque ferè habet art. 3. ad 6. & 7. latiùs & clariùs id docet art. 7. concl. 2. vbi aliquas rationes adducit, quæ ſi aliquid probant, illam opinionem euertunt, vt cap... declarabo, & ideo nunc illas omitto. Solùm ergo videtur poſſe fundari in illo principio, quod etiam allegat, quia fruſtrà ponuntur plures res, ſi vna ſufficit cum diſtinctione formali, hîc autem diſtinctio formalis videtur ſatis ad omnia ea, propter quæ ponitur hæc præmotio.

4. Diſtinctio formalis, ſiue modalis à quibuſdã aſſerta. *Ledeſma. Ioan. Vincẽt.* *Cumel.* *Ledeſmã.*

Sed multò magis conſequenter loquuntur qui dicunt præuium concurſum eſſe rem omnino diſtinctam à concurſu concomitante, & conſequenter ab actione, & effectu cauſæ ſecundæ: nam profectò ablata diſtinctione reali facillimum erit, imò neceſſarium alteram diſtinctionem ex natura rei tollere. Et in primis loquendo de influxu primæ cauſæ in ſecundam agentem actione tranſeunte, ſi ille influxus eſt aliquid in cauſa, neceſſe eſt rem diſtinctam ab actione eiuſdem cauſæ; quia eſt in ſubiecto realiter diſtincto, nam ille influxus præuius eſt in igne calefaciente, v. g. vt iam diximus, alio verò ignis eſt in ligno in quo fit calor, & l. 1. de Auxil. cap. 6. notaui. Ergo in his ſaltem agentibus non poteſt dubitari de diſtinctione reali, vt tandem Ledeſma fatetur.

5. Alij melius faciunt rem diſtinctam. 1. In agentibus tranſeunter.

Hinc verò argumentum ferè cogens ſumitur ad voluntatem, vel alias potentias operantes actione immanente, primò quia in aliis cauſis propria cauſa diſtinctionis illorum concurſuum non eſt diſtinctio ſubiectorum. Sed hoc à poſteriori eſt ſignum oſtendens euidentiùs diſtinctionem. Ratio autem propria diſtinctionis ex intrinſeca natura vtriuſque concurſus præuij, & ſimultanei ſumenda eſt: talis autem ratio quæcumque fingatur in cauſis agentibus actione tranſeunti, in his etiam quæ agunt actione immanente inuenitur, ſiue hæc ſit, quia vnus concurſus eſt principium alterius, ſiue quia vnus eſt per ſe, & natura ſua à ſola cauſa prima, alius eſt à ſecunda, ſimul cum prima, ſiue quia vnus ita eſt effectus Dei, vt ſit etiam inſtrumentum eius, & applicatio cauſæ ſecundæ ad operationem; alius verò eſt pura actio, vel purus effectus vtriuſque cauſæ. Hæ namque rationes, & ſi quæ aliæ in illa ſententia excogitari poſſunt, non minus in actibus immanentibus, quàm in actionibus tranſeuntibus procedunt; ergo ſi in his ſufficiunt ad diſtinctionem realem, quam ſubiecta diſtincta manifeſtant, etiam in illis ſufficient, quamuis in eodem ſubiecto ſint. In eodem enim ſubiecto facile eſſe poſſunt accidentia realiter diſtincta, ſi aliunde habeant ſufficientem cauſam diſtinctionis.

6. 2. Ingeribus non tenet.

Præterea ſpecialiter idem oſtenditur, quia in actu immanente nulla eſt ratio formalis realis, &c phyſica, niſi vel qualitatis, vel actionis, & paſſionis, ſeu mutationis; alias enim præter has confingere voluntarium eſt. Vnde non ſatis eſt dicere dari in illo actu, ſeu in illa entitate aliam rationem formalem diſtinctam ab his in reipſa, niſi explicetur in quo genere, vel prædicamento ſit talis formalitas, & ad quid ponatur, aliàs qua facultate aſſerta fuerit, eadem contemnetur. An verò in illa ſententia non eſt niſi vna actio qualitatis, v. g. amoris, fidei, vel ſimilis; ergo in ratione qualitatis non poſſunt in illa entitate duæ rationes formales diſtingui quaſi ſpecificè, vt gradus genericos, & ſpecificos omittamus, quia nihil ad rem præſentem faciunt. Neque etiam in illa entitate, vel ad illam qualitatem poſſunt eſſe duæ actiones ex natura rei formaliter diſtinctæ, vna præuia ad actionem creaturæ, quæ ſit à ſolo Deo, alia quæ ſit à cauſa ſecunda. Primò, quia vel hæc poſterior, vt in ſuperioribus fusè probatum eſt, vel eſt ſimul à Deo, & ſic ſuperflua eſt prior actio. Secundò, quia ſi illa actio præuia ſolius Dei terminatur ad illam entitatem, ſeu qualitatem, quam effectiua eſt cauſa ſecunda, iam cauſa ſecunda inuenit factum, quod effectiua eſt, quia priùs natura ſit à ſolo Deo; actio enim, quæ eſt prior natura in ſuo eſſe, & influxu à ſuo agente priùs etiam attingit naturã terminum; ergo ſi actio talis termini priùs natura fluit à ſolo Deo, Deus etiam ſolus priùs facit totum illum terminum, & totaliter, ſeu vt cauſa vnica, diſtinguitur etiam propria efficientia cauſæ ſecundæ, & in actibus immanentibus id habet ſpecialem repugnantiam, quia vitales ſunt; ergo non poſſunt in illa entitate diſtingui in ordine ad eundem terminum duæ actiones formaliter diſtinctæ, neque etiam poteſt concurſus præueniens ſolius Dei eſſe actio tendens ad effectum cauſæ ſecundæ tanquam ad intrinſecum terminum, eo vel maximè quòd tunc non eſſet influxus in cauſam ſecundam, ſed in effectum eius, quia per ſe primò tendit ad ipſum effectum, & non manet in cauſa, vt cauſa efficiens eſt, ſed ſolùm quatenus eſt receptiua ſui effectus.

7. Idem obiectum diuinum diuerſis actionibus immanentibus.

Reſpondent aliqui ibi eſſe duas actiones inter ſe ordinem habentes, quia prior quæ eſt concurſus præuius,

prævius, tendit ad alterum, vt ad terminum, & sic: non distingui vt duas actiones immediatè tendentes ad eundem terminum, seu effectum, vna proxima, illa scilicet, quæ est à causa secunda cum concursu simultaneo Dei, & alia, quæ est à solo Deo mediante prædicta, ad quam proximè vt ad suum intrinsecum terminum tendit. Ita indicat Ledesma dict. art. 7. Sunt autem hæc in primis voluntariè dicta, quia probari non possunt, deinde superflua; tum, quia illa actio, quæ simul est à causa prima, & secunda, sufficit ad productionem sui termini, tum etiam, quia actio non indiget alia actione, qua fiat: nam per se ipsam immediatè egreditur ab agente. Denique videtur etiam impossibile, vt vna actio tanquam terminus ad aliam comparetur, quia actio, vt actio est, semper est via tantum, alioqui si posset esse terminus alterius actionis, idem de priori diceretur, & sic posset in infinitum procedi: non possunt ergo duæ actiones, vt actio, & terminus distingui; igitur distingui non possunt illi duo concursus tanquam duæ actiones realiter identificatæ cum eodem termino, seu effectu, seu cum eadem qualitate; hæc enim omnia in idem recidunt. Vnde etiam concluditur, non distingui tanquam duas passiones, vel mutationes cum eadem proportione, quia vni actioni vna tantum passio respondet, quia sunt vna tendentia secundum diuersos respectus; idemque est de mutatione, quæ sunt in Philosophia vulgaria, & ideo non oportet in eis immorari.

Lessius

9. Ex hoc autem principio, quòd concursus prævius, & cocomitans inter se distinguuntur realiter, aperte concluditur eundem concursum prævium distingui realiter ab actione, & effectu causæ secundæ. quia concursus simultaneus non distinguitur in re ab actione causæ secundæ, vt suprà ostensum est, & actio causæ secundæ non distinguitur à termino, seu effectu eius, vt est vulgare in Philosophia: ergo è conuerso quidquid distinguitur realiter ab hoc concursu simultaneo, distinguitur etiam realiter ab actione, & effectu causæ secundæ, vt per se notum est in rebus creatis. qui discursus, vt dixi, est euidentior in actionibus transeuntibus, sed reuera habet eandem vim in immanentibus, etiam liberis, supponendum ad illas efficiendas dari præmotionem, per quam vel determinetur, vel compleatur, vel applicatur, vel ab alio modo iuuatur potentia, iuxta ea quæ mox subiicimus.

Concluditur destructio realis alterius.

Caput XXXII.

An prævius concursus sit qualitas, vel in quo prædicamento sit.

1. Variæ sententiæ.

Hæc est octaua dubitatio de hoc concursu, in qua explicanda non conueniunt dicti auctores. Nam, vt in superioribus tetigi, solum esse potest quæstio, an sit vera qualitas, vel sit pura motio, nam de aliis prædicamentis nulla potest esse dubitatio. Multi ergo ex defensoribus illius sententiæ dicunt non esse qualitatem, sed puram motionem virtuosam, & quidam illorum dicit esse sententiam expressam. D. Thomæ 1. 2. q. 110. art. 2. At D. Thomas ibi non tractat de concursu prævio, vel comitante, sed generaliter de actuali gratia, quâ distinguit ab habituali, & sic habitus gratiæ vocat qualitates. actum autem gratiæ dicit non esse qualitates vtique à solo Deo factas tanquam formas, quæ sunt principia operandi. quòd autem D. Thomas non loquatur de concursu, & quòd hic sit sensus eius, ex verbis eius ostenditur. *Dupliciter* (inquit,) *ex gratuita Dei voluntate homo adiuuatur, vno modo in quantum anima iuuatur, à Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum: & hoc modo ipse gratuitus Dei effectus non est qualitas, vel motus quidam animi.* Non loquitur ergo D. Thomas de concursu prævio, sed de toto effectu gratuito prout distinguitur ab habitu, & illum dicit D. Thom. non esse qualitatem vtiq; puram, & distinctam ab actuali motu animi: vel non esse qualitatem permanentem, & per modum qualitatis denominantis, sicut de passione dixit Aristoteles in prædicamentis. Alioqui certum est actum immanentem esse veram qualitatem, quod etiam suprà diximus de actibus gratiæ, qui omnes vocantur animi motus, quia non sunt sine actuali influxu, & effectione vitali potentiarum animæ. Et in hoc sensu distinguuntur ab habitibus, quos Deus solus infundit tanquam *formas*, vel *qualitates*, vt D. Thomas ait, quæ sint principia actuum.

1. Variæ sententiæ.

1. Esse puram motionem. D. Thom.

Omissa ergo auctoritate, ratio illorum auctorum prima est, vt euitent incommoda, quæ ex illorum sententia solent inferri. Vnum est, quia si illa motio prævia esset qualitas, vtique esset qualitas actiua, nam ad hoc ponitur vt agat; ergo indigeret motione primi agentis, & isti procederetur in infinitum. Ideoque sistendum est in motione quæ non sit qualitas; ac subinde illa erit pura motio, quæ datur causæ secundæ in actu primo sufficienter constitutæ. Aliud inconueniens est, quia si ille prævius concursus esset per infusionem qualitatis actiuæ, illa esset per modum actus primi, & compleret in homine principium sufficiens actuum conuersionis, vel amoris, & consequenter, qui illam qualitatem non reciperet, non haberet auxilium sufficiens ad operandum, quod in naturalibus est euidenter falsum, & in supernaturalibus ab ipsis etiam non amittitur, qui repugnat sanæ doctrinæ. Tandem argumentantur inductione, quia illa motio non est potentia; nam supponit illam, nec est habitus, quia non separatur ab actuali actione, sicut potest separari habitus, non est dispositio, quia est quasi actus vltimus, non ergo qualitas, sed pura motio. Confirmatur hæc ratio, quia concursus simultaneus non qualitas; ergo nec prævius erit qualitas.

2. Ratione ostenditur, vt vitentur absurdæ alterius opiniones.

2. Id ostendit inductio.

Alij nihilominus eiusdem doctrinæ defensores dicunt, hanc motionem licèt vt est passio quædam in fieri, sit vera motio, in termino intrinseco esse qualitatem, pro qua sententia citat Ledesmam M. Ioannem Vincentium, & alios doctissimos discipulos D. Thomæ; ipse verò variè loquitur, nam in prima conclusione asserit hanc sententiam non esse omnino improbabilem: in secunda dicit, probabilius, & ferè libi certum esse, hoc auxilium prævium non esse qualitatem constituentem voluntatem in vltima consummatione actus primi; postea verò explicando distinctionem dicit, an sit qualitas nec affirmamus, nec negamus in præsenti. Et in concl. 3. iterum ait, hoc auxilium nihil aliud esse, nisi diuinam motionem. At paulò inferiùs dicit secundum probabiliorem sententiam in voluntate, & simili potentia motionem ad actum immanentem esse qualitatem. Itaque licèt neget hanc motionem esse qualitatem constituentem potentiam in actu primo (de quo puncto statim dicam,) absolutè videtur sentire esse qualitatem, quamuis paulo post dicat illam non esse nisi motionem passiuam, & factionem quamdam. quæ omnia ostendunt perplexitatem quamdam, & obscuritatem, in concipienda, & explicanda entitate huius motionis.

3. Sententia esse qualitatem.

Ledesma. Ioan. Vincentius.

Potest nihilominus hęc sententia dupliciter suaderi. Primò à priori: nam hic concursus prævius est res quædam, quam Deus verè, & propriè efficit in causa secunda, v. g. in voluntate; ergo ibi intercenit effectio Dei in causa secunda per mutationem eius; ergo etiam interuenit aliquid factum,

4. Suadetur hæc opinio.

quod non potest esse nisi qualitas. Antecedens supponitur expositione illius sententiæ, asserit enim hunc concursum esse influxum Dei in causam secundam, qui influxus realis est, & non nisi in genere causæ efficientis, vt per se patet, est ergo vera, & realis effectio Dei. Vnde fit euidens prima consequentia, quia non loquimur de effectionis vt ab aliquibus consideratur ad intra in ipso Deo: sic enim cum non sit ipsa volitio Dei, non est motio formalis, sed effectiua, seu principium mouens, de quo nunc non tractamus: loquimur ergo de effectione transeunte siue per modum actione, siue per modum passionis consideretur, & sic necesse est esse actualem motionem, quia per eam voluntas, seu causa secunda aliter se habet, quàm prius, quia actuatur illo influxu Dei, quo antea non actuabatur; interuenit ergo ibi motio quædam. quod nullus illius opinionis sectator negat, vel negare potest, cùm fundamentum eius opinionis potissimum sit, quia causa secunda non mouet, nisi mota.

5. Ex termino illius effectionis, quæ est aliqua qualitas.

Altera verò consequentia probatur facilè, quia non potest intelligi aliqua effectio, quin sit aliquid factum: nec motio sine intrinseco termino, sicut non potest esse via, quæ ad aliquem terminum non tendat, motio enim via quædam est qua passum ab vno termino in alium transmutatur; ergo si concurrus ille præuius est motio Dei, aliquem terminum intrinsecum habere necesse est: ille autem non est ibi neque quantitas, neque substantia: ergo erit aliqua qualitas, quia nihil aliud cogitari potest. Respondet Ledesma terminum proprium, seu proximum illius concursus præuij esse, causam secundam esse præmotam: nam vltimus terminus ad quem tendit, est ipsa operatio, vel effectio causæ secundæ. Sed hæc verba rem non declarant, nec vim rationis eludunt; quia illud esse præmotum vel intelligitur tantùm in ueri, ita vt idem sit, quod esse in actuali præmotione, vel sumitur in facto esse, id est, quòd sit aliquod esse ad quod terminatur illa motio tanquam per eam factum, non tanquam per formalem causam, sed tanquam per viam, vt si dicamus, quòd terminus calefactionis est esse calidum. In priori sensu non terminus illius præmotionis, sed quasi formalis effectus eiusdem significatur. Omnis enim motus dat formaliter mobili actus moueri, seu esse motum, illud tamen est quasi esse formale, quod non est terminus motus, sed quasi formalis effectus eius, vltra quem necesse est terminum assignare, ad quem motus ille tendat; quia dum motus formaliter constituit mobile actu motum, necessarium est vt aliquò illud ducat, & moueat. Sic ergo præmotio hæc si dat causæ secundæ formaliter esse præmotũ, seu actu præmoueri, ad aliquid illam præmouet, distinctum ab ipso præmoueri, tanquam in terminum à via, & de hoc inquirimus, quid esse possit, nisi qualitas aliqua.

Ledesma.

6. Explicatur ille terminus.

Vnde si esse præmotum in altero sensu explicetur, vt significet aliquod esse factum in termino per illam præmotionem, inquirimus quæ sit forma, vel entitas dans illud esse, (seu vt verborum ambiguitas tollatur, quærimus terminum illius præmotionis in abstracto, sicut terminus calefactionis est calor, & illuminationis est lumen. Et ideo in concreto dici potest, terminum esse calidum, vel esse illuminatum: ita ergo si terminus illius præmotionis est esse aliquod ad quod causa est præmota, quærimus formam in abstracto, quæ dat illud esse, quæ sit formalis terminus proximus illius præmotionis & tunc dicimus non posse esse nisi qualitatem, quia in nullo alio prædicamento cogitari potest. Et confirmatur, ac declaratur in hunc modum, quia vel causa secunda est spiritualis, vel corporea: si spiritualis mutari, vel moueri non potest, nisi ad qualitatem, præsertim per mutationem extrinsecus illi aduenientem. Et ita Ledesma ipse fatetur, inuoluntate, & intellectu hoc auxilium efficax esse qualitatem, vt suprà retuli art. 6. concl. 3. Si verò causa sit corporalis, mutatio illa accidentalis est, & non est ad locum, nec ad quantitatem; ergo non potest esse nisi ad qualitatem, quia iuxta doctrinam Philosophi ad alia prædicamenta accidentium non est per se motus, nec mutatio.

Ledesma.

Alij contenti sunt dicendo motionem ipsam esse terminum productum per solam diuinam operationem, vt dixit Aluarez disp. 19. in ration. 3. pro 5. concluſ. Sed non satisfacit, nam quæro, an loquatur de operatione Dei ad extra, vel ad intra. Primum dici non potest, quia illa operatio ad extra, non est nisi ipsa motio, neque motio vt motio potest esse intrinsecus terminus operationis transeuntis. Secundum autem non satisfacit, nam licèt motio facta in causa secunda sit terminus, vel effectus volitionis diuinæ, quæ dicitur volitio ad intra, nihilominus externa illa motio, vt est via quædam, habere debet aliquem terminum per illa factum, vt probatum est. Et amplius declarari, & confirmari potest exemplis, nam in omni alia quasi instrumentali præmotione, quam hinc experimur, proprium terminum præmotionis distinctum ab effectu formali motionis inuenimus, & assignamus, vt in instrumentis artis motus, instrumenti est motus localis, qui semper habet suum proprium terminum, qui est vbi, & in viu, quatenus præmouetur à calore, vt videat, intelligimus aliquam qualitatem illi impressam, quæ est quasi lumen, & instrumentum obiectiuè. Et similiter dum proficitur ante motum localem, intelligimus impressionem impetus tanquam præmotionem quandam, per quam imprimitur impetus, qui est quasi virtus instrumentaria proficientis, & inde docent omnes Philosophi impetum esse qualitatem, quia illa motio præuia aliquem intrinsecum terminum habere debet, qui non est ibi, quia illa impressio est ante motum localem, vnde necessario concludendum debere esse qualitatem, quia nihil aliud esse potest. Nec satisfacit Philosophus respondendo terminum illius præmotionis esse hoc ipsum *esse præmotum*, vel esse fortiter pulsum, sed necesse est vt signet formalem terminum, & formam proximè factam per fortem illum contractum, vt postea fit instrumentum localis motus rei proiectæ. Sic ergo in præsenti vel illa præmotio nulla est, vel certè in proximo, ac intrinseco termino qualitatem aliquam esse necesse est.

Ad 2. Ac motio ipsa fit terminus per diuinam operationem productus. Alnarez.

Secundò principaliter potest hoc suaderi, quia rationes quibus alij contendunt hanc præmotionem non esse qualitatem, vel absolute, probant non esse creatam entitatem, vel nihil probant contra qualitatem. Prima ratio ab inconuenienti erat de processu in infinitum, quia si esset qualitas, indigeret alia præmotione ad agendum. Ac idem sequitur de quacumque entitate creata, quæ sit principium actiuum alterius actionis; nam illa indiget concursu Dei, ac subinde indigebit præmotione, quia est entitas potentialis, & non est suum esse, quæ sunt rationes, propter quas dicitur qualitas creata indigere præmotione. Respondeti solet concursum præuium requiri in omni principio proprio causæ secundæ, non in ipsa præmotione, quæ est instrumentum primæ causæ, quia sicut actio non indiget alia actione, qua fiat, ita nec præmotio alia præmotione, qua fiat, vel ad faciendum applicetur; quia applicando causam secundam applicat se ipsam, vel dum est applicatio alterius, est etiam sui ipsius; sicut quantitas seipsa est quanta. Sed contrà siue hoc sit verum, siue falsum habebit

Diluuntur rationes quibus probatur hanc præmotionem non esse qualitatem. Ad primum.

bebit locum, etiamsi illa præmotio intrinsecè terminetur ad qualitatem, quia illa qualitas dicitur esse quasi transiens, & omnino actualis, quæ per illammet actionem, seu præmotionẽ, qua fit, applicatur etiam virtualiter ad operandum, cum virtute causæ secundæ, vel applicandam illam ad agendum, vel quippiam simile.

9. Ad secundam motionẽ superius illatam. Et ita etiam ad secundum dicetur, quòd licèt hęc prędmotio fit qualitas, non aliter complet vel applicat causam secundam ad agendum, quàm si esset tantum motio, vel è contrario si ex necessitate talis qualitatis sequitur causam secundam carentem aliqua qualitate non esse simpliciter sufficientem ad agendum. Idem certè sequitur si præmotio sit necessaria, & non detur, cuiuscumque rationis, vel entitatis fingatur esse talis prędmotio, quia vt non sit simpliciter sufficiens, satis est, quòd aliquid necessarium ad agendum desit, & non habeatur, neque haberi possit quod argumentum sępius in sequentibus vrgebimus, prędsertim in causis liberis. Nunc autem solum concludimus argumentum illud, non magis probare pręduium concursum non esse qualitatem, quàm non esse aliquam veram entitatem. Inductio verò quę ibi additur, non est integra; nam licèt probet illum concursum non esse habitum, neque passibilem qualitatem permanentem, non probat quasi esse transeuntem qualitatem ad modum impulsus, vel certè si in aliqua causa secunda non creditur possibilis talis qualitas natura sua transiens, quę non sit actus vitalis, vt in spiritualibus est probabile, multo erit impossibilior motio transiens sine vllo termino qui cum illa fit, & transeat.

10. Ad confirmationem. Ad confirmationem autem de concursu simultaneo, facile negabitur consequentia, quia concursus simultaneus est in genere actionis, habętque eundem terminum cum actione causę secundę. Concursus autem pręduius est actio vel passio distincta ab actione causę secundę, & ideo suum terminum habere debet, qui non potest esse nisi qualitas. Et ita supposito tali concursu pręduio, multo probabilius est non consistere in pura motione, vel prędmotione, sed esse talem prędmotionem quę qualitatem aliquam causę secundę imprimat, quod ex dicendis magis confirmabitur.

CAPVT XXXIII.

Virum concursus constituat causam secundam in actu primo, vel compleat virtutem eius ad agendum.

1. Quæstio an hic concursus prædeuius compleat in actu primo causam secundam. IN hoc capite alia duo dicta de hoc concursu tractanda sunt, quę ad totam hanc materiam intelligendam sunt in primis necessaria. Primum, seu nonum in ordine est, an hic concursus prędeuius detur causę secundę ad constituendam illam, vel saltem complendam in actu primo, vel potiùs per modum actus secundi, quod aliter interrogari solet, an ita detur, vt teneat se ex parte causę secundę, eiusque virtutem compleat ad agendum, vel potiùs se teneat ex parte actus secundi, & sit quasi inchoatio eius. In hoc enim puncto valde inter se dissentiunt defensores huius influxus in causam.

2. Opinio affirmat Cabrera. Prima opinio est, hunc concursum tenere se ex parte causę secundę, eiq; dare complementum actus primi, seu virtutis agendi: ita tenet Cabrera dicta quæst. 18. art. 4. disp. 6. dub. 1. n. 59. & hanc sententiam tenet etiam Aluarez locis infrà citandis, eamq; defendere multos doctissimos Thomistas refert Ledesma, & ipse probabilem reputat, pluresque rationes in fauorem eius adducit, quæ non sunt distinctæ ab his, quæ in cap. 27. ad persuadendum hunc concursum prædeuium adduximus. Fundamentum huius sententiæ videtur, quia hic concursus prædeuius datur causæ secundæ in ordine ad actionem, & non est influxus in ipsam actionem causæ secundæ, vt supponitur; ergo est influxus in causam secundam, & actiua est, quia aliàs non daretur in ordine ad actionem; ergo datur illi vt qualitas, vel motio actiua, cùm ad agendum detur; ergo datur per modum actus primi, quia omnis actus, qui non est ipsa actio, vel terminus eius, & ad agendum datur, est actus primus.

Vnde etiam concluditur, per hunc concursum compleri causam secundam in virtute agendi, hæc enim motio non dat causæ secundę totam virtutem proximam, seu intrinsecam actiuam in suo ordine, vt omnes supponunt, & latè probat D. Thomas 3. contra gent. c. 69. & 70. q. 7. de potent. art. 7. nec etiã talis motio dat virtutem causę secundę ad agendũ, aliàs superfluè daretur, & non daretur illi vt qualitas actiua; ergo datur vt formaliter conferat saltem complementum virtutis actiuę. Et confirmatur ex alio fundamento illius sententiæ, quòd causa secũda non habet virtutem principalem, etiam in ordine suo ad dandum suo effectui esse existentiæ, sed p hunc concursum prædeuium recipit virtutem instrumentariam Dei ad dandum esse existentiæ effectui suo; ergo hæc motio constituit causam secundã in actu primo completo ad dandum esse existentiæ, & quoad illam complet virtutem eius. Tandem confirmatur ex D. Thoma 3. contra gent. c. 6. ration. 4. dicente, *Complementum virtutis agendi secundi esse ex virtute agentis primi, idemq; sentit in dicto art. 7. de potent.* 3. Complet etiã in virtute agẽdi D. Thom.

4. Altera opinio negans. Aliorum vero sententia est, hunc concursum prędeuium non esse qualitatem constituentem causam secundam in actu primo, siue dando totam virtutem agendi, siue complendo illam in actu primo consummato, sed solùm esse instrumentariam virtutem Dei applicantis, & mouentis causam secundam ad agendum, hanc opinionem probabiliorẽ, & ferè certa esse iudicat Ledesma suprà, & in disp. de elect. ad glor. dub. 2. §. *ad impugnationẽ*, imò addit eam tenere communiter discipulos D. Thomæ, & alios grauissimos Doctores, & videtur sequi ex his, quæ dicit Aluarez disp. 19. in quarta & quinta probatione tertiæ conclusionis, quamuis idem auctor in eadam disp. ad 2. confirmationem eius, & in disp. 18. ad primum, & in disp. 21. nu. 7. expressè fateatur hoc auxilium prędeuium, seu complementum virtutis operatiuæ actus primi; & non esse actionem causæ secundæ, nec formaliter, nec realiter, sed aliquid prædeuium ad illam. Solùm ergo contendit non esse qualitatem actiuam, seu constituentem, aut complentem actum primum. Ledesma. Aluarez.

Probatur hæc opinio. Probatur autem hæc sententia primò, quia causæ secundæ habent virtutes completas actiuas suorum propriorum effectuum, vt ignis caloris, Sol luminis, habitus charitatis sui actus, & sic de aliis; ergo non indigent cõplemento virtutis, aut actus primi; non ergo ad hoc est necessarius concursus prædeuius. Secundò quia superfluum est multiplicare tot qualitates actiuas, ad hoc vt causa secunda constituatur completè in actu primo. Tertiò, quia aliàs causa secunda sic cõstituta in actu primo per illam qualitatem indigeret alio concursu prædeuio, quò reduceretur de potentia in actum agendum: nam, vt ait D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 1. quantumcumq; causa secunda sit perfecta in actu primo, indiget motione primæ causæ, & ratio est, quia actus primus solùm est in potentia ad actum secundum; ergo causa completa per illam qualitatem, adhuc est tantum in potentia ad agendum; ergo indigebit alio prædeuio concursu, quo actualiter moueatur, & applicetur, vt agat, & sic vel procedetur in infinitum, vel sistendum est in ipso D. Thom.

auxilio prœuio, vt non detur ad complendâ virtutẽ, sed tantum ad applicandam, & mouendam virtutem completam causæ secundæ ad actualem operationem. Quartò, quia aliàs in operibus liberis, præsertim bonis, homo, qui non reciperet hoc cõplementum virtutis actiuæ, non haberet simpliciter potestatem ad agendum, & sic non imputaretur ei non agere, aut non velle, quod dici nõ potest.

5. Vnde inferunt esse aliquod medium in actum primum & secundum.

Et hinc inferunt istum concursum prœuium non tenere se ex parte principij proximi actionis, vel effectus causæ secundæ, neque etiam ex parte actus secundi, seu actionis causæ secundæ, sed esse veluti quoddam medium inter vtrumq; actum. Primum patet, quia quidquid se tenet ex parte principij actiui siue constituendo, siue complendo illud, pertinet ad actum primum, vt cum proportione videre licet in specie visibili, vel in habitu, & similibus; ergo. Secundum satis est in dubio tertio, & sequentibus, quia hic concursus prœuius totus est à solo Deo, & in re est omnino distinctus ab actione, & effectu causæ secundæ, ergo nullo modo pertinere potest intrinsecè ad actum secundum causæ secundæ, ita vt sit aliquid illius, vel eius inchoatio. Et inde concluditur pars tertia, à sufficienti partiũ enumeratione, & explicatur in hunc modum, quia hic concursus, cùm sit vltima motio primæ causæ, partim respicit, & actualiter iuuat actum primum ipsius causæ secundæ, non quidem dando illi vim agendi, sed mouendo illum & actualiter ad opus applicando; ita vt efficaciter illum faciat operari: partim respicit actum secundum, quia cum illo immediatè, & necessariò cõiungitur, & ita est quasi nexus inter actũ primũ, & secundũ, & ideo dicitur quasi mediũ inter illa duo extrema ab vtroq; distinctũ.

6. Et hoc dissidio infertur non esse necessariũ prœuium illum concursum.

Hoc ergo modo inter se pugnant huius prœuij cõcursus defensores, neq; sine merito, nec sine magna rationũ efficacia, vnde (vt ita dicam) inter eos bellum iustũ geritur data hypothesi, de necessitate cõcursus prœuij, in qua inter se cõuenĩũt. Existimo tamen rationib⁹ vtriusq; partis simul sumptis hypothesim illam euerti, & talem præmotionem in causa secunda necessariam non esse sufficienter cõuinci, quia nec actus primus, nec secundus esse potest, nec inter hæc mediũ conuenienter potest cogitari.

7. Huius dubij solutio pendet ex alia quæstione.

Non possumus autem resolutionem huius dubij, discursum ad eam ostendendam necessariũ exactè complere, ac declarare, nisi prius aliud dubium de modo quo talis concursus prœuius ad actionẽ causæ secundæ concurrere cogitatur, vel cogitari potest, expediam. Et ideo de hoc puncto dicam prius, postea ad præcedens reuertar.

8. 1. Quæstio quomodo concurrat ad actionẽ & effectum causæ secundæ.

Decimò ergo inquiritur, an hic concursus prœuius concurrat effectiuè ad actionem, & effectum causæ secundæ, tanquam principium per se, an solùm tanquam conditio necessaria, quæ sit veluti causa per accidens. In quo puncto authores primæ sententiæ tractatæ in præcedenti dubio, aperte supponunt motionem prœuiam per se & propriè efficere cum causa secunda effectum, immediatè & actionem eius, & ideo dicunt dari per modum principij, & actus primi, respectu actionis causæ secundæ. At verò iuxta alteram sententiam ibidem tractatam videtur potiùs dicendum illam prœuiam motionem esse quandam conditionem necessariam ad actionem causæ, & non aliter concurrere propriè, & per se ad illam; ita enim facilè intelligitur, non esse actum primum, nec secundum, sed medium quoddam, quia est conditio, quæ inter illos actus necessariò intercedit.

9. Videtur cõcurrere tantũ per modum conditionis necessariæ.

Deinde potest hoc suaderi. Primò, quia illa præmotio in agentibus ex necessitate naturæ solum requiritur, vt per illam applicetur vltimatè, & quasi intimè causa secunda ad agendum, vt ita moueat mota, quia aliter mouere non potest: applicatio autem agentis ad agendum solùm videtur esse conditio necessaria ad agendum, non principium per se, vt constat in applicatione ignis, & in motibus cœlorum, & instrumentis artis, vel aliis locis, de illis tractando, latè declarauí. Ergo idem dicendum est de illa applicatione, quia non possumus nos iudicare de applicatione illa, quam sensibus non experimur, nisi iuxta illas, quas experimur, nec assertores illius applicationis aliis exemplis illam nobis declarant. Prima ratio quia effectum applicatio adagendum.

10. Secunda tanquam est motio.

Secundò, quia ille prœuius concursus non creditur agere, & influere in effectum causæ secundæ tanquam actio in intrinsecum terminum, nec tanquam forma, quæ det causæ virtutem agendi, sed tantùm per modum motionis; ergo non influit in effectum causæ secundæ tanquam principium per se. Antecedens quoad primam partem necessariò admitti debet à dictis auctoribus, quia ponunt distinctionem realem inter concursum, & actionem causæ secundæ, & saltem in agentibus naturalibus fatentur esse rem indubitatam: actio autem nõ distinguitur realiter ab intrinseco termino, & etiam ipsi fatentur, vt est principium quasi per se notum à Philosophia; ergo ille concursus non influit in actionem causæ secundæ, eo modo, quo actio in terminum intrinsecum. Quoad secundam verò partem supponitur antecedens iuxta opinionem secundâ tractatâ in præcedenti dubio. Consequentia verò probatur, quia non videtur posse intelligi alius modus influendi per se in effectum aliquem, nisi aut per modum principij, aut per modum actionis intimæ, & immediatæ ipsi termino: ergo tertius ille modus per modum motionis solum esse potest per modum causæ per accidens, seu conditionis necessariæ.

11. 3. Hocce pugnat cum perfectione concursus primæ causæ.

Denique non est hoc contra perfectionem influxus, & concursus primæ causæ, quia iuxta istorum auctorum sententiam multis modis influit in actionem causæ secundæ, scilicet, dando virtutem agendi, conseruando illam, applicando illam, & vtendo illa tanquam instrumento ad dandum esse actuale in virtute primæ causæ ex quibus modis primus, & secundus respectu effectus causæ secundæ sunt per accidens. Ergo similiter in tertio modo licèt Deus per se influat in causam secundam per se efficiendo in illa dictam motionem, per quam applicat illam ad agendum, nihilominus respectu actionis, & effectus causæ secundæ poterit illa applicatio esse necessaria tantùm conditio. Nam in quarto includitur concursus per se causæ primæ in effectum causæ secundæ, & ille sufficit, quia ea in vno genere causæ primæ vna sufficit.

12. Aliter nonnulli recentiores tantùm causa per accidens.

Nihilominus Ledesma in suo tractatu docet concursum prœuium concurrere ad operationem causæ secundæ effectiuè tanquam veram causam ipsius, ita habet art. 6. ad 1. Et ad confirmationem sexti argumenti dicit potentiam per habitum eleuatum efficere actum per diuinam motionem, quę causa per est virtus diuina. Et art. 3. concl. 3. expressè dicit concursum prœuium non tantùm requiri, vt conditionem necessariam, sed etiam vt concurrat, & causet ipsam operationem causæ secundæ. Additque illam esse sententiam D. Thomę, & omnium discipulorum eius. Idem repetit art. 11. respondendo ad argumenta in principio. Et in vtroque loco me grauiter reprehendit, quod in Meraph. & lib. 3. de auxil. dixerim aliquos Thomistas ponere illam præmotionem tantùm vt conditionem necessariam. Ledesma. D. Thom.

Quòd autem concurrat illa motio tanquam vera causa efficiens per se necessaria ad operationem causę secundę, ipse non probat, nisi quia vel Deus facit vt causa secunda operetur, vel quia illa motio vocatur influxus Dei, & virtus diuina ad agendum Quomodo probet Ledesma.

dum effectum causæ secundæ, quia verba non significant tantùm conditionem necessariam: sed hæc probatio parum vrget; tum, quia modus ille loquendi, *facit vt faciamus*, longè alium sensum habet in Scriptura & Patribus, vt ostendemus in libro quinto tractando de auxilio gratiæ efficaci, ad quod maximè loquutio illa applicatur; tum etiam, quia iam dixi motionem esse posse per se à Deo mouentem causam secundam, & influere in illam, licet respectu effectus causæ secundæ, motio illa tantum esset necessaria conditio. Quòd autem illa motio sit virtus diuina ad agendum effectum causæ secundæ, affirmatur ab illo auctore, & aliis eiusdem sententiæ, non tamen probatur nisi fortè argumentis factis cap. 27. de quibus postea dicemus. Vnde idem auctor in dicto art. 11. ad argumenta fatetur, præmotionem quantum ad hoc, quod est, prædeterminare causam secundã, solum esse conditionem necessariam, quia non dat (inquit) virtutem & efficaciam ad operationem; vtique secundùm dictam considerationem, licèt sub alia, scilicet, & concurret effectiuè ad ipsum actum, sit causa per se, quod an rectè dictum sit, statim dicam.

Explicatio mioris sententiæ Ledesmæ.

Pergit enim idem auctor, & dicit præmotionem illam vt influit in actionem causæ secundæ, non distingui ab auxilio imbibito in actione causæ secundæ, in quo sibi contradicit, nisi intelligat influxum emanantem ab illo concursu præuio non distingui ab actione creaturæ, quod verum est: ab ipso autem concursu præuio necesse est realiter distingui, vt suprà probatum est, ideóque dici non potest concursum imbibitum, v.g. in actu charitatis, non distingui ab auxilio præuio prædeterminante, sicut non potest dici non distingui ab habitu charitatis, vel à voluntate, vel à Deo, nam vnus, & idem est cum habitudine ad omnes illas causas, seu principia. quæ omnia ideo aduerto, quia declarant satis quàm obscura, & implicata sit hæc sententia, cùm illius defensores, nec satis illam explicare, nec iuxta illam satis consequẽnter loqui valeant. Vnde dictus auctor suprà concludit, *hoc esse obscurum mysterium fidei, quod est intellectui difficillimum.* In quo tacitè censuram adhiber, supponens sententiam suam ad fidei dogmata, & mysteria pertinere. Nos autem inter fidei mysteria hoc non agnoscimus, maximè in generali puncto de concursu præuio omnibus causis secundis necessario, quod punctum merè Philosophicum est, & nullius mysterij fidei est fundamentum, & explicandum est, vt admitti debeat.

13. Magis consequenter dicitur illam præmotionem concurrere effectiuè.

In hoc ergo posteriori puncto suppositâ necessitate præuij influxus in causam, mihi videntur probabilius, & magis consequenter loqui qui affirmant præmotionem illam effectiuè, & per se concurrere ad actionem causæ secundæ. Moueor præcipuè, quia remota causalitate per se, nullam video probabilem necessitatem talis conditionis; nec quomodo intelligi, aut explicari possit, nedum suaderi. In quo aduerto hoc nomen conditionis, sine qua non, generale esse posse, & speciale. Non potest explicari necessitas illius cõditionis, quã prima sententia affebat. generaliter loquendo omne principium necessariũ ad actionem etiam, si per se influat in illam, potest dici conditio necessaria, vt lumen, vel species ad videndum, & calor in aqua, dicetur etiam conditio necessaria ad calefaciendum, quia nomẽ conditionis de se est quasi transcendentale, quod de omni qualitate, proprietate, vel circumstantia dici potest; ergo in illa generali significatione, quidquid est necessarium ad actionem, potest dici conditio necessaria, seu, quod idem est, conditio sine qua non. Aliter tamen communi vsu Philosophorum, ac subinde propria significatione philosophica conditio sine qua non, habet specialem significationem, dicitúrque quasi priuatiuè de tali conditione, quæ cùm necessaria sit, per se tamen non influit in effectum. Vnde quoties aliqua forma, vel entitas est necessaria ad effectum propter causalitatem per se, quam in illum habet, non dicitur propriè conditio sine qua non. Et in hac significatione calor non dicitur conditio sine qua non calefacit aqua, sed dicitur esse principium per se calefactionis, sine qua aqua non potest calefacere. Nec in calore potest distingui duplex ratio, vna sub qua sit conditio sine qua non, in dicta proprietate, & alia in qua sit principium per se influens in calidum, quia tota necessitas eius est propter actiuitatem, quam per se habet: potest tamen in illo distingui duplex causalitas, vna formalis respectu aquæ, altera effectiua respectu alterius caloris, sub neutra tamen dicitur propriè conditio sine qua non, respectu calefactionis manentis, postea ab aqua calida, quia calor illam informans est illi necessarius, non vt quæcumque conditio, sed vt principium per se influens in talem calefactionem. Imò nec prior calefactio per quam aqua fuit calefacta, potest dici propriè conditio necessaria ad posteriorem ab aqua calida manantem, sed est via qua principium calefaciendi acquiritur, neque habet aliam rationem conditionis necessariæ.

14. Quod explicatur amplius in calore aquę calefaciẽtis.

Sic ergo in proposito cum proportione philosophandum censeo, nam si calor aquæ indiget noua præmotione Dei ad calefaciendum lignum, ipsa præmotio considerari potest, vel respectu caloris aquæ, in quo subiectatur, vel respectu calefactionis ligni. Nam priori modo formaliter afficit calorem, seu aquam, vt calidam, & denominat illam motam, vel vltimatè actuatam, vel aliquid eiusmodi. Imò in hac etiam prima habitudine potest influxus ille considerari, vt est in fieri, & vt sic est mutatio quædam, & dicetur propria præmotio aquæ; consequenter verò etiam habet aliquem terminum factum suo modo, iuxta dicta in dub. 6. & sic est qualitas efficiens, & dans calori certum formalem effectum nobis innominatum, quia ignotus est secundùm propriam rationem, & ideo generaliter denominabit præmotam applicatam, vel alio simili modo, vt dixi. At verò respectu calefactionis manantis ab aqua calida, præmotio illa habet habitudinem causæ efficientis, seu principij necessarij, vt aqua calida actu calefaciat, iuxta illam sententiam.

15. Idem applicatur in hoc casu actionis causæ secundę.

Dico ergo præmotionem illam secundùm hanc posteriorem habitudinem non posse habere connexionem necessariam cum actione causæ secundæ, nisi sit necessaria ad per se influendum in illam. Quia si talis præmotio sub priori ratione consideretur, nimirum, vt formaliter afficit, vel immutat causam secundam, non potest esse illi necessaria ad agendum, nisi talis præmotio sit etiam effectrix propriè, & per se actionis causæ secundæ, & propter talem efficientiam ad effectum causæ secundæ sit necessaria. Nam secluſa hac habitudine, nulla ratio necessitatis in tali præmotione respectu actionis causæ secundæ cogitari potest; non est enim satis dicere esse conditionem necessariam, nisi necessitas illa declaretur, eiusque ratio aliqua proferatur, quod hactenus à nullo defensore illius opinionis factum inuenio. Et nisi fallor, hoc probat efficaciter discursus à me factus in lib. 1. de Auxil. cap. 6. vbi ostendi nec per nomen applicationis, nec præmotionis, aut excitationis talem conditionem, aut necessitatem eius explicari posse. Solùm inuenio datum esse postea distinctionem de duplici applicatione, vna est extrinseca, quæ in corporibus fit per localem propinquitatem cum ablatione sensibilium impedimentorum: in potentiis verò animæ fit per obiecti propositionem, aut cogitationem, & de hac dicuntur procedere

dere omnia, quæ de applicatione ibi dixi, quia propter illam non ponitur esse necessaria hæc præmotio primæ causæ. Alia verò applicatio dicitur intrinseca, & quasi immediata inter facultatem actiuam, & actionem suam, & hæc dicitur necessaria omnibus causis secundis prius natura, quàm eliciant actionem suam, & solum fieri posse à causa prima.

16. Quomodo intelligēda sit applicatio ad agendum.

Verumtamen si propriè de applicatione physica, & reali loquamur, non intelligitur propriè nisi inter res existentes: ad rem autem futuram non fit, nisi per propositum, vel destinationem animi. Applicatio ergo causæ secundæ in actu primo constitutæ ad actionem suam, si intelligatur esse tamquam ad rem iam existentē, non fit nisi agendo, ac subinde eliciendo actionē ipsam, ideóque formaliter non fit, nisi per actionem ipsam, hæc per seipsam fit, in quo eius esse consistit, & ideo sicut ipsa non applicatur agenti (vt ita dicam) nisi per seipsam, vel per immediatam habitudinem ad illud. Ita è conuerso agens non applicatur hoc modo ad agendum, seu ad actionem, vt existentem, nisi per illāmet, vtiq; eliciendo illam. Si verò applicatio intelligatur ad actionem vt futuram in tempore, vel saltem ordine naturæ, tunc suppositā omni applicatione passi, vel obiecti, quæ vocatur extrinseca, nulla alia applicatio media physica, & propria necessariò intercedens inter principium agendi, & actionem intelligi potest, sed tantùm moralis per animi propositum, vel destinationem, quæ habet tantùm locum in his potentiis animæ, quæ habent inter se naturalem subordinationem ratione cuius vna imperat alteri, seu mouet, & applicat illam ad proprium actum. qui modus applicationis non solet fieri per impressionem alicuius, vel motionis factæ in potentia inferiori mota, sed solùm per naturalem subordinationem, vel sympathiam ad potentiam superiorem mouentem. Igitur talis applicationis modus non potest cum proprietate, & veritate attribui illi motioni præuiæ, quam Deus imprimere dicitur omni causæ secundæ. Solùm ergo per quandam analogiam, & imitationem poterit dici applicatio, quatenus sine tali præmotione non potest talis potentia agere; in illa verò posita statim quasi necessitate quadam actionem suam elicit. Hæc autem tam necessaria connexio intelligi non potest in tali præmotione, nisi propter aliquam vim, & efficaciam propriam, ac per se, quam habeat in actionem causæ secundæ in quam necessariò influat, & à qua ipsa actio causæ secundæ essentialiter pendeat: nam si hæc secludatur, tanta necessitas talis conditionis sine fundamento affirmabitur. Meritò ergo qui talem præmotionem requirunt, hanc causalitatem illi attribuunt.

17. Hinc sequitur hoc auxilium esse actum primum.

Ex hac verò resolutione intulerunt auctores allegati pro priori sententia dubij noni, auxilium hoc præuium esse actum primum, vel complementum actus primi, saltem per modum cuiusdā formæ complentis vim actiuam necessariam ex parte facultatis creatæ ad eliciendum actionem suam, & producendum effectum, quę consequutio videtur mihi planè euidens, ac necessaria. Probatur per partes singulas. Nam in primis illud auxilium est actus quidam efficiens, & informans potentiam causæ secundæ, nam est ostensum esse debere aliquam qualitatem, & quamuis negetur esse qualitas, & vocetur motio, nihilominus negari non potest, quin sit actus entis in potentia, nam hæc est de ratione omnis motus, vel mutationis. Item ille actus recipitur in facultate causæ secundæ tanquam in potentia purè passiua respectu talis auxilij; ergo è contrario auxilium illud imprimitur tali potentiæ tanquam actus illius, non imprimitur autem causæ secundæ tanquam actus secundus eius, nec tanquam inchoatio actus secundi; ergo imprimitur vt actus primus, vel complementum actus primi. Antecedens probatur, quia actus secundus causę secnndę efficientis est ab illa effectiuè: iste autem actus præmotionis non est effectiuè à causa secunda, vt iam inter nos conuenit. Et eadem ratione non potest esse inchoatio actus secundi, quia inchoatio actus secundi aliquid est ipsius actus secundi; ergo est aliquid actionis causæ secundæ; ergo est effectiue à causa secunda. Denique causa secunda sicut facit, ita etiam inchoat actionem suam, & donec intelligatur actu influere, non intelligitur inchoare actum secundum. Motio autem præuia præcedere dicitur ordine naturæ actualem influxum causæ secundæ; ergo nullo modo est actus secundus; vel inchoatio eius. Prima verò consequentia probatur, quia actus actuans potentiam adæquatè diuiditur in actum primum, & secundum, quia nec datur actus tertius, nec prior primo, nec inter primum, & secundum potest cogitari medium, sub actu primo omne complementum eius, & sub actu secundo omnem inchoationem eius comprehendendo. Cum ergo illa præmotio sit actus causam secundam actuans, & formaliter eam reducens de potentia in actum, & non reducat illam formaliter in actum secundum, vel inchoationem eius, necesse est vt ad actum primum pertineat. Et quia in causa secunda supponitur virtus aliqua actiua quæ est quasi connaturalis, & intrinsecus primus actus eius, necesse est vt ille præuius concursus sit complementum actus primi. quod tandem his verbis concedit Aluarez disp. 18. n. 12. & 18. & D. Thomæ & Thomistis id tribuit. *Aluarez.*

18. Sequitur causam habentem connaturalem virtutem agendi necessariam ad talem effectum producendum, vel talem actionem eliciendam, sed talem virtutem compleri per illud additum, quod per id præuium concursum illo adiungitur. Probatur ex principiis auctorum eorundem, qui secundum sententiam contrariam dubio præcedenti propositam defendunt. Primum est, quod potentia actiua causæ præcisè spectata adhuc est in potentia passiua, & receptiua illius additi, seu motionis, vt dubio 4. visum est; ergo recipitur in illa per modum actus primi, & præuij ad secundum. Declaratur à simili in oculo, nam quia visus de se est in potentia ad speciem, ideo sine specie est incompleta virtus, & actus primus videndi: ita ergo omnis virtus actiua propria causæ secundæ de se, & ante illum concursum præuium non est in actu primo completo ad agendum, ac proinde non habet integram, & completam virtutem actiuam, sed motionem illam complet. Ergo sola facultas causæ secundæ sine tali principio non est completa virtus actiua. Secundum principium est potentiam actiuam causæ secundę non esse in actualitate perfecta, & ideo necessarium esse hunc præuium influxum in ipsam causam, vt per illum suppleatur defectus actualitatis eius; ergo talis potentia ex defectu actualitatis habet etiam defectum virtutis actiuæ, & illum supplet præuia motio actuando amplius ipsam potentiam; ergo actuat illam complendo actualitatem, quia illa actuatio tota est ad agendum, nec defectus virtutis actiuę aliter suppletur, quàm addendo, & complendo virtutem agendi. Tertium principium est, quia causa secunda non habet proportionatam virtutem actiuam ad dandum esse existentiæ suo effectui, & ideo indiget hac præmotione; ergo hæc motio simpliciter complet virtutem actiuum causæ secundæ. Probatur consequen-

sequentia, quia nulla efficientia esse potest, nisi per illam educatur aliquid de non esse ad esse; ergo virtus quæ non est completa ad dandum esse, non est completa ad efficiendum, & consequenter motio illa vel qualitas, aut entitas per quam actiuitas existentiæ tribuitur, magnum complementum virtutis confert causæ secundæ ad efficiendum.

19. Aliõ often dicur ex dictis illorum auctorum. Ledesma.

Quartò ex aliis locutionibus eorundem auctorem idem conuincitur. Dicunt enim voluntatem, v. g. per hanc motionem efficere actum suum amoris; vel alium similem. Ita fatetur Ledesma art. 3. concl. 6. dicens, per hanc motionem causam secundam applicari ad operandum, & producere actum secundum, & idem repetit de voluntate art. 6. concl. 3. vbi duo coniunguntur, scilicet applicari, & producere, quæ non possunt eodem modo fieri ab illa motione: nam applicari fit ab illa sola, & voluntas, vel causa secunda in hoc dicitur se habere passiuè. Vnde illud applicari intelligendum videtur formaliter respectu motionis, nam Deus solus dicitur applicare causam secundam ad operationem: applicat autem imprimendo illam motionem; ipsa ergo motio est per quam causa secunda formaliter applicatur. Aliud verò, scilicet, *operari* est actiuè à voluntate, & à causa secunda; ergo cùm dicitur operari per illam motionem, necesse est illud intelligi in genere causæ efficientis; ergo operatur voluntas per illam motionem tamquam per quoddam principium formale operandi, siue illud sit principale, siue instrumentale, siue integrum, siue partiale. Ergo tale principium dat voluntati virtutem aliquam agendi, aut saltem complementum eius.

20. Alij loquẽdi modi idẽ confirmant.

Et hoc confirmant alij modi loquendi eorumdem auctorum, vocant enim hunc præuium concursum *motionem virtuosam*, vtiq; ad agendũ, & tota illa virtus tribuitur causæ secundæ, vt per illam agat, & tamquam necessaria illi ad agendum; ergo complet virtutem eius. Quid enim est complementum virtutis, nisi additio virtutis per se actiuæ, sine qua fieri non potest, vt præexistens virtus aliquid agat? *Et similiter vocant hanc motionem, virtutẽ instrumẽtalem primæ causæ, & ad dandum esse effectui causæ secundæ*; virtus autẽ instrumentalis actus primus est respectu authoris actionis, & præsertim vbi talis virtus est qualitas, vt videre licet in semine, & calore vitali, & multi eodẽ modo loquuntur de specie impressa. Ostensum autem est hanc motionem esse qualitatem, & debere esse actiuã, & dari causæ secundę, vt necessariam ad suum effectum, & ad suam actionem, & inchoationem eius. Quomodo ergo potest consequenter negari quin talis motio, vel qualitas compleat virtutem agendi causæ secundæ, cùm det illi virtutem saltem instrumentariam necessariam ad actionem suam. Vnde tandem ipsimet auctores ita loquuntur, vt dicant Deum præmouendo causas secundas, illas applicare ad operandum eisque tribuere complementum virtutis actiuę, vt expressè loquitur Aluarez disput. 19. concluſ. 3. §. *Confirmatur*, & disput. 18. num. 12. & verbis æquiualentibus id tradit Ledesma art. 5. concl. 2. dicens, hanc motionem esse principium intrinsecum operationis formaliter inhærens creaturæ, vel voluntati creatæ. Quid enim potest esse principium formale operationis, nisi virtus operandi? aut quomodo potest esse principium intrinsecum, & inhærens, quin det subiecto virtutem operandi. Verum est illum auctorem statim ita explicare dictã assertionem, vt illam distruere videatur; sed hæc ipsa perplexitas difficultatem doctrinæ atteſtatur.

Aluarez. *Ledesma.*

21. Idem proba gumentum ad hominem ex alio principio de gratia tur ex gratia efficaci, quod pro constanti habent dicti auctores,

Quintò videtur quidem sumi efficacissimum argumentum ad hominem ex alio principio de gratia efficaci, quod pro constanti habent dicti auctores, putant enim gratiam efficacem consistere in hoc præuio influxu causæ primæ in secundam eleuato ad ordinem gratiæ, & ad actus supernaturales, & nihilominus tribuunt illi auxilio, quod dat vires efficacissimas voluntati illi accommodantes hæc verba, & alia similia Augustini, multo autem magis est dare vires efficacissimas, quàm cõplere virtutem agendi, nam illæ vires sunt ad agendum, & ita constituit voluntatem in actu primo: nam actus secundus non dat vires agendi, sed per vires agendi fit. Vnde Ledesma art. 5. concl. 2. ratione 4. dicit auxilium efficax efficere in nobis multas operationes supernaturales dilectionis, contritionis, & Deum per illum, & per voluntatem illas efficere, & dicit hoc esse certum secundum fidem, quia voluntas cum illo auxilio concurrit ad operationem; ergo necesse est vt fateatur auxilium habere etiam propriam vim efficiendi illas operationes, & illam communicare voluntati cui inhęret; ergo ex voluntate & illo auxilio completur vnum integrum principium talis operationis.

efficacia gumẽto hominem

Ledesma.

22. Maximè voluntate agente sine habitu infuso.

Maximè verò vrget hoc principium in voluntate, quando elicit hos actus supernaturales sine habitu infuso, vel alio principio intrinseco supernaturali inhærente; docent enim dicti authores tunc solum auxilium præuium, & efficax esse principium intrinsecum totale, per quod voluntas efficit tales actus, & illam motionem virtuosam supplere totam actiuitatem habitus infusi. Ergo tunc saltẽ negare non possunt, quin motio illa sit actus primus, & det voluntati virtutem agendi: nam supponunt voluntatem non posse eleuari ad eliciendos huiusmodi actus, quin prius natura constituatur in actu primo, per aliquam entitatem creatam sibi inhærentem, quæ sit illi principium formale, imò & principale, & tota virtus agendi talem effectum, vt suprà visum est. Ergo ille concursus est talis actus primus in illo casu; ergo semper est talis, quia ab eisdem supponitur semper esse idem, eiusdemque rationis; ergo semper actuat eodem modo saltem quoad effectum formalem, quem per se tribuit potentiæ; ergo semper est actus primus, & dat potentiæ virtutem agendi.

23. Hinc infertur 1. reputgnantia in dictis auctorum illorũ. *Ledesma.*

Ex quo infero primò inueniri repugnantiam in aliquibus dictis illorum authorum, quam notare oportet, quoniam ad confirmationem nostræ sententiæ multum conferet. Primum igitur Ledesma art. 6 concl. 2. in fine quartæ probationis, dicit, implicare auxilium præuium efficax concurrere in ratione principij effectiui, & vt applicat ipsum principium effectiuum, qui aliàs idem applicaret seipsum, & simul esset actus primus, secundus, & simul esset in actu & potentia secundùm idem; paulo verò pòst in quodam notabili post tertiam conclusionem dicit, quando voluntas operatur sine habitu infuso per solum auxiliũ efficax, tunc illud auxilium simul habere rationem principij actiui, & actus primi, & applicationis, seu motionis voluntatis. Quomodo ergo ista cohærent? nam id quod implicat, numquam fieri potest. Nam idem applicare seipsum, & simul esse actus secundus, & in actu, & potentia secundùm idem. Quòd si hæc verè sequuntur, & repugnat, non magis coniungi poterunt in illa præmotione, quando datur non habenti habitum, quàm cùm datur habenti, cum supponatur motio in vtroque casu esse eiusdem rationis; parumque refert quòd voluntas non habeat alium actum primum, quando caret habitu, quia posset suppleri per aliam qualitatem, vel entitatem ab auxilio illo efficaci distinctam, si repugnaret illud auxilium esse actum primũ, & virtutem operatiuam.

24. Explic. implica

Veritas autem est, illam implicationem nullius momenti esse, quia sicut quando potentia non habet habitum, auxiliũ illud est principium effecti-

quam ſtatuebat Ledeſma.

uum, & ſeipſum applicat ad agendum, & id non repugnat, quia ſi illud *applicare* nihil aliud eſt, quã agere: ita ſi illud auxilium datur potentiæ operanti per habitum, ſimul eſſe poterit principium agendi, vel coagendi cum habitu, & ſeipſum applicans ad talem actionem. Vnde, vt ſuprà vidimus, in aliis locis fatetur idem author vniuerſaliter, tale auxilium, vel concurſum prꝫuium eſſe cauſam efficientem, & principium agendi, vt iam retuli. Deinde ſicut in vno caſu non eſt actus ſecundus, ſed illum facit, & ab illo realiter diſtinguitur, ita quando cum habitu operatur, non eſt actus ſecundus, propter eamdem rationem. Ac denique ſicut tale auxilium operando ſine habitu non fit in actu, & potentia ſecundùm idem, ita nec cum illo operando, quia cum tali auxilio, ſiue cum habitu, ſiue abſque illo, numquam ſeparatur ab operatione; nunquam eſt in reipſa in potentia agendi, ſed ſemper actu agens. Quod ſi præcisè ſpectetur vt eſt prius natura, quàm eius actio, ſic etiam in neutro caſu eſt tale auxilium in potentia receptiua, quia non eſt capax alterius præmotionis, vel applicationis, ne procedatur in infinitum: in neutroque autem caſu eſt per modum potentiæ, vel virtutis actiuæ, quatenus eſt principium agendi.

25. 2. Repugnãtia, quum dicant hũc concurſum eſſe cauſam effectiuam actionis, & tamen negent dare poſſe agere.

Altera repugnantia eſt, quia fatentur hi Doctores, hanc motionem prꝫuiam eſſe veram, & per ſe efficientem cauſam actionis, & effectus cauſæ ſecundæ, & negant dare poſſe agere, ſed tantum agere, vtrumque enim paſsim in eis legitur, vt patet ex locis in hoc capite allegatis. Quòd autem illa inter ſe pugnant facilè oſtenditur: nam illud auxilium eſt vera cauſa efficiens, & non vt agens quod; ergo vt principium quo efficiendi, ſed omne principiũ quod dat ſuppoſito operanti poteſtatẽ agendi; ergo etiam hæc motio dat poſſe operari. Et confirmatur, nam in illo caſu quo voluntas ſupernaturaliter operatur ſine habitu, ipſi fatentur hoc auxilium dare voluntati poteſtatem operandi quam daret habitus ſi adeſſet; ergo eamdem dat voluntati habenti habitum, quia eſt eadem facultas, & motio, vel ſaltem com plebit poſſe, dando vim ſpecialem agendi, quam non dat habitus. Præterea cùm dicitur hoc auxilium dare agere, vel intelligitur dare effectiuè, vel formaliter. In priori ſenſu verum eſt, tamen inde ſequitur dare etiam aliquod poſſe, quia nulla qualitas, vel entitas dat ſuppoſito effectiuè agere, niſi in quantum dat illi virtutem agendi, per quam virtutem recipit ſuppoſitum poteſtatem agendi aliquid, quod antea non poterat, vel ſaltem agendi illud nouo modo. Si verò illa propoſitio in alio ſenſu formali intelligatur, in rigore, & proprietate falſa eſt, quia nulla forma dat formaliter agere alicui ſuppoſito, niſi actio, quia ab actione agens formaliter denominatur agens, & nihil aliud eſt agere, niſi eſſe agens, ſeu actionem emittere. Illud autem auxilium non eſt actio eius in quo recipitur, quia ab illo non fit, vt ſuprà viſum eſt, & iidem auctores fatentur; ergo non conſtituit illum formaliter agentem, ergo nec dat formaliter agere. Quòd ſi latiori modo dicatur, dare agere, quia numquam datur talis motio, quin ſequatur ipſum agere, inde fit, vt ſolùm det agere efficienter, quia non aliter ſequitur agere ex tali motione, niſi efficiendo, & emittendo actionem ſimul cum cauſa ſecunda, & quaſi trahendo illam, vt ſecum agat. Et ideo per hoc non tollitur quin vt det agere, & poſſe agere, quia illa conſecutio non eſt ſine ordine naturæ, & prius quàm ex tali auxilio ſequatur agere afficit formaliter potentiam, & dat illi ſuam vim actiuam, quam vocamus potentiam agendi, vel ſaltem complementum virtutis, aut poteſtatis, ſicut eſt ſpecies viſibilis in oculo, & aliæ ſimiles.

Tertiam repugnantiam in eo inuenio, quòd interdũ dicti authores, præſertim Ledeſma, vt ſuprà allegaui, motionem prꝫuiam, & concurſum ſimultaneum (quem imbibitum in actione cauſæ ſecundæ vocant) in duobus æquiparant, quæ ſimul cum proprietatibus illorum auxiliorum ſubſiſtere non poſſunt. Primò in hoc quòd concurſus ſimultaneus ſicut non eſt qualitas, ita nec prꝫuius, indicando etiam in re eſſe idem, de quo ſuprà dixi. Sed illud præmitto, quia hinc inferunt, quòd ſicut concurſus concomitans non complet, & conſummat actum primum in cauſa ſecunda, ita neque motio prꝫuia. Hæc autem æquiparatio deſtruit rationem auxilij prꝫuij: nam inde ſequitur non habere veram rationem principij efficientis, ſed eſſe meram actionem, ac proinde non habere vnde diſtinguatur ab auxilio ſimultaneo, quia illud etiam tantum eſt actio, & ſuperfluum eſt tot multiplicare actiones tendentes ad eundem terminum. Quòd ſi ſunt duæ, & vna ſola eſt à cauſa prima, alia verò à cauſa ſecunda, ſimul cum prima, & iſtæ habent ordinem cauſalitatis, & naturæ; ita vt illa ſit prior, hęc poſterior. Illa profectò quæ eſt prior, habet etiam priorem terminum intrinſecum, & ille poterit eſſe qualitas, & illa erit principium ſecundæ actionis, & conſequenter poterit complere actum primum in cauſa ſecunda. Illa ergo æquiparatio deſtruit ſententiam illam.

26. 3 Repugnãtia in comparatione concurſus prꝫuij & ſimultanei.

Quarto repugnare mihi videtur, quod ſæpe dicunt, hunc concurſum prꝫuium eſſe veram cauſam efficientem effectus, & actionis cauſę ſecundæ, & nihilominus, non ſolùm negant eſſe actum primum, ſed etiam interdum negant complere actum primum, præſertim Ledeſma locis ſuprà citatis. Et è conuerſo affirmant, hoc prꝫuium auxilium vel eſſe medium inter actum primum, & ſecundũ, vel magis ad actum ſecundum, quàm ad primum pertinere. Aut enim intelligunt pertinere ad actum ſecundum formaliter, vel realiter, ſeu identicè, vel cauſaliter. Primum impugnatum iam eſt, & planè repugnat cũ cauſalitate effectiua, talis auxilij, quia cauſa eliciens, ſeu ſuf ciens actum ſecundum, non eſt actus ſecundus, ſed finis eius. Nec etiam identicè, ſeu realiter illud auxilium eſt actus ſecundus, quia oſtenſum eſt diſtingui realiter ab actione in media qua conſiſtit, vel per quam inchoatur actus ſecundus. Si autem dicatur eſſe actus ſecundus tantum cauſaliter, hoc nihil eſt, quia hoc modo etiam ſpecies viſibilis, vel lumen gloriæ dici poterit actus ſecundus, valde tamen abuſiuè, & ſolùm ad eludendas difficultates, non ad rem declarandam.

27. 4 Repugnãtia quòd dicant hunc concurſum eſſe cauſam efficientẽ actionis, & effectus, non tamen complere effectum ſecundum, aut aliquid in medium

Dicent fortaſſe pertinere ad actum ſecundum, quia nunquam ab illo ſeparatur, & quia facit facere efficaciter, ſed non ſatisfacit, quia vtrumq; etiam habet lumen glorię: nam in primis numquam ſeparatur à viſione. Dices ita eſſe de potentia ordinaria, de potentia tamẽ abſoluta poſſe ſeparari, quod non poteſt dici de auxilio efficaci. Sed forte hoc poſterius falſum eſt, vt ſtatim oſtendam: & licet eſſet verum de ſeparatione in duratione temporis, ſatis eſt quod ordine naturæ prꝫintelligatur tale auxilium ſine toto actu ſecũdo, & quoad totã actionem, & realitatem eius, nam ſimili modo lumẽ gloriæ facit efficaciter videre Deum. Dices id etiam facere per auxilium prꝫuium illi additum, ſed hoc ipſum eſt, de quo controuertitur. Et prꝫterea illo dato illud auxiliũ non facit facere, quia ipſe fit actu ſecundus, ſed propter ſingularem efficaciam quam habere dicitur circa ipſum facere, id eſt, circa actionem, ſeu actum ſecundum cauſæ creatę. Vnde ſi illud auxilium prꝫcisè conſideretur, quatenus perſe ipſum actuat, & informat potentiam actiuã cauſę ſecundę, non conſtituit illam in actu ſecundo, quia non conſtituit illam formaliter operantem, ſed cõſtituit vltimatè applicatam, ſeu motam vel actuatam

31. Solutio prima.

tam ad agendum, quod totum reuera pertinet ad actum primum completum, quia tunc in illa causa sic constituta nondum est inchoatus actus secundus. In hoc ergo sensu illud auxilium non facit facere, si verbum illud *facere*, sumatur formaliter, seu in genere causę formalis; si verò sumatur effectiuè, etiam in illo priori, non facit facere in actu secundo, quia vt sic nondum facit; ergo ad summum dici potest, quod facit facere, quia ita actuat potentiam, vt ex illo ineuitabiliter sequatur ipsum facere, quod non est contra, vel extra rationem actus primi completi, vt ostensum est.

19 Contra medium illud inter actum primum, & secundum. *Ledesma.*

Nec etiam oportet fingere modum inter actum primum, & secundum, tum quia, vt suprà probaui, repugnat immediationi talium actuum inter se, & rationibus formalibus eorum, quia totum id quod supponitur ad actionem tanquam principiū eius, pertinet ad actum primum. Vnde Ledesma in dicta quæstione vnica in principio, fundamento 3. sic describit hanc motionem Dei. *Est vis quædam actiua in ipsa voluntate recepta, qua mediante voluntas exit in actum secundum*, quæ descriptio apertissimè conuenit in actum primum, & condistinguit omnino tale auxilium ab actu secundo. Ideoque non rectè consonat, quod idem author eadem quæstione art. 6. §. *Aduertendum*. Ante quintam conclusionem dicit, Auxilium hoc est velut medium, & tenet se aliquo modo ex parte potentiæ, & simpliciter reducitur ad actum secundum, & est initium actus secundi. Quomodo enim potest esse actus secundus, vel initium actus secundi, si est vis actiua, per quā voluntas efficit actum secundum? Nam si per initium intelligat actiuum principium proximum actionis, & necessariò influens in illam, totum hoc pertinet ad actum primum, & omnino realiter, & formaliter distinguitur à toto actu secundo, vt probaui. Si autem loquatur de initio aliquo intrinseco ipsius actus secundi, vt iam est in fieri, sic impossibile est vim agendi ex parte potentiæ esse totale initium actus secundi, cùm sit causa effectiua eius; non ergo oportet verbis incertis aut nouis vti, sed ingenuè fateri hoc auxilium esse actum primum, vel quasi partem eius. Possumusque non sine causa hos patres redarguere, quod alibi grauiter reprehendant Molinam, quod scientiam quamdam Dei mediam appellauerit, quia nemo illam antea ita vocauit, quamuis res ipsa non esset antea ignorata; ipsi verò nunc introducere velint actum medium inter primum & secundum, quem antiqui, neque ita nominauerunt, nec agnouerunt.

30. Omnia quę probè hi conuellūtur, pro eo quòd omnes rationes quibus isti authores contendunt suadere hunc concursum non esse qualitatem completam, actiuitatem, seu virtutem, vel actum primum causæ secundæ, probant non esse entitatē aliquam necessariam causæ secundæ ad agendum, siue sub nomine qualitatis, siue motionis virtuosę, siue instrumentarię virtutis significetur. Et ideò dixi in fine dubij 9. argumenta vtriusq; opinionis ibi receptæ simul sumpta probare hunc præuium influxum non esse necessarium, nimirum concludo argumentum hoc modo. Si præuius concursus esset necessarius maximè ad concurrendum effectiuè, & per se cum causa secunda præmouendo illam: sed hoc modo, seu titulo non est necessarius; ergo absolutè necessarius non est. In Maiori conueniunt omnes defensores talis concursus, vt Ledesma suprà allegatus testatur. Minor autem probatur, quia si auxilium efficax est necessarium, est necessarium ad coucurrendum per se cum causa ad agendum; sed auxilium efficax, non potest esse talis qualitas, vel entitas; ergo. Maiorem probant argumenta prioris sententiæ relatæ dub. 9. & conuincunt supposita tali causalitate vt in toto discursu huius dubij 10. demonstratum est. Minorem verò efficaciter probant argumenta posterioris sententiæ, quod facilè patebit per illa discurrendo. Prius verò noto diuersitatem inter dictos authores: nam Ledesma concedit auxilium efficax, saltem in voluntate esse qualitatem. Aluarez autem id negat, sed contendit tantùm esse motionem. Item prior negat esse complementum actus primi, seu virtutem causæ secundæ, posterior verò id facilè admittit.

Prima ergo ratio est, quia causa secunda habet virtutem actiuā completam in suo genere; ergo nō indiget complemento, quæ ratio euidentius concludit contra eos, qui docent auxilium esse qualitatem actiuam, & principium necessarium ad eliciendum actionem: nam si est qualitas actiua passiuè tantum recepta in causa secunda, & illi necessaria ad agendum, non potest non esse complementum virtutis agendi, vt probatum est; ergo si tale complementum non est necessarium, nec talis qualitas necessaria est. Verumtamen non minus efficaciter, & absolutè probat ratio potentiam habentem virtutem completam non indigere complemento addito per nouam entitatem realem, quocunque nomine vocetur: quia quod est completum in virtute agendi simpliciter, non indiget complemento virtutis, vt egere possit: nam complementum virtutis est additio virtutis, quod autem est primū, non indiget additione virtutis, vt agat, licèt possit illa indigere, vt faciliùs, aut velocius agat. Nec satisfacit respondendo potentiam completā in virtute, posse in eadē per modū motionis, vel applicationis compleri. Hæc enim responsio aliquem habet locū, si motio illa, vel applicatio solùm esset conditio sine qua nō, hæc enim requiri potest interdum vltra completū principium agendi. At verò cùm illa motio dicatur necessaria tamquam per influens in effectum, negari consequenter non potest quin addat virtutem agendi, & eo titulo sit necessaria, quod planè repugnat, si iam supponit completam virtutem actiuam; quocumque modo, vel per quamcumque entitatem virtutem illam addere intelligatur.

31. Examinantur illæ rationes singillatim in ordine ex complemento virtutis actiuæ creatæ.

Et hoc etiam confirmat secunda ratio, quæ sumebatur ex superfluitate plurium qualitatū, quando vna potest habere, imò supponitur habere completam virtutem agendi. Hæc enim ratio non minus vrget sub generali voce entitatis, seu rei, quàm sub nomine qualitatis. Nam vulgare principium in quo nititur, illa ratio, *frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora*, non arctantur id plures qualitates, sed transcendentaliter profertur, verumque cenetur de pluribbus reus, habet enim eamdem rationem in quocumque rerum genere, eo vel maximè quòd ipse Ledesma, qui illo argumento vtitur alibi, fatetur in causis agentibus actione immanente illum concursum prę uium esse qualitatem, neque potest negare quin sit actiua, cùm ibidem dicat esse principium per se influens in actionem causæ secundæ; ergo vel illa qualitas non supponit completam virtutem agendi in potentia etiam habitu supernaturaliter informata, vel si illam supponit, superflua est alia qualitas addens actiuitatem ad eundem actum.

32. 2. Ex superfluitate plurium qualitatum.

Simili modo negari potest tertia ratio deducens ad processum in infinitum, quia si causa secunda indiget cōplemento virtutis, solū quia virtus creata est, & pendens, ac subordinata causæ primæ in agēdo: hæc omnia conueniunt illi qualitati, vel motioni, per quam dicitur compleri virtus causæ secūdæ ad agendum: nam etiam illa est qualitas creata, & pendet à concursu primæ causæ in agendo, & subordinatur illi; ergo indigebit alio cōplemento, & sic procedetur in infinitū, quod argumentū maximè vrget contra eos, qui admittūt illū concursum prę-

33. 3. Ex processu in infinitum.

Aluarez.

uium

uium esse qualitatẽ ; & ideo Aluarez constanter id negat, dicens esse purã motionẽ, & ita facilè respõdet negãdo primã cõsequẽtiã, quia qualitas indiget motione: motio autẽ nõ indiget motione, sed seipsa mouetur. At nos satis (vt credo cõuicimus nõ posse esse sine qualitate. Deinde etiãsi motio ad mouendũ quasi formaliter nõ indigeat alia motione, quia ad illum effectum non indiget alio concursu, nisi illo, quo fit, & conseruatur : nihilominus ad agendum aliquid aliud à se realiter distinctum tanquam principium per se efficiens illud, indigebit nouo concursu primę causæ, ac subinde noua motione, quia si indiget concursu primæ causæ, pendet ab illa essentialiter in agendo, & subordinatur illi, quæ est vnica ratio, propter quam dicitur virtutem causæ secundæ indigere noua motione. Vndè cùm illa dependentia & subordinatio ad primam causam non proueniat ex ratione qualitatis, sed ex transcendentali ratione entitatis, vel virtutis causæ creatæ, profectò æquè proceditratio in quacunque entitate siue qualitas, siue motio vocetur. Quod sim illa vltima entitate, qualitate, vel motione optimè intelligitur dependentia, & subordinatio ad primam causam sine additione præuiæ motionis, cùm etiam in quacunq; virtute actiua causę secundæ, & in suo ordine completa intelligi poterit? Atq; vi huius rationis, ex his quæ in dubio 11. capite sequenti dicemus, magis innotescet.

34. Quarta & potissima ratio erat, quia aliàs nulla virtus creata ad præuium Dei concursum esset sufficiens ad suum effectum, & sic in ordine gratiæ ante auxilium efficax, non erit auxilium sufficiens, quod dici non potest. quam rationem semper existimaui, in hac materia efficacissimam. Et quamuis P. Ledesma grauiter ferat, quòd illam plus iusto exaggerauerim, nihilominus ipse refert P. Ioannem Vincentium eiusdem secum familiæ doctissimum virum illam insolubilem reputasse, fuissequę illa conuictum, vt necesitatem auxilij physicè prædeterminantis negauerit. Sed de hac motione in lib. 5. ex professo dicturus sum, nunc solùm dico ipsi etiam P. Ledesmæ visam esse illam rationem efficacem ad probandum, talem concursum non posse esse necessarium propter complementum virtutis causæ secundæ ad agendum. Nos autem, vt opinor, non minori efficacia ostendimus illum concursum eo modo, quo ab ipsomet Ledesma ponitur esse complementum virtutis, cùm dicat illum esse qualitatem, & principium per se efficiens actionem causæ secundæ, sine quo talis actio fieri non potest. Ergo si illa ratio efficaciter probat, non requiri complementum actus primi, seu virtutis causæ secundæ, efficaciter etiam refellit necessitatem talis concursus præuij : nec minus conuincit hæc ratio contra P. Aluarez, & alios qui negant illum concursum esse qualitatem, & concedunt esse complementum virtutis, & actus primi. Nam si est complementum necessarium ad actum primum completum, parum refert quòd sit qualitas, vel entitas alterius generis : cuiuscunq; enim sit, si deest iam actus primus, non est completus; ergo nec integer; ergo nec sufficiens, quia ad eliciendum actum secundum solus actus primus integer, & completus est sufficiens, vt ipsum nomen sufficientis euidenter indicat, & in lib. 4. latiùs dicturi sumus, & in 5. amplius vrgebimus.

4. De insufficientia omnis virtutis creatæ ad agendum, & auxilium efficax non erit auxilio sufficiens. *Ledesma.* *Ioan Vincentius.*

Aluar.

35. At verò P. Ledesma pro illa sententia respondet mirabiliter art. 11. concluſ. 2. auctores qui dicunt concursum prœuium esse completiuum, & consummatiuum auxilij sufficientis, non negare auxilium sufficiens, sed potius eo ipso supponere illud: nam id quod completur, & perficitur, supponitur ad tale complementum, quia in omni re complementum, & consummatio rei distinguitur ab illa, sicut existentia est complementum essentiæ, & ideo ab illa distinguitur. Sed in primis responsio est contra mentem illorum authorum, quos ipse ibi explicare conatur : nam de illis refert negasse necesitatem talis complementi quia aliàs non supponeretur auxilium sufficiens; ergo non poterant in sua sententia illud supponere, vt compleretur, sed potiùs vt verè posset supponi, necesitatem talis complementi auferendam indicabant. Deinde illa responsio abutitur verbis : nam si complementum illud necessarium, vt virtus agendi sit integra, & completa, non potest dici complere auxilium sufficiens tanquam supponens illud, sed tanquam complens, integrans illud; sicut vltima vnitas est necessaria ad complementum numeri in tali specie, vel sicut vltimus terminus naturę ad complementum suppositi est necessarius. Quæ exempla ostendunt, falsum esse illud principium, complementum rei distinguitur à re. Neque exemplum de essentia, & existentia est ad rem, quia existentia non complet essentiam in ratione essentię, sed in ratione entitatis actualis, & in hac ratione non supponit illam, neque potest non includere illam.

Diluitur replica P. Ledesmæ.

In præsenti ergo quarta illa ratio, qua idem etiam author vtitur, in hoc sensu procedere debet, vt efficax, quòd si auxilium prœuium dat complementum actus primi, & est necessarium ad illum, complet formaliter, & intrinsecè auxilium sufficiens, & in hoc sensu euidenter probatur illo argumento, quòd actus primus non est sufficiens, nisi in tota virtute necessaria ad actionem completus sit. Et ita ratio illa, qua isti authores conuincuntur ad negandum, quòd talis concursus prœuius sit necessarius vt complementum actus primi, absolutè, conuincit illum concursum prœuiam non posse esse necessarium, cùm ponatur esse principium per se, ac necessarium actionis, & effectus causę secundę : loquor autem semper de necesitate talis complementi, quia si non ponatur vt necessarium, sed vt vtile, vel augens virtutem, sic non procedit ratio, quia potest supponi auxilium sufficiens, & nihilominus perfici per aliud auxilium: tunc autem non complebitur prius auxilium in virtute necessaria, vt hat actio, sed augebitur virtus vt melius, vel facilius operetur. Ratio ergo procedit de complemento actus primi necessario, & sic redargutio, & rapugnantia dictorum videtur manifesta.

16. Complens 4. ratio.

Vltimò tamen respondere possunt, quòd interdum etiam insinuant virtutem causę secundę esse completam in suo ordine, & in eo complet non posse, ac proinde sufficientem esse : auxilium autem prœuium esse necessarium in alio genere, & non vt actum primum causę secundę, sed vt virtutem primę causę, per quam applicat causam secundam ad operandum influendo etiam per eundem concursum in operationem causę secundę, & ideo neque esse superfluum illum influxum, quia est in alio genere, neque illum concursum indigere alio prœuio, quia ipse est iam in illo ordine. Sed hæc responsio habet peculiarem difficultatem in præsenti materia de auxiliis gratiæ, quia in ordine gratiæ non dantur auxilia prœuia vt simpliciter necessaria, nisi ad supplendum defectum proximarum virtutum in potentiis naturalibus, & in homine lapso. quæ difficultas specialiter est in homine supernaturaliter operante sine habitu infuso: nam in alio auxilium efficax dicitur dare totam illam proximam virtutem operandi; quomodo ergo sine illo habet auxilium sufficiens? aut quomodo in illo auxilium efficax non est propriissimus actus primus causę secundæ. Sed hęc & similia in lib. 5. remitto. Nunc perstendo in generali disputatio-

17. Aliorum opinio.

18. Improbatur illa replica ex dicta.

ratione de concursu necessario primæ causæ duobus modis euasionem illam impugno.

37. Primò, quia licèt virtus actiua causæ secundæ
1. Refutatio sit completa in suo genere, nihilominus præcisè spectata non habet actu totam actiuitatem intrinsecam sibi necessariam ad agendum, sed partim habet illam in actu primo, partim tantum in potentia verè passiua, quatenus potest recipere in se qualitatem illam concursus prævij; ergo non simpliciter, sed tantùm secundùm quid est sufficiens ad effectum suum efficiendum, nec poterit dici actu simpliciter sufficiens, donec prævium concursum actu receperit. Et quamuis demus hunc concursum se tenere ex parte Dei, quasi vices eius supplendo, hoc non obstabit quominus sit verus actus primus potentiæ causæ secundæ informans illam, & consequenter reducens illam de potentia receptiua in actum primum vtique actiuum; ergo hoc non obstat quominus verè constituat illam in esse completæ potentiæ actiuæ simpliciter sufficientis ad talem effectum. Declaratur à simili in potentia visiua: nam præcisè spectata, vt est potentia animæ habet totam actiuitatem, quæ ex parte potentiæ proximæ ad videndum est necessaria. Nihilominus tamen quamdiu illa potentia non habet actu speciem visibilem, sed est in potentia receptiua illius, illa actiuitas est simpliciter incompleta, & insufficiens: & species postea illi impressa, licèt sit quasi semen obiecti, & instrumentum vicem eius subiens ad concurrendum cum potentia; nihilominus est verus actus primus potentiæ visiuæ, eam reducens de potentia receptiua in actum primum actiuum, & completiuum integræ virtutis visiuæ in suo genere; ergo idem est in præsenti, seruatur enim eadem proportio, solùmque est differentia, quia in visu necessitas speciei est, ex peculiari ratione potentiæ cognoscituæ: in potentia verò creata, vt sic, dicitur oriri illa necessitas ex generali ratione virtutis creatæ: hoc autem nihil impedit quominus seruata proportione, tam incompleta sit omnis potentia creata ad suam actionem, quatenus est potentia visiua sine specie ad visionem eliciendam. Et hoc satis est ad vim quartæ rationis, quam suprà ponderauimus, quia sicut visus carens specie non potest dici sufficiens ad videndum, nisi remotè, & in potentia passiua, donec speciem actu habeat; ita omnis virtus creata, omneque auxilium antecedens tempore ad auxilium efficax non potest dici sufficiens simpliciter nisi remotè, & in potentia passiua. Quàm verò falsum, & absurdum hoc sit in negotio gratiæ, in lib. 4. & 5. videbimus.

38. Secundò impugno illam euasionem, quia si ille
2. Impugnatur illa replica n. 37. dicta. concursus prævius non est necessarius, vt ipsam potentiam creatam compleat in virtute agendi, sed tantum vt sit virtus instrumentaria Dei, supernaturaneus est: nam cùm Deus per seipsum intimè sit in causa creata, & in illius virtute per suam etiam virtutem increatam potest iuuare causam secundam ad agendum, & non indiget virtute creata media, per quam ipse operatur id quod est sibi proprium in actione causæ secundæ. Declaratur exemplo adducto de potentia visiua, tam corporali quàm spirituali: nam quia indigeo iuuamine, & determinatione obiecti ad visionem, ideo quando obiectum per seipsum non potest adesse potentiæ ad suum auxilium, vel determinationem præstandam, id facit per motionem, vel qualitatem mediam, quæ sit instrumentum eius, vt est species impressa; quando verò obiectum per se adest potentiæ, & rerum illud munus per se præstare potest, non interuenit illa motio prævia per impressionem speciei, quæ sit veluti instrumentum, vt in visione beata, & aliis multis philosophamur. Eadem autem ratio, & proportio in præsenti causa inuenitur.

Vnde D. Thom. q. 3. de potent. art. 7. in corpor. 39.
in vltimo modo, quem ponit, quo causa prima Confirmatur ex S. Thoma.
operatur in operatione causæ secundæ, tanquam principalis causa, in cuius virtute causa operatur ad esse manifestè declarat illam virtutem Dei, per quam virtus causæ secundæ suo effectui coniungitur, & in qua nititur in operando, non esse aliam à virtute increata ipsius Dei, dicit enim illam virtutem non distingui ab essentia, & substantia ipsius Dei. Et inde colligit differentiam inter cœlum, & Deum, nam cœlum operatur cum causa secunda per virtutem emissam, & à se distinctam vbi non est. Deus autem vbique est, & virtus eius idem est quod ipse. *Et ideo* (inquit) *potest dici quòd Deus in qualibet re operatur, in quantum eius virtute* (*vtique idem est, quod ipse*) *indiget ad agendum.* Ergo ad influxum per se, & propriè effectiuum, quem Deus exhibet causæ secundæ, ad opus eius non indiget Deus illa virtute emissa creata, & instrumentaria; ergo si illa est necessaria, oportet, vt sit ex indigentia ipsius causæ secundæ, quæ per se est in potentia tantum passiua, quæ ad complementum virtutis agendi. Quòd si hanc indigentiam non habet, profectò concursus ille prævius non est necessarius propter efficientiam per se, cùm etiam ex parte Dei necessarius non sit. Secluſa autem efficientia per se nullam vtilitatem nedum necessitatem habere potest, vt suprà probaui. Ergo vel ratendum est, potentiam causæ secundæ esse per se insufficientem in actu primo, vel superfluum illium concursum prævium.

Accedit quod etiam posito illo concursu prævio & efficientia eius necessarium est, vt Deus im- 40.
mediatè per seipsum, & per suam virtutem increa- Cõfirmatur 1. ratione.
tam, immediatè influat in actionem creaturæ, ergo si quæ est efficientia in illo concursu, illa non se tenet ex parte Dei; ergo oportet, vel sit ex parte causæ secundæ, & ad complendam insufficientiam virtutis eius, vel impertinens sit. Antecedens suprà probatum est, & authores alij illud negare non audent. Posterior etiam consequentia nota est, cum sufficienti partium enumeratione, tum ex omnibus dictis. Prior autem consequentia probatur, quia nulla alia ratio suadet, imò nec permittit, vt Deus duplici via (vt sic dicam) præbeat efficientiam ex parte sua necessariam ad actionem causæ secundæ. Cur enim per eandem suam virtutem increatam non præbebit totum suum influxum ad effectum causæ secundæ necessarium? Denique tota necessitatis huius concursus prævij ponitur ex parte causæ secundæ, quia quantumuis sit in sua natura perfecta, est in potentia, & debet prius reduci in actum, & quia non potest esse mouens, nisi mota; ergo, consequenter loquendo, omnino fateri necesse est hunc concursum prævium requiri, vt complementum necessarium ex parte ipsius causæ secundæ, vnde cùm non possit esse tantùm vt conditio sine qua non, necessarium erit vt sit complementum virtutis per se actiuè necessariæ ex parte ipsius causæ secundæ. Qui ergo hoc concedere recusant, à propria sententia recedunt, & sibi contradicunt: qui autem illud admittunt, non possunt sufficientiam causarum secundarum tueri, & ita etiam suo se gladio iugulant. Nec rationem reddere possunt, cur Deus non potuerit causis dare integras virtutes actiuas ex parte ipsarum necessarias permanentes, & per suas entitates, vel si potuit, & dedit, ad quid sit noua virtus per se agendi necessaria. At si illa necessaria non est, nec sola noua conditio sine qua non esse poterit necessaria, vt ostendi.

Difficillimum ergo mihi videtur in ea senten- 43.

Inde cõcluditur vix 9. & 10. dub. ũ explicari consequenter posse.

tia ita expedire hæc duo dubia nonum, & decimum, vt consequutio doctrinæ, in tota illa sententia teneatur, faciliúsque (vt ego opinor) id fieret ponendo illum concursum tanquam conditionem puram, sine qua non, vt in principio huius controuersiæ è multis illius partis defensoribus doceri audiui, & interdum expertus sum. Quia verò postea efficaciter ostensum est, talem conditionem sine efficacia per se, esse voluntariè assertam, neque explicari posse quid sit, aut cur sit necessaria, vt paulò antea declarauí, ideo posteriores illius prævij concursus defensores in aliam sententiam de causalitate per se inclinarunt. Verumtamen ne sufficientiam virtutem causarum secundarum, vel aliorum auxiliorum gratiæ negare videantur, coacti sunt simul dicere tale auxilium prævium esse principium per se actionis causæ secundæ, & ipsi causæ secundæ, inhærens prius natura, quam operetur, essèque necessarium ad actionem, & nihilominus non esse actum primum, nec complementum eius, neque ad actum primum pertinere, sed potius ad actum secundum, ac denique illi concursui prævio attribuere ea, quæ concursus simultanei propria sunt. quæ omnia, iudicio meo, difficultatem, & obscuritatem doctrinæ, ne dicam etiam repugnantiam ostendunt, vt ex sequenti capite amplius dimcultas patebit.

CAPVT XXXIV.

Vtrùm concursus prævius sit separabilis à simultaneo, seu ab actione causæ secundæ, & e conuerso.

1. Quæstio an prævius sit re & duratione separabilis ab actione & effectu causæ secundæ.

QVæstio hæc ex hypothesi procedit, sicut aliæ quas de hoc concursu tractauimus, & duo alia continet dubia. Primum, & in ordine vndecimum sit, an concursus iste prævius sit in re ipsa & duratione separabilis ab actione, & effectu causæ secundæ, vel, quod perinde est, à concursu simultaneo. quæ interrogatio non habet locum in illa sententia, si intelligatur ex natura rei tantum, seu de potentia ordinaria Dei. Omnes enim eius assertores pro cõperto habent non posse separari, quia talis concursus est auxilium natura sua efficax, id est, efficaciorfaciens causam secundã operari, & propter alias rationes, quas nunc subiiciam. Intelligitur ergo quæstio de potentia Dei absoluta. Et in hoc etiam sensu dicti authores docent non posse tale auxilium dari in re sine effectu, & actione causæ secundæ. Ita docet maximè de auxilio efficaci diuinæ gratiæ Aluarez disp. 83. cum alijs quæ ibi allegat: vnde cùm ibidem doceat eadem proportione loquendum esse de illo auxilio efficaci, qua de generali concursu prævio, idem sine dubio de isto sentit, vt satis etiam expressit d. sp. 19. conl. 3. ration. 1. latiùs & expressiùs idem tradit Ledesma dicta q. vnica art. 3. ad 7. & art. 13. ad 6. & sæpè alibi.

Opinio negans.

Aluarez.

Ledesma.

Qui authores consequenter loquuntur: nam si aliquando vel semel posset concursus prævius separari à concomitante, posset manere in potentia ad agendum, & consequenter iuxta illorum principia indigeret alia prævia motione, & posset postea de potentia in actum reduci, & sic haberet locum processus in infinitum, & alia argumenta suprà facta. Ipsam autem separationem, seu repugnantiam his rationibus suadent. Prima, quia impossibile est causam secundam actu moueri à Deo, & ipsam non actu operari, ex D. Thoma 1. 2. q. 112. art. 3. & 2. 2. q. 24. art. 11. Deus autem per concursum prævium mouet causam secundam efficaciter ad

2. Probatur ea opinio multiplici ratione.

D. Thom.

operandum, ergo impossibile est non operari; ergo impossibile est non recipere simul tempore auxilium simultaneum. Secundò, quia ille concursus prævius semper datur ex voluntate efficaci Dei, quod causa secunda operetur; sed stante illa voluntate Dei impossibile est non sequi effectum, nemo est enim qui voluntati eius possit resistere, vt dicitur Esther c. 3. Ergo. Tertiò, quia Deus est mouens infinitæ virtutis; ergo si efficaciter mouet causam secundam vt operetur, etiam infallibiliter illa mouetur, & operatur: sed Deus efficaciter mouet per illum concursum prævium; ergo. Quartò non potest Deus velle dare concursum simultaneum sine operatione causæ secundæ; ergo neque prævium. Probatur consequentia, quia vterque est verus concursus, vt ipsum nomen præ se fert, & concursus intelligi non potest sine alterius cursu.

Nihilominus aliqui etiam ex discipulis D. Thomæ, vt Ledesma suprà refert, dixerunt de potentia absoluta posse prævium motionem imprimi à Deo causæ secundæ, & simul impediri ne sequatur actio eiusdem causæ secundæ. quæ quidem sententia si ipsa per se consideretur rationabiliter, videtur habere minorem doctrinæ consequutionem, actu bene ex vtraque simul sumpta ostenditur concursum illum prævium, vel superfluum esse, vel multa repugnantia involuere. Probatur ergo primò hæc sententia absolutè sumpta; quia concursus prævius realiter distinguitur ab actione causæ secundæ, & a concursu simultaneo, vt suprà ostensum est, & concursus prævius est prior natura, & independens ab actione causæ secundæ, in his enim quæ realiter distinguuntur non implicat prius separari à posteriori à quo non pendet; ergo in præsenti non repugnabit prævium motionem separari ab actione causæ secundæ, seu concursu simultaneo.

3. *Alcorta.*

a similitudine potentiæ ad formam. *Ledesma* q. vnica art. 3. ad 7. *Lugo* d. 10. sect. 4. *Ratio.*

4. Replicatur.

Respondet Ledesma negando minorem, quia superiores realiter distinctæ inseparabiles sunt, vt materia a forma, relatio a fundamento, totum a partibus simultumptis, & actio vitalis à potentia vitali, & dicere a verbo. Nec autem exempla, & parum probabilia sunt, & in multis non sunt similia. Materia autem naturaliter separari potest a qualibet determinata forma, & præterea materia pendet in suo esse a forma, & sub ea ratione est natura posterior. Hic autem concursus prævius est simpliciter prior, & nullo modo pendens ab actione creaturæ, præterquam quòd longè probabilius est, de absoluta potentia posse materiam sine vlla forma conseruari. Relationem autem probabile non est, realiter a fundamento distingui, vtque tanquam rem aliam, & in quo modo distinguitur in re ipsa, satis est, quòd fundamentum possit remanere sine relatione, licèt non conuertatur, quia fundamentum est prius relatione, & independens ab illa, non è conuerso. Nos autem in argumento solùm sumpsimus prius posse manere sine posteriori, à quo, & non pendet, & realiter distinguitur. Similiter impossibilo profecto est exemplum de toto, & partibus simul sumptis, cùm certissimum sit, & non distingui realiter, & à singulis essentialiter pendere. De actione autem vitali nobis sufficit, quod potentia vitalis potest manere actu, illa enim est prior, & independens ab actione sua. Vltra hoc etiam est probabilius entitatem ipsam actus vitalis posse conseruari à Deo sine potentia vitali, etiamsi sub illo modo actionis vitalis non possit esse sine influxu vitalis potentiæ, quia sub ea ratione ab ea essentialiter pendet, quod non repugnat principio assumpto in discursu proposito. Denique in vltimo exemplo falsum est, dicere, & verbum distinguí realiter, quia solùm distinguuntur sicut actio, & terminus. Non oportet ergo exemplis vel falsis, vel

vel dubiis vti, sed ratione: illud autem principium est per se maximè consentaneum rationi; nam sola identitas rei, vel dependentia videntur posse obstare separationi vnius ab alio: vnde qui negauerit Deo potentiam conseruandi, vel faciendi, seu separandi vnam rem ab alia realiter distincta, à qua ex natura sua non pendet, oportet vt specialem aliam rationem repugnantiæ ostendat, aliàs per se rem dicat incredibilem.

5. Ratio vniuersalis applicatur huic materiæ.

Secundò hoc specialiter ostenditur in præsenti materia, quia licèt demus concursum prævium natura sua esse determinatum ad coniungendam causam secundam actioni suæ influendo efficaciter in ipsam actionem, & ideo naturaliter non separari ab illa; nihilominus non potest illam actionem efficere sine nouo concursu Dei concomitante, & in ipsa actione creaturæ imbibito: potest autem Deus dare concursum prævium, & negare concursum concomitantem; ergo hoc modo potest separare concursum prævium à concomitante, & consequenter ab actione causæ secundæ. In Maiori omnes conuenimus, vt suprà visum est. Minor autem probatur, quia illi duo concursus in re ipsa distincti sunt, si dantur, vt suprà est probatum & non minus liberè Deus prębet concursum concomitantem, postquam dedit prævium, quàm ipsum prævium; ergo licèt hoc præstet, potest alterum pro sua libertate suspendere, & sic priorem à posteriori separare. Quis enim audeat dicere voluntatem Dei eo ipso quòd prævium concursum præbet necessitati, vt velit etiam concomitantem dare? Perindè enim est ac si dicatur, concursum prævium non solùm causam, vel voluntatem creatam determinare ad agendum, seu volendum, sed etiam voluntatem diuinam determinare ad agendum illi, quod per se incredibile, & valde contrarium rationi videtur. Dicetur, voluntatem Dei non determinari à creato concursu prævio, sed eo ipso quòd ipsa se determinat ad dandum illum, necessariò etiam determinari ad dandum subsequentem, seu simultaneum. At quæ ratio huius necessariæ connexionis reddi potest? nam prior voluntas dandi concursum prævium potest habere totum suum effectum sine alia voluntate dandi concursum concomitantem; ergo potest Deus pro sua libertate habet priorem voluntatem, seu determinationem sine altera, alioqui eadem ratione dicere quis posset, non posse Deum dare lumen gloriæ sine visione beata, vel vnionem hypostaticam, sine gratia, & similia, in quibus similis connexio voluntariè affirmari potest, si absque alia ratione licet diuinæ voluntati similem necessitatem attribuere.

6. Soluuntur ratiõs partis alterius partis motiua.

Tertiò hæc pars suadetur soluendo motiua alterius partis, & supponendo illud principium diuinæ potestati, & libertati non posse negare quidquid non ostenditur repugnare: nam rationes illæ nullæ nullam repugnantiam ostendunt, supponunt enim sine ratione, & probatione id, ex quo repugnantia posset oriri. In prima enim ratione cum dicitur impossibile esse Deum mouere causam secundam ad operandum, & illam non moueri, & operari, hæc propositio intellecta de concursu prævio vera est quoad vnam partem, & falsa, quoad aliam, supposita distinctione reali inter concursum prævium, & operationem creaturæ, mouere enim actu, & moueri sunt quasi correlatiua, & ideo cum proportione sumpta separari non possunt, quia nec in re sunt distincta, nisi tantùm habitudine, sicut calefacere, & calefieri, & ideo non potest ignis actu calefacere, quin aliquid actu calefiat, sic ergo si Deus mouet causam secundam influendo in illam concursum prævium, impossibile est illam non moueri, seu mutari recipiendo illum. Quoad hanc ergo partem verum est, non posse Deum mouere causam secundam, & illam non moueri; quoad alteram verò de operatione malè infertur, & sine connexione, potest enim creatura actu moueri à Deo ad operandum, & nihilominus actu non operari, quia Deus cum illa etiam iam mota non vult ad operationem concurrere.

7. Confirmatur.

Vnde oportet, attentè considerare, non esse idem mouere creaturam ad operationem, & formaliter facere illam operantem, quæ duo videntur sępe confundi à dictis authoribus, & tamquam idem reputari, & ideo sæpè æquiuocè argumentari. Sunt ergo valdè diuersa: nam per concursum prævium non constituitur causa secunda formaliter operans: nam hoc habet formaliter ab operatione actuali, quæ est distincta à concursu prævio, & posteriori illo. Est autem illa operatio quasi finis propter quem datur ille concursus, & quia ex tali concursu infallibiliter sequitur, naturaliter loquendo ideo dicitur rectè causa secunda moueri per illum concursum ad operationem, tanquam ad finem, seu terminum remotum, etiamsi ab illo possit per Dei potentiam separari. Ad argumentum ergo in forma respondetur, negando consequentiam, quia licèt Deus moueat efficaciter ad operandum dando auxilium de se, & natura sua efficax, potest causa secunda non operari ex defectu concursus concomitantis, quem Deus negare potest, licèt illum priorem tribuat, & ita potest etiam facere, vt concursus per se efficax actu non faciat, quia non est ita de se efficax vt in actuali operatione à nouo concursu simultaneo non pendeat. Testimonia autem D. Thomæ ibi allegata non sunt ad rem, vt statim dicam.

8. Soluitur secundum argumentum primæ opinionis.

Ad secundum cùm dicitur concursum prævium procedere ex voluntate Dei absoluta, & efficaci operationis creaturæ, id est verum de facto, vel ad summum secundùm naturam talis auxilij, ac proinde de potentia ordinaria: si autem intelligatur de potentia absoluta, sine fundamento dicitur, & ideo facile negatur. Nam ille concursus prævius prout ab illis ponitur, est effectus diuinæ voluntatis distinctus ab operatione creaturæ. Nec enim necessarium est vt volitio talis concursus fit quasi electio medij propter operationem creaturæ tanquam propter finem efficaciter intentum: potest enim Deus propter alias rationes prouidentiæ sue velle efficaciter illum cursum sine operatione, ad ostensionem potentiæ, & liberæ voluntatis suæ, sicut potest velle lucem Solis, & efficaciter eius in actu primo, illuminationem eius nollet.

9. Soluitur 3. argumentum.

Ad tertium argumentum eadem ferè est responsio: nam Deus quod absolutè vult, sua infinita potentia efficaciter facit; potest autem velle efficaciter dare prævium motionem de se efficacem operationis causæ secundæ, nihilominus non velle efficaciter: imò efficaciter nolle operationem causæ secundæ, quæ res distincta, & distinctus effectus est. Vnde potest retorqueri argumentum: nam infinita Dei potentia facit quod vult, sed potest velle illum concursum sine operatione eius, siue causæ secundæ; ergo ita facit, & vnum ab alio separabit. Et ex his etiam responsum est ad loca D. Thomæ ibi allegata, nam in illis locis solùm dicit, si ex intentione Dei mouentis est vt homo, cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter illam consequitur. Loquitur autem de intentione efficaci, & absoluta, & prædestinatiua, vt paulo ante authoritatem Augustini explicauerat, & ita conditionalis & euidens; sed ad rem nihil facit, quia dicimus fieri posse vt Deus moueat per concursum prævium, & non ex intentione efficaci operationis eius, seu causæ secundæ. Addo etiam D. Thomam ibi non

Respondetur ad loca S. Thomæ allata n. 2.

loqui de concursu prævio, sed de motione cordis per gratiam excitantem, vt constat ex testimonio Ioannis 6. quòd adducit, *omnis qui audiuit à Patre, & didicit, &c.* audire enim, & discere à Patre fit per internam inspirationem, & doctrinam, & per gratiam congruæ vocationis, vt Augustinus sæpe exponit: illa autem fiunt per motiones gratiæ excitantis, & nihilominus etiam de illa motione verum est, si à Deo detur ex intentione conuertendi hominem, infallibiliter conuerti, quamuis possit talis motio dari, & non ex tali intentione, & tunc carere operatione. Sic ergo in præsenti dicimus hac tantùm obseruata differentia, quòd motio gratiæ excitantis sæpe datur, & non ex intentione efficaci: concursus autem prævius nunquam sic datur, potest tamen de absoluta potentia ita dari, vt explicui.

10. Soluitur 4. argumentum n. 2. allatum.

Ad quartum de æquiparatione cùm concursu simultaneo negatur consequentia, quia concursus simultaneus non est res distincta ab actione creaturæ, nec est prior illa proprio ordine causalitatis; vt suprà ostensum est, & ideo non est similis ratio: ponderatio autem nominis concursus parui momenti est. nam facilè dici posset, illud auxilium prævium, si datur, non appellari propriè concursum, sed motionem, aut qualitatem quasi transeuntem: nam particula *con*, similtatem quandam plurium concurrentium indicat, quæ simultas non est necessaria vt illa motio prævia in rerum natura fiat, & existat: denominatur autem concursus ex subsequenti operatione, in quam simul cum causa secunda influit; & ideo potest de potentia absoluta manere sine tali determinatione quasi actuali, nam illa motio, posita in causa secunda non operante, non concurreret cum illa, atque ita non denominabitur concursus ab actu; posset tamen denominari concursus aptitudine, & connexione naturali, si Dei influentia non desit.

11. Sententia affirmans n. 3. relata, est probabilior non tamen benè tuetur necessitatē huius concursus.

Hæc ergo sententia suppositâ tali concursus longè probabilior mihi videtur, per se, ac simpliciter spectata, parum verò apta est ad defendendam sententiam de necessitate huius prævij concursus, quam nunc explicamus. Nam ex illa sequitur entitatem huius concursus in ordine ad actionem causæ secundæ, & ad suum influxum in illam potentialem esse, id est, non esse essentialiter in actu secundo, sed posse esse in potentia ad agendum. Ex quo, vt dicebam, sequitur, vel indigere prævia motione, vt exeat de potentia in actum, & sic procedit in infinitum, vel alias facultates causarum naturalium posse reduci de potentia in actum sine prævia motione cum solo simultaneo concursu. Respondeti autem potest assignando discrimen, quia facultates intrinsecæ causarum secundarum naturaliter possunt separari ab actu, & manere in potentia; hæc verò præmotio non nisi supernaturaliter, & per miraculum, & hoc satis esse, vt illæ indigeant præmotione, qua reducantur de potentia in actum secundum; hæc verò illa non indigeat, sed per seipsam in actum reducatur eo ipso, quòd Deus suum concursum simultaneum præbet: sed hoc reuera non satisfacit, tum quia etiam causæ secundæ naturales, id est, non liberæ non possunt naturaliter esse tantùm in potentia, si supponantur omnia habere requisita ad agendum; tum etiam, quia si semel intelligimus aliquid quod est in potentia ad agendum, posse reduci in actum per hoc solum, quòd Deus præbeat concursum concomitantem, eneruatur omnino fundamentum quo illa prævia motio necessaria reputatur, quæ ratio in sequentibus magis videbitur.

12.

Aliud, seu duodecimum dubium est, an de potentia absoluta possit Deus dare simultaneum concursum causæ secundæ, sine prævio influxu in causam, quod est quærere, an sit tanta necessitas, huius concursus prævij, vt non possit Deus de sua absoluta potentia, vel facere creaturam, quæ sine illo operetur cum solo concursu simultaneo, vel nunc incausis iam creatis illum supplere, vel virtute increata, vel augendo concursum simultaneum. quod non inuenio in dubium reuocatum ab illius sententiæ defensoribus, non certè ob aliam causam, nisi quia pro comperto habent non posse fieri, nam si posset, fundamenta omnia illius sententiæ funditus euerterentur; si enim demus id posse fieri, supponamus factum: vnde ergo probari poterit illum modum operandi esse miraculosum; vel non ita operari nunc omnes causas secundas? Nam si Deus posset virtute sua increata ita concurrere simul cum sole vt illummet sine prævia motione; cur non dicetur ita nunc fieri, & illum modum concurrendi cum sole esse connaturaliter illi debitum? Ita si potest causa creata in aliquo casu ita agere sine prævio concursu; ergo sine illo potest saluari essentialis dependentia in agendo causæ secundæ à prima. Atque ita ruit fundamentum illius sententiæ. Consequenter ergo in illa loquendo, necessariò fatendum est alium modum concurrendi Dei cum causa secunda sine prævio concursu per solum simultaneum implicare contradictionem.

1. Quæstio an de potentia absoluta facere illo prævio concursu aequipollens.

Hæc autem ipsa assertio non caret magna difficultate, suppositis aliis conditionibus illius concursus, quas per necessarias illationes sequi ostendimus. Ostendimus enim esse entitatem creatam, & non esse tantum conditionem, sine qua non ageret causa secunda, sed esse principium per se influens in actionem causæ secundæ, nec posse alio titulo esse necessariam, nisi propter huiusmodi influxum. Hinc ergo argumentamur. Non implicare contradictionem Deum per seipsum facere quidquid facit per entitatem creatam, si sola ratio efficientiæ spectetur. Ergo potest Deus supplere sua virtute totam efficientiam illius entitatis, seu motionis: supplendo autem efficientiam, supplet totam necessitatem eius; ergo simpliciter potest sua virtute facere quidquid necessarium est, vt causa secunda operetur, supponendo tantùm in causa secunda solam intrinsecam virtutem agendi in suo ordine. Atque hæc ratio vrget maximè aduersus eos, qui dicunt illum prævium concursum per se non requiri, vt actuet quasi formaliter ipsam causam secundam, quia non est actus primus, nec complementum actus primi ex parte causæ secundæ, sed tantum virtus instrumentaria Dei. Nam hoc posito nulla probabilis ratio redditur potest, cur non possit per suam principalem, & infinitam virtutem facere quidquid per illud instrumentum facit.

11. Confirmatur.

Dicent fortasse, causam secundam applicari ad agendum per illum concursum, & non posse agere nisi applicatam, nec posse applicari, nisi per aliquid inhærens: ideóque non posse Deum supplere hunc concursum, quia est necessarius non solum propter efficientiam, sed etiam propter id quod formaliter causæ secundæ præbet. At hoc non constat cum aliis dictis illius sententiæ, nam iuxta hoc responsum necessarius est hic concursus vt quidam formalis actus causæ secundæ; ergo vt actus primus, quia ponitur ab eis vt prior actu secundo, & nominatione causæ secundæ. Cum ergo aliàs negent concursum hunc requiri in ratione actus primi, non possunt consequenter dicere requiri propter suam causalitatem formalem. Deinde illa applicatio causæ secundæ ante actionem ipsam nulla est, quæ possit fieri formaliter

14. Replica.

liter per talem concursum, vt suprà probaui, solùm ergo applicat causam secundam ad actionem suam efficaciter ad eum modum, quo dici potest gratitas applicare lapidem ad motum; ergo ex parte applicationis nihil est, quod per formam inhærentem necessariò agendum sit. Alioqui etiam seclusa efficientia per se posset ille concursus intelligi necessarius vt mera conditio sine qua non; quod si, prà improbatum est, & ab aliis etiam authoribus non admittitur.

15. Committitur petitio principij.

Deinde quod de motione dicitur, quædam petitio principij est, nam causa secunda non præmouetur à prima, vt generaliter concurrente nisi per hunc concursum præuium, vt ipsi dicunt; ergo causam secundam præmoueri à prima, nihil aliud est, quàm recipere ab illa hunc influxum, seu concursum; ergo dum dicitur ideo esse necessarium hunc concursum in illa recipi, quia necessarium est illam præmoueri, idem per idem declaratur, & assertio ipsa pro ratione aliis verbis redditur. Hoc est quidem quod inquirimus, cur tam necessarium sit causam secundam præmoueri à prima; vt auxilium illud ad operandum, quod media illa præmotione recipit, non possit ab ipso Deo immediatè recipere, maximè quando in causa secunda supponitur propria virtus actiua talis effectus in suo genere sufficiens, vt prædicti authores, & omnes rectè sentientes admittunt. Hæc ergo sunt quæ huius sententiæ difficultatem generatim ostendunt, & ad illius sensum explicandum nobis visa sunt necessaria.

CAPVT XXXV.

Proponitur altera sententia, quæ docet generalem concursum Dei esse influxum in effectum, & imbibitum in actione causæ secundæ: influxum autem in causam per se, & ex vi generalis concursus necessarium non esse.

1. Proponitur hæc sententia, & explicatur.

QVæ hactenus tractauimus ostendunt quidem quàm sit obscura, & intellectu difficilis sententia postulans huiusmodi concursum prævium, seu influxum in causam; & quia necessitas eius nullo sufficienti medio suaderi videtur, ideo communiter Theologorum opinio indicauit talem influxum in causam ex vi generalis dependentiæ causæ secundæ à prima in agendo non esse necessarium. Attentè autem consideranda sunt illa verba, præ oculis habenda *ex vi generalis dependentiæ*, quia non negant Theologi, imò pro certo supponunt, Deum influere variis modis in ipsas causas secundas vt agere possint, præsertim quando ex se non habent virtutem propriam sufficientem ad aliquem effectum: at verò quando causa supponitur habens vires intrinsecas sufficientes in genere causæ primæ, tunc aiunt solùm indigere concursu simultaneo, & imbibito in actione causæ secundæ; nouum autem influxum prævium in causam necessarium non esse: vnde cum eadem proportione in concursu gratiæ philosophantur.

Probatur authoritate. Bonauent.

Hæc ergo opinio sic exposita sumitur ex Bonauent. 2 dispotatione 37. articul. 1. quæst. 11. vbi quærit, an omnis actio creaturæ secundùm quod actio est, sit à Deo? & respondet affirmando, & rationem reddit, quia nihil quantumcumque parum, dummodo aliquod sit ens, procedit à causa creata, nisi cooperante Deo, quia Deus est primordialis causa omnis entis, & ideo eius influentia est maxima, & ad omnia se extendit, & potentia creaturæ est imperfecta, *& nihil potest agere nisi adiuuante illa potentia, quæ est actus purus.* in quo toto discursu solum discursum concomitantem requirit. In solutione verò ad penultimum addit, hunc concursum Dei talem esse, *vt tota operatio voluntatis sit ab ipsa voluntate, & etiam tota sit à Deo quia Deus* (ait) *intimè agens in omni actione, & intimus est ipsi potentiæ operanti, ita quod à potentia ipsa in nihil exit, quod non sit ab ipso.* per quæ verba solùm requirit ad generalem Dei concursum intrinsecè imbibitum in actione creaturæ, quatenus simul, & immediatè est ab ipso Deo. quod euidentius declarat in solutione ad vltimum, in quo obiecerat, quod si actio voluntatis est à Deo, erit ab illo vt principali motore, & consequenter Deus concurret excitando, & mouendo voluntatem hominis. Respondet autem concedendo assumptum; nimirum Deum concurrere, vt principale mouens in tali actione, & negando illationem, nimirum Deum concurrere excitando, aut præmouendo, vtique ex vi generalis concursus causæ primæ, *excitatio* (ait) *pertinet ad aliquem effectum gratiæ præuenientem ipsam voluntatem, quæ requiritur in bonis meritoriis, & non alijs, in quibus* (ait) *non est nisi sola cooperatio diuinæ virtutis, quæ existens in creatura, essentialiter, & præsentialiter, sicut conseruat eam in essendo, sic adiuuat in operando, propter quod conceditur ibi esse cooperatio, non præuentio, vel subsecutio.* profectò nihil clarius dici poterat.

3. Scotus eadem docet.

Secundò tenet eandem sententiam Scotus in 4. dist. 1. q. 1. ad vltim. in argumento hoc sumpserat principium: *Causa secunda plus potest in virtute causæ primæ, quàm in virtute propria, alioqui non dependeret essentialiter in causando.* Respondens autem sic ait, *Agens dependens ab alio dicitur agere in virtute alterius, quia virtus agentis dependentis non sufficit sine illa virtute à qua dependet.* Et infrà iterum, *Causam* (inquit) *secundam, quæ habet virtutem in esse quieto, agere virtute alterius, non est recipere tum aliquid ab illo altero, sed tantùm habere ordinem inferiorem ad illud alterum agens in suo ordine simul.* Et in hoc distinguit causam secundam à proprio instrumento, dicens: *Sed instrumentum, id est, recipiens formam actiuam in motione agere in virtute alterius est, tunc actualiter accipere formam ab eo per quam agit.* Vnde sic concludit. *Et ex hoc patet quòd causæ primæ in causam secundam propriè dictam, quando simul agunt, non est influentia noua, quæ sit creatio alicuius inhærentis causæ secundæ, sed ibi est determinatus ordo istarum causarum in agendo effectum communem.* Ac tandem respondendo ad principium in argumento sumptum, sic illud exponit. *Verum est quòd causa secunda plus potest in virtute alterius, quàm propria,* supple (ait) *sola præscindendo virtutem alterius, quia virtus eius est diminuta, & subordinata alterius virtuti, itaque sine illa altera virtute agente virtus eius non potest in effectu.* Hæc Scotus, quibus non solùm dictam sententiam expresè affirmat, sed etiam accuratissimè illam explicat, & omnia fundamenta contrariæ sententiæ vnico ferè verbo euertit. Eandemque doctrinam optimè confirmat & exponit in 2. dist. 37. q. vnic. §. *Ad solutionem*, quem locum infrà cap... latiùs expendam.

4. Consentit Gabr.

Tertiò tenet eandem sententiam Gabriel in 2. dist. 37. quæst. vnic. art. 1. ad argumenta de prima via, vbi eodem modo explicat subordinationem, & dependentiam essentialem voluntatis humanæ à diuina in causando actum suum, quo Scotus illam exposuit, dicens, *In hoc est ordo essentialis, quòd voluntas creata non potest elicere actum non concurrere prima coefficiendo, licet non è conuerso, & in hoc essentialiter subordinatur primæ causæ: nec sic mouetur à prima*

causa, quasi aliquid de nouo causet, vel influat in voluntatem, quo voluntas velit. Vnde idem Gabriel. in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 2. concl. 4. sic inquit, *Deus non præuenit causando in causam secundam secum concausantem, ita quòd in aliquo instanti, vel signo causet nulla causa secunda concurrente, & postea cum ea concauset.* articulo tertio, dubio quinto multis modis eandem sententiam confirmat. Nam ad primum ait, *causam primam non agere propriè mediante secunda, quia simul, & æquè immediatè concurrunt ad effectum producendum.* Et ad secundum ait, ordinem essentialem inter causas non consistere in mediante, sed in prioritate perfectionis, illuminationis, & necessitatis, *quia causa prima necessariò requiritur ad actionem, non secunda.* eandémque doctrinam breuiùs tradiderat in 1. distinctione 45.

5. Idem docet *Richard.* Quartò sumitur eadem doctrina ex Richardo in 1. dist. 45. art. 2. quæst. 2. vbi docet Deum concurrere cum causis secundis immediatè efficiendo effectus earum altiori modo, quàm ipsæ causæ, licét simul cum eis. Et quamuis expressè non excludat antecedentem influxum causæ primæ in secundam, dum tamen nullam mentionem eius facit, apertè sentit in sola illa simultanea concausatione consistere concursum primæ causæ, refertque Commentatorem super librum de causis circa illam propositionem primam. *Causa prima est vehementioris adhærentiæ cum effectu, quam causa propinqua*, dicentem: *Causa prima adiuuat causam secundam super operationem suam, quia omnem operationem quam causa secunda efficit, & causa prima efficit, veruntamen efficit eam per modum altiorem, & sublimiorem.* vbi tam verbum adiuuandi, quàm cætera omnia significant simultaneum concursum in effectum sine vllo præuio influxu in causam.

6. & *Gregor.* Quintò consentit huic sententiæ Gregor. 2. dist. 28. quæst. 1. art. 3. ad 12. vbi de bonis actibus dicit, iuuat nos Deus immediatè ipsum actum efficiendo, quamuis non ipse solus facit actum, sed etiam voluntas coefficit; *sed non solum*, ait, *iuuat Deus ad bonum velle partialiter coefficiendo, qui est modus communis quo concurrit ad cuiuslibet creati agentis quemlibet effectum, sed etiam quodam alio modo speciali*, &c. vbi licèt ad actus bonos, quos putat non posse fieri sine gratia, requirat specialem motionem, nihilominus negat illam esse necessariam ad genetalem concursum causæ primæ, & ideo negat illam motionem dari ad actiones peccaminosas, etiam vt actiones sunt, & ad cæteras actiones causarum secundarum. Vnde Ledesma citans hunc locum fatetur Gregorium expressè docere, quod ex essentiali subordinatione causæ secundæ ad primam non requiritur alius concursus Dei præter simultaneum. Potuisset tamen addere, eodem modo idem expressè docuisse Capreolum, non solùm à nobis allegari in nostrum fauorem, vt ait. Sextò igitur addimus Capreolum in eadem dist. quæst. 1. artic. 3. ad 12. contra secundam conclusionem, vbi ad literam refert doctrinam Gregorij, & non solùm illam approbat, verùm etiam in fine concludit. Hęc Gregorius, & concordat S. Thomas in 1. 2. quæst. 109. quali in singulis articulis potissimè 9. & 10. Immeritò ergo idem Ledesma dixit in eodem art. ad 2. Capreolum in eo loco admittere concursum præuium: cùm enim Capreolus nihil aliud, quàm Gregorius dicat, qui fieri potest vt Gregorius expressè neget, & Capreolus expressè affirmet? Præterea hic author confundit auxilium præuium gratiæ cum concursu generali, quę ibi Capreolus cum Gregorio distinguit, & vterque postulat præuiam motionem gratiæ ad omne bonum opus naturale: vterque autem apertè docet illam necessitatem non esse ex vi concursus generalis, sed aliunde. Quamuis ergo Capreolus expressè requirat illud præuium gratiæ auxilium, non minus expressè negat illud esse necessarium ad concursum generalem, neque in hoc aliquid diuersum Gregorio sentit.

Ledesma.

7. Accedit. Septimò eodem modo tenet hanc sententiam Dionys. Cisterc. in 2. dist. 27. quæst. vnic. art. 3. concl. 5. quam his verbis explicat: *Deus non est causale iuuamentum, nec esse potest, nisi respectu creati arbitrij in nobis.* Vocat autem causale iuuamentum, quando verè vna causa iuuat alterius actiuitatem, & hoc dicit non esse necessarium in causa prima respectu secundæ, sed solùm quòd secunda non facit sine Deo coefficiente ponitque exemplum in actu furandi. 8. *Dionys. Cisterc.*

Octauò tenet hanc sententiam Okam 1. d. 43. q. 1. vbi tractans quæstionem, an ex contingentia effectuum vniuersi demonstretur causam primam liberè agere, inducit rationem Scoti, quòd si Deus ageret ex necessitate naturæ: tolleretur ab vniuerso contingentia, quia omnes aliæ causæ secundæ eadem necessitate agerent, quia causa secunda non agit nisi mota prima. Vnde si necessario moueretur, necessariò etiam moueret. Et deinde rationem improbat, distinguendo propositionem illa: Causa secunda non causat, nisi in quantum mouetur à prima, nam vel dicit causam secundam moueri à prima, vt agat, & conseruari ab illa in esse, & in hoc sensu nullius momenti est illatio, vt per se patet: vel est sensus, causam secundam non agere nisi recipiat aliquam influentiam à prima, sed ipsamet est principium agendi; vel est sensus, *causam secundam non agere nisi prima coagat.* Et hunc sensum approbat quoad rem nostram pertinet: improbat autem illationem, de qua nunc non tractamus. Ex quibus constat de sententia huius authoris causam primam concurrere concursu concomitante, hoc enim est coagere, non tamen præuio, quia non admittit præuiam influentiam in causam. 9. *Okamus.*

Nonò tenet hanc sententiam Almainus tract. 1. Moral. cap. 1. vbi proposito argumento contra libertatem, quia concursus Dei est vnum ex necessariis ad agendum, & illo posito, non potest voluntas non agere, respondet ex sententia Dionys. in 2. sentent. concursum non esse ex præuijs, seu prærequisitis ad agendum, sed ex concomitantibus, seu simul se habentibus, quam responsionem ipse approbat, addens etiam ipsum velle, quo vult Deus concurrere cum voluntate in causando non esse præuium, sed simul se habens, quòd infrà nos explicabimus. Alia verò responsio, quam ibi addit, parum quidem probabilis est, vt in lib. 5. videbimus. Decimò est in eadem sententia Andreas de Castro nouo in 1. d. 22. q. 5. art. 1. ad argumenta contra tertiam conclusionem, in qua dixerat Deum in aliquo vero sensu, prius naturæ agere, quàm secundam causam. Ad soluendam autem obiectionem subiungit dici posse, causam primam prius natura agere, etiamsi causa secunda causare efficiens non recipiat aliquid nouiter à causa prima, ex eo quod incipiat causare: atque adeò si causam secundam causare non sit nouus effectus productus à prima causa distinctus ab effectu communi vtriusque causæ, quia nimirum ad illam prioritatem naturæ sufficit, quòd causa secunda pendeat à prima in essendo, & in causando, ita vt agere non possit nisi prima coagente per se ad idem. Et id latiùs in 2. art. ad argumenta contra secundam conclusionem in principio, & ad 7. expressè dicit, quòd causa secunda non ita pendet in agendo à prima, vt priùs natura recipiat aliquem motum ab illa, sed solùm 10. *Almainus.* *Andreas Castrensis.*

sùm quia per se non sufficit ad agendum sine cooperatione primæ causæ. Et ad 8. ait, influentia primæ causæ non intelligitur esse aliqua forma procedens nouiter à causa prima in secundam, &c.

12. Marsilius. Vndecimò Marsilius in 1. quæst. 45. art. 2. post quartam conclusionem incidens dubium proponit, an Deus voluntate beneplaciti voluerit Euam eligere comedere de ligno scientiæ; & respondet voluisse Deum voluntate bene placiti actum illum voluntatis Euæ quoad substantiam actus, dum tamen (ait) mulier eum vellet, quod exponit, quia in potentis liberis Deus vt causa vniuersalis agit cum eis, ita vt quoscunque potentiæ duxerint eligendos Dominus coagat tanquam causa vniuersalis. Vbi ex vi concursus nullam præuentionem ponit ex parte Dei, solumque requirit simultaneam cooperationem Dei, & hanc dicit procedere à voluntate bene placiti Dei non omnino absoluta, sed sub conditione, *si causa libera cooperari voluerit*: imò quoad actus malos in aliud extremum inclinat, dicens voluntatem hominis quoad modum præuenire voluntatem Dei, qui cùm rales actus sint contra voluntatem Dei, illos voluntas diuina non produceret, nisi præuenta aliquo modo per voluntatem creatam liberè se determinantem. Et ita concludit voluisse Deum volitionem illam Euæ, si Eua ad illum se liberè determinaret, & quasi liberè (ait) *Deum ad secum producendum præuenret*. Sed fideliter huius authoris sententiam referimus: nam per illud verbum satis declarauit, quam longè esset à præuia motione ex parte Dei, vel voluntatis eius approbanda.

13. Conradus. Duodecimò pro eadem sententia referimus Conradum 1. 2. q. 79. art. 1. in expositione corporis articuli §. *Nota ipsam*. ibi enim occasione explicandi concursum Dei ad actionem peccati, quoad substantiam eius, generaliter aduertit concursum generalem non esse ita concipiendum, *an si prima causa in aliquo instanti attingat effectum, & operationem causæ secundæ in seipsa, quasi habeat vnam actionem præuiam actioni creaturæ, seu voluntati peccantis. Ille enim (inquit) sensus falsus est, non enim cum aliquis vult oportet, antequam velit precedere motionem Dei, loquendo de naturali voluntate.* Et infrà: *Sensus autem verus est, quod secunda causa non producit, nisi in virtute primæ, quæ secundam contingit suo effectu, intimius attingit effectum, quam secunda. Modum autem declarat addens: sed cooperando intrinsecè secundum modum naturæ causæ secundæ. Vnde attingit operationem voluntatis modificatam, iuxta conditionem voluntatis.* Negat ergo præmotionem in ipsam voluntatem, solumque admittit cooperationem eiusdemmet operationis voluntatis; quod iterum atque iterum repetit, & infrà circa actum peccati addit dictionem excluiuam, dicens, solùm habet motionem cooperatiuam, & prius attingit cooperando, quia inimius attingit quod prius infrà dicit esse tantum prius perfectione.

Decimo tertiò allegamus Caiet. 1. p. q. 4. art. 13. circe ad 1. 5. *Nec sustinendus*, vbi negat præuiam motionem Dei in voluntatem liberam, & hac ratione defendit contra Scotum, quod licèt Deus ageret necessitate naturæ, & ita concurreret cum voluntate libera, actus voluntatis creatæ posset esse contingens. Vnde cùm Scotus argumentetur, quia causa, quæ mouet, in quantum mota, ù necessariò mouetur, necessariò mouet. Respondet Caiet. illam propositionem posse intelligi, vel de motione præuia, vel de motione cooperante intrinsecè ad propriam actionem, & in priori sensu admittit posse propositionem, non autem in posteriori, quia *causa cooperans intrinsecè cooperatur vnicuique secundum modum eius cui cooperatur*. Et adiungit, *talis autem est cooperatio primæ causæ de qua scriptum est, Attingit à fine vsque ad finem, & disponens omnia suauiter*. vbi apertè in diuino concursu admittit cooperationem, & negat præuiam motionem, aliàs argumento non responderet, nec applicaret distinctionem, quam præmittit. Et eandem doctrinam habet eadem 1. p. quæst. 19. art. 8. in fine, vbi respondet eidem Scoto expressiùs negando præuiam motionem, sic enim ait: Non enim oportet cùm aliquis vult aliquid, seu cùm Sol illuminat primam causam, præuia motione cooperari, sed sufficit, & exigitur eam intrinsecè cooperari tali electioni, vel illuminationi.

14. Cabrera.

Hæc ergo sententia, & doctrina adeò est constans apud Caietanum, vt verisimile non sit in locis citatis cap. 27. sentisse contrarium, cùm nec tam id exprimat, nec ideo sint distincta, vt credendum sit per obliuionem contraria docuisse. Potius ergo ex illis locis inter se collatis colligendum est (quod de Capreolo etiam intelligatur) intellexisse Caietanum ad veritatem omnium locutionum D. Thomæ in hac materia, & ad explicandos varios modos, quibus dicere solet causam primam iuuare secundam, sufficere influentiam Dei in ipsam causam secundam, qua illi det esse, virtutemque natiuam, seu permanentem ad operandum, & concursum simultaneum, quo in eius effectum influit, quod an ita sit postea examinabimus. 15. Eiusdē Caietani mens explicatur amplius.

Hos authores adeò fusè retuli in primis, vt de sensu eorum dubitari non possit. Deinde, quia ex verbis eorum plures rationes ad eandem sententiam confirmandam desumi possunt. Item, quia obiter indicant quomodo intelligendæ sint variæ locutiones in hac materia quæ prioritatem in causando causæ primæ etiam vt concurrenti cum secunda attribuunt. Præterea necessarium iudicaui dictos authores distinctè recensere, quoniam ad eleuandam huius sententiæ authoritatem, quidam vir doctus illam referens, dixit, eam antiquo tempore tenuisse quosdam Theologos, cùm iam esset antiquata, & veluti extincta, modo iuniores Theologos illam suscitasse, nominat autem Molinam, Vasquez, & Suarez. Ex his autem quæ adduximus, euidenter lectori constabit testes huius assertionis non integrè nec sincerè fuisse productos. Qui enim audit quosdam Theologos, & antiquo tempore, facilè cogitabit ante plura sæcula paucos, & ignobiles Theologos illam sententiam docuisse: postea verò longè plures, & doctores illam sua authoritate obruisse, & sepelisse. Vtrumq; autem horum falsum esse ostenditur apertè, quia non aliqui, sed omnes, vel ferè omnes antiqui Theologi illam sententiam docuerunt. Nam plures eorum allegauimus, & alij vel inciderunt in errorem extremè contrarium, negando etiam simultaneum concursum primæ causæ, vt Aureolus, Durandus, & similes, quos propterea meritò omittimus, vel tantum simultaneũ cõcursum, concesserũt & tacitè alium excluserunt, quos etiam omittimus, quia non ita expressè loquuti sunt. Et omnes etiam qui specialiter in actione peccati negant Deum dare præuium concursum, hanc sententiam apertè supponunt, illos verò cap.... addemus. Solùm nobis superest D. Thom. sed illius mentem in sequentia capita expendendam reseruauimus. Nunc satis esse censemus, tres præcipuos illius defensores, & expositores ita illam intellexisse, non ergo quidam Theologi, sed ferè omnes ita senserunt. 16. Quid ex relatis auctoribus colligatur.

Deinde non antiquo tempore, sed vsque ad nostra tempora illam sententiam docuerunt; ergo numquam antiqua fuit, alioqui dedignent vel personas, vel tempora, vel loca, seu Academias quæ 17. Ex sententi

doctrinam illam aboleuerint aut repudiauerint.

Ita nunquam fuit antiquata.

Assumptum patet ex dictis, tum, quia Caietanus certè non multum nostra tempora anteceſsit, tum etiam, quia post Caietanum, ante, & post illos tres modernos, multi alij Theologi in variis regionibus illam doctrinam approbarunt: vt Ruardus artic. 7. proposito 10. de concordia gratiæ, & lib. arbitr. vbi allegat Gregorium, Gabriel, Nouocastr. & Caietanum, eorumque sententiam non vt antiquatam excitat, sed ad vt veram, & suam authoritatem retinentem amplectitur. Corduba etiam l. 1. quæstion. q. 55. dub. 4. §. *Ad supradictas*, cum Lycheto in 1. dist. 8. q. 4. circa finem, & disp. 39. q. 1. §. *Has tamen*, apertè supponunt hanc sententiam, nam ad defendendam sententiam Scoti de radice contingentiæ contra Caietanum dicunt, nunc de facto causam primam non præuenire causas secundas in agendo, vel mouendo illas, quia voluntate libera suum concursum accommodat, quod facere non potest si ex necessitate naturæ ageret. Ex qua doctrina solùm nunc sumimus, quod ad controuersiam præsentem pertinet, quidquid sit de alia hypothetica quæstione si Deus ex necessitate naturæ ageret, quid sequeretur in actionibus causarum secundarum. Occasione verò illius nonnullas rationes adducit Lychetus, quæ validæ profectò sunt ad impugnandum illum, præuium influxum causæ primæ in secundam, sed virtute à nobis tactæ sunt in superioribus. Item Bellarminus lib. 4. de grat. & lib. arbitr. cap. 15. hanc sententiam sub probabilitate defendit, imò etiam Cumel vnus ex præcipuis defensoribus auxilij prædeterminantis gratiæ cùm de concursu ad actiones malas agit, negat concursum præuium seu præmouentem voluntatem ad actum peccati etiam pro materiali, & consequenter negat illam præmotionem pertinere ad concursum primæ causæ, generatim, & quasi essentialiter necessarium 1. p. q. 22 art. 4. in Appendice concl. 5. Idemque postea constanter sequutus est P. Lorca 1. 2. q. 79. disp. 38. & q. 111. art. 3. disp. 20. membr. 1. vbi de priori sententia affirmat à temporibus Magistri Soto incepisse, & ab eius successoribus in eadem schola clarius explicatam, & acriter propugnatam esse, non tamen credit satis id fuisse ad contrariam communem sententiam antiquandam, vel Theologorum scholis relegandam.

Ruard. *Corduba.* *Lychetus.* *Bellarmin.* *Cumel.* *Lorca.*

18. *Hinc colligitur malè notari hanc sententiam.*

Vnde tandem concluditur excessisse valde authorem illum, qui hanc sententiam improbabilem appellauit, & priorem dixit esse certissimam. Nam in primis opinionem quam tot graues Theologi docent, nullus, qui eos legerit, & intellexerit, iure potest vocare improbabilem, cùm probabile sit quod pluribus sapientibus verum videtur. Deinde opinio tam communi consensu omnium Theologorum probata non potest optimis, & efficacibus rationibus destitui; quomodo ergo contraria sententia potest esse certissima? Denique non potest dici certum, & contrarium improbabile, quod nec fides docet, nec efficaci ratione probatur, aut tanto pondere humanæ authoritatis astruitur, vt illi se opponere temerarium, vel saltem improbabile iudicetur. In hoc autem puncto nihil hactenus fides docuit, vt est certum, nec tantæ authoritatis pondere contraria sententia confirmata est, vt ex his quæ cap. 27. fideliter allegauimus, constat. Et res ipsa adeò abstrusa, & intricata, vt vix explicetur à suis defensoribus, vt in capitibus præcedentibus vidimus. Quomodo ergo rationes eius possunt tantam certitudinem efficere? Abstrahendo ergo à censuris, & exaggerationibus, quid de hac re tota iudicemus, per partes in capitibus sequentibus explicabimus.

CAPVT XXXVI.

Influxum præuium primæ causæ in secundam, non esse per se necessarium ad actiones proprias naturalium agentium.

1. DIstinguimus causas secundas in eas, quæ ex necessitate naturæ, & eas, quæ liberè agunt, quoniam in prioribus facilius potest res expediri, & ab illis causis commodius, & distinctius ad cæteras transitum faciemus. Dicimus ergo his causis naturalibus, quæ in suo genere habent intrinsecam vim sufficientem agendi, non dari præuiũ influxum primę causę, vel simultaneũ tantùm, eumq; sufficere, vt actu operẽtur. Ad cuius assertionis probationem, ex sententia omnium rectè sentientium in causis etiam aduersariorum non oportet probare, talem naturalem influxum esse impossibilem, quia hoc nunc non asserimus, nec diuinam potentiam absolutam nunc contemplamur, sed prout iuxta exigentiam, & indigentiam causarum secundarum eas ad operandum adiuuat; ideóque si ostenderimus huiusmodi influxum non esse necessarium, inde sufficienter concludemus non esse, neque dari, quia nihil est frustrà, & sine ratione asserendum in his, quæ à Deo fiunt, neque enim à Deo quidquam temerè, atque in cassum factum est, vt rectè dixit Nazianz. orat. 33. quæ est secunda de Theologia.

Assertio. Hic influxus non est necessarius in causis naturalibus.

2. Probatur ergo assertio, quia hæ causæ naturaliter agentes non indigent noua virtute agendi illis addita, vt suas efficiant actiones; ergo neque indigent nouo influxu primæ causæ in ipsis recepto. Antecedens admittunt aduersarij, imò pro illo pugnant, vt cap... videbimus, & meritò, quia ipsę causæ secundæ sunt causæ principales in suo genere, & non producunt aliquid excedens perfectionem ipsarum, de his enim tractamus. Consequentia verò probatur, quia ille influxus solùm potest esse necessarius propter virtutem aliquam agendi, quæ per illum ipsi causæ secundæ conferatur; ergo si ad hunc finem necessarius non est, omnino est superfluus, nam ex parte Dei non est necessarius vt illi per modum instrumenti inseruiat: nam cùm Deus ipse, eiusque increata virtus, & causæ secundæ, & illius effectui intimè ad, & per se efficacissima sit ad suum concursum simultaneum præstandum, non indiget præuia virtute creata per quam agat, vt suprà etiam cap. ostensum est. Et ex ibi dictis potest hęc ratio ampliari, & corroborari, quæ repetere necessarium non est, sed insinuare; quia vel illa motio præuia est necessaria ex parte actus secundi, seu actionis causæ secundæ, vel ex parte principij: primum dici non potest iuxta contrariam sententiam, nam quod est præuium ad actum secundum, quóque non fit à causa secunda, sed in ea tantùm recipitur, non est pertinens ad actum secundum, nec ex parte illius retinet. Et ideo Scotus, Gabriel & alij, qui concursum simultaneum agnoscunt, rectè & consequenter dicunt concursum Dei se tenere ex parte effectus, non ex parte causæ, vt Bellarminus suprà notauit; atqui ponunt concursum præuium non possunt illi consequenter attribuere quod se tenet ex parte effectus, seu actus secundi, cùm priùs natura, ac subinde principium, & causam actus secundi illum esse definiant, vt latè dicto cap... deductum est. Neque etiam potest esse necessarius ille concursus ex parte principij, quia vel est necessarius vt principium per se, vel vt sola conditio sine qua non. Prior pars impugnata iam est, quia neque ex parte causæ secundæ, neque ex parte primæ causæ

Probatur assertio. *Nulla causa indiget huiusmodi influxu ad effectus.*

causæ est necessaria noua virtus creata, nec additio, vel complementum eius, nec etiam instrumentalis virtus ad agendum. Posterioritem pars in cap... probata est, & in lib. 1. de Auxiliis, vbi discurrendo per omnes modos quibus illa conditio cogitari, aut explicari potest, ostendimus frustrà poſtulare.

4. Idem amplius ostenditur. Et declaratur breuiter, quia in his causis non est necessaria noua motio, quasi propter seipsam, vt ita dicam, quia si non confert aliquam vtilitatem ad agendum, impertinens est, nec inuenietur in rebus naturalibus, aut causis motus aliquis à natura datus propter seipsum, sed propter aliquem terminū, neq; etiam inuenietur modus aliquis à natura datus tanquam prævius ad agendum, nisi quia *terminus eius aliquando confert ad actionem, vel per modum virtutis agentis, vel vt passum sit propinquius, & intra sphæram agentis, vel per modum remotionis impedimenti.* Vnde vlterius non potest hæc præmotio his agentibus esse necessaria, quia in termino eius habeat aliquā conditionem vtilem ad agendum, quam antea nō haberent, quia per illam motionem non tolluntur aliqua impedimenta, frequenter enim nulla præcedunt, & id in disputatione supponitur, quia per se loquimur, impedimenta autem sunt per accidens. Nec causę secundæ per illam motionem, vel terminum eius magis applicantur, quàm antea essent, quia non fiunt propinquiora passis, vel obiectis, aut materiis circa quas operatura sunt, & præter hanc applicationem nulla alia cogitari potest prævia ad actionem, vt suprà etiam probaui; quia intimior applicatio ad actionem non est aliquid distinctum ab ipsa actione. Deniq; in his etiam agentibus non requiritur determinatio prævia, & quasi in actu primo, quia illa sunt natura sua determinata ad vnum, nec maiori determinatione indigent, imo vix cogitari potest alia, quæ natura præcedat actionem; illa enim determinatio actualis, quæ sub actione considerari potest, non est aliquid prævium, sed per ipsammet actionem fit; ergo propter nullam conditionem, sine qua non potest illa motio in agentibus verisimiliter poſtulari.

5. Replica refellitur. Solum dicere posset aliquis, hæc agentia natura sua determinata ad indiuiduas actiones, vel effectus, ideóque in omni opportunitate agendi, & positis omnibus præequisitis causam de se indifferentem esse ad producendam, v. g. hanc calefactionem, illuminationem, aut visionem potius quàm illam, & ideo indigere prævia motione Dei, vt saltem ad indiuiduum determinetur. Vel è contrario dicere quis posset concursum causę primę esse de se indifferentem, non solùm ad indiuidua, sed etiam ad species, & genera actionum, ac proinde determinari debere à causa secunda, & ad hoc necessarium esse vt prius recipiatur in illa, quia vnumquodque recipitur & determinatur iuxta modum recipientis. Veruntamen propter neutram ex his determinationibus necessarius est influxus Dei prævius in causam naturaliter agentem, nā de determinatione indiuiduum, & cap... & aliis locis dixi sufficienter fieri à Deo per concursum concomitantem, seu per voluntatem prædefinientem suum influxum ad hanc indiuiduam actionem, & effectum. Nam cùm causa secunda nullum indiuiduum producere possit, nisi cooperante Deo, & cum Dei adiutorio possit varia indiuidua producere de se, non magis postulat vt ad hoc indiuiduum producendum iuuetur, quàm ad aliud, nec hoc potest ab ipso naturali agenti, verbi gratia, igne determinari; ergo oportet vt Deus ipse determinet suam cooperationem ad talem effectum in indiuiduo; & tunc consequenter determinatur etiam influxus ignis ad eundem effectum, non propter aliquid prævium quod in se recipiat, sed solum propter coniunctionem vtriusq; causæ primæ scilicet cum secunda, eo enim ipso quod Deus præfinit iuuare hic, & nunc ad hunc indiuiduum effectum, & non alium causa secunda alias determinata sit ad agendū quod potuerit, & ad quod adiuta fuerit, necessario efficit tale indiuiduū, & non aliud. Hęc ergo determinatio si consideretur quasi prævia, & in actu primo, non est formaliter in causa secunda, sed est per coniunctionē ad causam secundam sic determinatam per suā voluntatem; in actu verò secundo nihil est præter actionem talem ab vtraq; causa simul profluentem.

6. An causa prima determinetur in suo concursu à secunda. Ad alteram partem de determinatione diuini concursus, aliqui religiosè formidant ita loqui, quòd causa prima determinetur à secunda in suo concursu, tum quia inde sequeretur actionē causæ secundæ esse in aliquo genere priorem naturā, tum quia ille modus determinationis ab alio quemdam imperfectionis modū includere videtur. nam quod ab alio determinatur, ab alio pendet: concursus autem causæ primæ non pendet à causa secunda, sed ipsa voluntate sua suum concursum accommodat, & determinat sicut ad indiuiduum, ita & ad speciem, & ad modū concursus. Alij verò simpliciter concedunt concursum causæ primæ determinari à secunda, vt videre licet in Caietano 1. part. quæst. 14. art. 13. §. *neque sustinendus*, in fine, & quæst. 19. art. 8. in fine, & ex hoc principio defendit contra Scotum posse actionem aliquam esse contingentem, etiamsi Deus ageret ex necessitate naturæ.

7. Quomodo sit intelligendum. Verumtamen vtrumq; verum est si rectè explicetur, imperfectiones, vel superfluæ actiones removeantur. Itaq, dubitari non potest, quin Deus suā ad libera voluntate definiat concursum suum non solùm quoad indiuiduum, sed etiam quoad speciem, vel modum concursus. Nam diuina potentia de se indifferens est ad varios concursus præstandos, nō indifferentia imperfecta, sed perfectissima, quę est ex omni potentia, & vniuersali virtute, quæ ab extrinseco determinari facilè nō potest absolutè, sed tantum à propria voluntate; ergo Deus ipse est qui determinat speciē concursus, sicut & indiuiduum. Et tamē in hoc notanda differentia, quòd determinatio ad indiuiduū nullum habet fundamentū in causa secunda, sed ex sola volūtate Dei, vt dixi. Determinatus autem quoad speciem licèt, vt dixi, per Dei voluntatē directè, & efficienter fiat, nihilominus fundamentū, & aliquā rationem habet ex parte causę secundę nā ideo Deus determinat huic causæ dare talem modum, & speciē concursus, quia illum postulat virtus talis causæ tanquā accommodatum suę naturę. Vnde licèt non propriè dicatur actio causę primę determinari quoad speciē ab actione causę secundę, quia in hoc loquendi modo significatur ordo naturę, cum distinctione aliqua & pluralitate actionū in re ipsa, propriè tamē dici potest causa secūda in suo genere determinare primā ad talem concursum, postulando ab illa talem concursum, & non alium, neq; inde sequitur prioritas naturę in concursu, vel actione causę secundę, quia non postulat talem concursum Dei per suū concursum vt exhibitum, sed per virtutem aptā ad exhibendum talem cooperationem, & non aliam, & in hunc modū determinat concursum Dei quoad speciem, licèt non quoad exercitiū. Et sic dicitur causa prima determinari à secunda quoad contingentiā effectus, vel quoad alias proprietates, quas habet actio causæ secundæ per habitudinē ad causam proximam, cui Deus se accommodat, natura talis causæ id postulante. Et hæc doctrina est apertè D. Tho. 3. contra gent. cap. 66. vbi sic inquit, *Secunda agentia sunt quasi particulares, & determinantes actionem primi agentis*, & quæst. 1. de pot. nat. a. 4. ad 3. vbi sic inquit. *Licèt causa prima maximè influat in effectum tamen eius influentia per causam proximam determina-* D. Thom.

tur, & specificatur. quod etiam Caietanus docuit 1. part. quæst. 14. art. & quæst. 19. art. 8. & Ferrar. 1. contra gent. cap. 67. circa fin. 5. ad finem.

Caietan. Ferrar.

An inde eliciatur necessitas huius prævij concursus.

Vnde facilè intelligitur ad hunc modum determinationis causæ 1. à secunda non esse necessarium concursum prævium receptum in causa secunda, quia non est determinatio ipsius concursus in actu secundo, (vt sic dicam,) vel prout iam emanentis à Deo, sed est determinatio quasi in actu primo, & ad rem explicandâ dici potest determinatio, quoad sufficientiam, non quoad efficaciam, quæ solu prouenit ex coniunctione talium duorum agentium ad efficiendam vnam, & eandem actionem, ad quâ est determinata, & quasi contracta virtus causæ secundæ: virtus autem causæ primæ per se spectata non est limitata ad talem modum actionis, vel cõcursus; coniuncta verò cum tali causa ad iuuandâ illam, consequenter determinatur ad agendum iuxta exigentiam talis causæ, & non aliter. Et in hoc sensu, & non in alio loquutus est Caietanus, vt declararet, quod licet Deus concurreret cum causa secunda ex necessitate naturæ, si supponeretur in homine libertas arbitrij non necessitaret illu ex vi concursus, quia non per se solum ageret, sed simul cum causa secunda, & ideo ab illa determinatur ad talem modum agendi, etiamsi nihil in illam prius influeret. Et hoc bene declarat exemplũ quod adducit de principio certo de fide, vel euidẽter ac per se noto concurrente cum præmissa probabili ad assensum, ab illa enim determinatur vt tantũ influat in assensum probabilem, quæ determinatio non est per influxum vnius præmissæ in aliam, sed per solã coniunctionem ad eliciendum eundem assensum, in quem non prius influit vna præmissa, quàm alia, sed vtraq; simul mutuò se iuuantes, quia verò sunt inæquales, inferior determinat, & quasi limitat superiorem. Ita ergo seruata proportione intelligendum est in causa prima, & secunda, remotis imperfectionibus, quia causa prima non necessitatur; sicut enim non necessario agit ad extra, ita etiam absolutè, non necessario determinatur à causa secunda, sed ipsa voluntariè se determinat illi, quamquã ex hypothesi quod non vult sola agere, sed cum tali causa, & iuxta exigentiam naturæ eius ad dandum concursum in tali specie, & modo necessario determinetur. Concludimus ergo nullo vero titulo, vel ratione inueniri hanc necessariam prẽuiam motionem primæ causæ receptum in secunda ante actionem eius ac proinde admittendam non esse.

CAPVT XXXVII.

Quid Patres, & Philosophi de necessitate prævij concursus quoad causas naturales senserint.

Quomodo fit hoc loco vsurpanda auctoritas.

1. PRæter authoritatem Scholasticorum Theologorum, quam suprà pro hac sententia retulimus, oportet securitatem eius iuxta Ecclesiasticam authoritatem, & consensionem eius, cũ Philosophica doctrina, præsertim Aristot. declarare. Duo autem in nostra assertione continentur, vnũ est affirmatiuum, scilicet necessarium esse concursum concomitantẽ in ipsa actione causæ secundæ, & hoc probare non oportet, quia in eo cõuenimus, quamuis ex his quæ dicimus, satis confirmabitur. Aliud est negatiuum, scilicet, præter concursum simultaneũ in effectum, non esse per se necessarium agentibus naturalibus concursum in ipsis receptum, & ab eorum actionibus distinctum, atq; ad illas prævium. Hanc igitur solam partem intendimus authoritate confirmare: non oportet autem, vt negatio illa expressè, ac formaliter, vt ita dixerim, in Patrib⁹, vel antiquis Philosophis inueniatur, numquã enim in hanc quæstionẽ inciderunt, aut illam subtiliter disputarunt. Satis ergo esse existimamus, quòd cùm multa de diuina operatione docuerit, quib⁹ cõcursus sim ultaneus adstruitur, nunquam alterius cõcursus prẽuij meminerũt neq; illius necessitate nobis indicarũt. Hinc enim alio suprà tradito principio posito quod illa præmotio si necessaria non est, non datur, credimus assertionem positam Philosophorũ, & Patrũ imo & S. Script. authoritate posse non leuiter confirmari, quia in his omnibus solùm legimus nihil fieri, aut posse fieri in mundo, q̃ Deus ipse non faciat, & nihil aliud nos docent vt necessariũ, vel ad eminentiã, & vniuersalitatem diuinæ causalitatis, vel ad præstandũ naturalib⁹ causis auxilũ sufficiens, quo suos conatus reales effectus producant. Ergo in ipso tacitè indicant aliam prẽuiam motionem quæ à solo Deo fieri debeat, necessariam non esse. Cõsequentia fit valde verisimilis ex dicto principio. Antecedens autem quoad vtramq; partem probamus per dicta tria membra discurrendo.

a Scriptura auctoritas quæ ad hoc facit.

Et primò ex Scriptura ad probandũ concursum Dei cum causis secundis, solum habemus illa testimonia, in quibus omnes effectus, & opera causarũ secundarum Deo vt nũc operanti, & per se, ac proprie facienti tribuuntur, vt est illud Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine* & illud 10. 5. *Parati, & cum meus vsque modo operatur; & ego operor.* & illud Ioã. 10. *Etenim manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.* & Ps. 138. *Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim manus tua deducet me.* vtique mecum cooperando, & clarius Psalm. 146. *Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam, qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum,* &c. Et similia sunt infinita in Scriptura, in quibus ipsamet effecta, & opera causarum secundarum Deo tribuuntur, & per hunc modũm explicant cooperationem eius, cum causis secundis in his, quæ naturalia sunt: quæ simplicitèr, & verisimè intelliguntur ratione diuini concursus essentialiter imbiti in actione creaturæ. Ratione eius possunt ad omnes naturales causas applicari verba Christi, Ioã. 15. *Sine me nihil potestis facere*, & verba Pauli ad Philipp. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere.* Ita enim illa D. Thomas applicat lib. 3. contrà gent. c. 67. & alia similia. Ergo illa motio prævia quoad hos effectus naturalium causarum non habent in Scriptura fundamentum: non est ergo ex vi Scripturæ necessaria, & consequenter nec asserenda.

b Scripturæ auctoritas quæ ad hoc facit.

Dices, interdum talem effectum tribui Deo excludendo causam secundam, quod nõ aliter potest esse verũ, nisi quia aliquid proprium operatur ibi causa prima, ratione cuius totum illi soli tribuitur. Assumptum patet ex illo Ieremiæ 18. *Sicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea domus Israel.* Apertius 2. Machab. 7. *Singulorum membra, non ego ipsa compegi,* &c. Ac denique Actorum 17. dicitur, *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* vbi particula *in ipso* indicat prævam virtutem Dei, per quam viuimus, & operamur. Sed hæc nihil ad præsentem causam faciunt, nã in primo testimonio non agitur de concursu Dei cum causis secundis, sed de potestate, quam Deus habet ad affligendos, & subleuandos homines maiori facilitate, quam posset figulus vas à se confectũ frangere, & meliorẽ formam restituere. Vnde post verba allegata subiungit Deus, *Repentè loquar aduersùs gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & dissipem illud.* & infrà, *Ecce ego fingo contra vos malum,* &c. vbi Hieronymus, & D. Thomas ponderant verbum *fingo* alludere ad parabolam, seu exemplum figuli. Vnde rectè Maldonatus ibi cõtra hæreticos aduertit, non agi ibi de animo, sed de corpore, de morte, & vita, & reb⁹ aduersis, & prosperis de

c Replicatio.

de captiuitate, & liberatione ab illa. quasi dicat, *Ego possum mortificare, deducere ad inferos, & reducere,* 1.Reg. 2.

4. Idem obijcitur.

In altero verò testimonio non excluditur actio causæ secundæ, sed tribuitur principaliter Deo, tamquam primo agenti, in cuius virtute, vel mater vel semen patris in formatione hominis operatur, vt ibi Lyranus notat: vt enim mater illa Machabęorum mentem filiorum ad Deum erigeret, omnia in eum refert, & illi soli beneficium generationis, & formationis corporis humani tribuit, ad eũ scilicet modum, quo Paulus dixit, *Non ego, sed gratia Dei mecum*, ex quo dixit Gregorius 16. Moral. cap. 16. *Deum solum dici esse, quia licet aliæ res etiam sint, non tamen principaliter sunt, quia in semetipsis minime subsistunt, & nisi gubernantis mana teneantur esse nequaquam possunt.* Vnde infrà concludit, *In omni igitur causa solus ille metuendus est, qui principaliter est.* Tertium deniq; testimonium potiùs confirmat discursum factum, nam, vt Aug. dicit lib. 4. de Gen. & liter. c. 12. verbum istud, *in quo viuimus*, &c. liquidò cogitatum, quantum humana mens valet, adiuuat hanc sententiam, qua credim⁹, & dicimus Deum in his quæ creauit indesinenter operari. Et infrà non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur. Ita ergo in illo agunt causę secundæ, quia idem Deus agit, & operatur quod ipse.

5. PP. auctoritas qui de diuin. concurrant. operatione cũ creatura non per aliquid præuium. Nazianz. Basil. Dionys. Bernard. Gregorius. Augustin.

Secundò possumus simili modo ex Patribus argumentari, sicut enim concursum Dei ad operationes creaturarum vbique requirunt, ita illum non nisi per diuinã cooperationẽ cum creatura declarant. Id constare potest ex Greg. Nazianzeno Orat. 34. quæ est secunda de Theologia. Basil. Hom. 9. Exaemer. Dionys. de diuinis nomin. c. 4. p. 4. Berniard. de Grat. & l. arb. post medium, tractans verba Sapient. 8. *Attingit à fine vsque ad finem disponens omnia suauiter.* Prospero in libro Sentent. in 277. & Gregor. l. 6. Moral. cap. 6. alias 8. & lib. 16 cap. 16. aliàs 18. præcipuè verò Augustini sententia expendenda est, quia P. Aluarez disp. 18. dicit suam sententiam esse expressam D. Augustini, nullum tamen eius testimonium adducit præter ea, quæ pertinent ad auxilia gratiæ, quæ ad rem præsentem non faciunt, vt postea videbimus. Augustinus ergo in epist. 146. q. 2. vbi docet nunc Deum operari cuncta, quæ creantur & corporum lineamenta formare, & ita exponit, verba Christi. Matth. 6. *Si fœnum quod hodie est, & cras in libanum mittitur, Deus sic vestit*; cùm enim dixit, *vestit*, non de præterita ordinatione, sed de præsenti operatione satis indicat. Et simili modo ponderans verbum. *Deus dat corpus*, 1. Corinth 15. ait, non dixit *dedit*, sed *dat*, vt creatorem intelligas efficaciam sapientiæ suæ rebus, quæ quotidie suis temporibus oriuntur, condendis adhibere. In quibus vltimis verbis pondero non aliter explicare Augustinum hanc Dei operationem nisi per efficaciam, quam quotidie tribuit rebus, quæ à causis secundis fiunt, illas vtique efficiendo. Et lib. 5. Genes. ad liter. cap. 20. eadem testimonia eodem modo expendens ait, *Sic ergo credamus, vel si possumus intelligamus vsque nunc operari Deum, vt si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intereant.* In hoc ergo ponit necessitatem diuini influxus, & operationis continuæ, quòd sine illius operatione nihil potest subsistere, aut in esse conseruari, ac subinde nec incipere, ex quo solum colligitur necessitas influxus in effectum, & actionem omnis causæ, non verò alterius in causam præter eum, qui ad conseruationem eius, & virtutis eius necessarius est.

6. Quæret Augustino obijcitur.

Sed instari potest, quia statim in eodem capite subiungit Augustinus, *mouet itaque occulta potentia vniuersam creaturam, eoque motu illa versatadum Angeli iussa perficiunt, dum circumeunt sydera, dum alternant venti, dum abyssus aquarum lapsibus, & diuersis etiam per aerem conglobationibus agitatur, dum vireta pullulant, suaque semina euoluunt, dum animalia gignuntur, varioque appetitu proprias vitas agunt, dum iniqui iustos exercere permittuntur, explicat sæcula, quæ illuc cum primum condita sunt tamquam implicita indiderat. Quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille qui condidit, prouido motu administrare cessaret.* In his quippe verbis videtur Augustinus præter singulorum effectuum operationes requirere prouidum modum, quo Deus causas singulas ad suas operationes applicet. Et hoc ipsum significauerat lib. 4. cap. 12. dicens, non ita Deum die septimo ab opere condendi creaturam requieuisse; *vt à cœli, & terræ, omniumque rerum quas condiderat gubernatione cessaret, alioqui continuò dilaberentur. Catoris enim potentia, eo omnipotentis, atque omnipotentis virtus causa subsistendi est omni creaturæ, quæ virtus ab eis, quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul illorum cessaret species, omniscque natura concideret.* In quibus verbis non solùm influxum in ipsis effectibus, sed etiam speciale regimen causarum, quod non fit sine illarum motione, requirit. Vnde paulo inferius tractans verba Sapient. 7. *Omnibus mobilibus, mobilior est sapientia*, sic ea interpretatur: *Eius motus agilior, celeriórque est omnibus motibus*; & subiungit, *Satis apparet rectè intuentibus hunc ipsum incomparabilem & ineffabilem, & si possit intelligi stabilem motum suum rebus eum præbere suauiter disponendi, quo vtique subtracto si ab hac operatione cessauerit, eas continuo perituras.* Et lib. 9. cap. 15. multa similia habet, in quibus indicare videtur ad exactam Dei prouidentiam præter operationem ipsorum effectuum necessarium esse occultam quandã & intimam motionem, quę causas ipsas regat, excitet, & ad operandum applicet.

7. Soluuntur & explicatur.

Verumtamen hi modi loquendi, & similes, qui in Patribus de prouidentia Dei agentibus reperiuntur, nostram probationẽ non infirmant, sed potiùs cõfirmãt, solùm enim per illa verba docemur, nihil fieri in vniuerso quod ad eius conseruationem, vel rerum procreationem conducat, quod non à Deo agente, & mouente, sapientérq; omnia prouidente fiat. Et hoc egregiè confirmauit, & indicauit Augustinus illis verbis: *Prouido motu Deus administrat ea, quæ condidit.* Vnde considerari debet, aliud esse loqui de singulis causis secundis simplicib⁹ (vt sic dicam,) prout vnaquęq; habet per se sufficientem virtutem ad agendum suum peculiarem effectum; aliud verò esse, loqui de toto ordine causarum vniuersi, & de effectibus, qui ex variis coniunctionibus, aut separationibus earum proueniunt. Quando enim causa est prioris generis, si supponatur habere aliæ requisita ad agendũ ex parte materiæ, seu passi, & nullum habere extrinsecum impedimentum agendi, tunc ad effectum sola actio proxima causę per se necessaria est, quam à Deo fieri etiam necesse est, quia nihil in rerum natura esse potest nisi Deus illud operetur: alia autem motio ex parte Dei tunc necessaria non est, nec Augustinus vllo modo illam indicauit. Quando autem effectus ob peculiarem conditionem, perfectionem, aut varietatem plurium causarum creatarum concursum requirit, vel quod causæ proximæ aliquid virtutis actiuæ addatur, vel suppleatur, tunc necessarius est aliquis prędius motus, quo vel talis concursus causarũ, vel additio virtutis in aliqua causa fiat, & tunc etiam necesse est talem motum à Deo fieri, vel cum aliis causis secundis simul mouentibus, vel interdũ à solo Deo si aliæ causę desint. Tum autem cùm agit Deus solus, non operatur propriè concurrendo, sed vt propria & tota causa supplendo defectum causæ secundæ, vt in creatione animę rationalis, tum autem quasdam causas per alias mouet, & alię motæ tandem efficiant, tunc illa motio Dei respectu causarum, quæ ad alium effectum prędstandum,

vel

vel inter se, vel ad passum applicantur, vel in sua virtute confortantur, talis motio fit per influxum prævium, & in causam ipsam: tamen ille non est prævius concursus, sed prævium complementum causæ proximæ, vel quoad virtutem, & actum primam, vel quoad conditionem requisitam. Vnde semper ille motus in his agentibus naturalibus, de quibus nunc tractamus, est vel localis, si tendat ad solam coniunctionem, vel applicationem causarum, vel alterationis si propter aliquod augmentum fiat.

8. Cõtinuantur ea explicatio modi quo Deus ex August. operatur eõ creaturis.

De vtroque igitur modo operandi cum causis, & in causis secundis loquitur Augustinus, & ideo dicit mouere Deum *occulta potentia vniuersam creaturam suam*. Et ab Angelis incipit, quibus Deus imperat vt cælos moueant, & inde oriuntur varij aspectus stellarum, & multiplices influxus, quibus & venti excitantur, & aquæ agitantur, & terra fructificat, &c. & ita varij producuntur effectus, qui in prioribus causis virtute continentur, adiuuante tamen, & administrante illas Deo, prouido motu, id est, necessario, & accommodato effectibus, & causis secundis non superuacaneo, aut naturæ cursum impediente. Nam, vt idem Augustinus dixit lib. 7. de Ciuitate cap. 30. *Sit Deus omnia quæ creauit administrat, vt etiam proprios exercere, & agere motu sinat.* Et lib. 9. Genes. ad liter. cap. 19. eandem Dei cooperationem cum creaturis eisdem ferè modis declarans inter alia dicit. *Naturæ agit interiori motu, nobisque occultissimo, cui tamen si Deus subtrahat operationem intimam, qua eam substituit, & facit, continuò tanquam extincta nulla remanebit.* vbi per operationem intimam nihil aliud intelligit, nisi intimum influxum Dei in omnem rem, vt sit, vel fiat. Ideoq; suppositâ operatione Dei in causam secundam, qua illam conseruat, solam operationem in actionem eius ad eiusdem effectus requirit. Et hęc diuina operatio vt ab infinita sapientia, & potenti voluntate procedit, sufficit ad omnes effectus & operationes causarum vniuersi, vt diuinæ prouidentię subsunt, vt optimè describit idem Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 3. & 4. Solet denique allegari Augustinus 5. de Ciuit. cap. 9. & lib. 8. Genes. ad liter. cap. 20. quod dicat solum Deum agere in motum, creaturas autem aliquid agentes omnes esse mobiles. Augustinus verò non dicit agentia creata indigere prævio motu ad agendum, sed solùm dicit omnia illa, licèt possint alia mouere, ipsa etiam esse mobilia, quod verum est, non quia semper indigeat motu propter actionem, sed quia omnes res creatæ, siue agant, siue non agant, mutabiles sunt, vt eisdem locis de omnibus in Deum Augustinus affirmat.

9. Gregorius explicatur.

Et iuxta eandem doctrinam accipienda sunt verba Gregorij dicto c. 16. lib. 16. Moral. vbi inter alia dicit. *Nec ea, quæ mouentur, & non viuunt, suis nutibus ad motum ducuntur, sed ille cuncta mouet, qui quædam viuificat, quædam verò non viuificata in extremam essentiam mirè ordinans seruat.* Et infrà. *Omnia quæ creata sunt per se, neque subsistere prævalent, neque moueri, sed in tantum subsistunt, in quantum vt esse debeant, acceperunt. in tantum mouentur, in quantum occulto instinctu disponuntur.* In quibus verbis licèt, priora clara sint (solum enim in eis docet Gregorius, sicut omnia pendent à Deo in esse, ita etiam pendere in motibus eius,) nihilominus vox illa, *occulto instinctus* obscura est, & fautores prævij influxus in causam ad illum libenter eam accommodabant, præsertim, quia non de animantibus tantum, sed etiam de inanimatis eam Gregorius intellexit. Paulo enim inferius subdit. Nunquid nam hæc, quæ inanimata, vel quæ viuentia diximus, suis instinctibus, & non magis diuinis impulsionibus agitantur?

10. Veruntamen longè diuersa est Gregorij intentio, explicat enim ibi peculiarem prouidentiam, quam Deus circa res insensibiles, & elementares vniuersi in ordine ad hominum vel vtilitatem, vel punitionem, propter quos fines interdum Deus occultis impulsibus, & motibus, vel per se, vel per Angelicam creaturam sibi ministrantem ita causas secundas mouet, & applicat, sicut ad eosdem fines expedit. Vnde per illa verba, *occulto instinctu disponuntur*, subiungit: *Ecce enim peccator flagellandus est de rebus humanis. Arescit in eius laboribus terra, concutitur in eius naufragijs mare, ingescit in eius sudoribus aer, obtenebrescit contra eum inundationibus cœlum, inardescunt in eius oppressionibus homines, mouentur in eius aduersitate Angelicæ virtutes.* Et ex his subinfert verba superius posita. Nunquid non hæc diuinis impulsibus agitantur? Isti ergo impulsus non pertinent ad essentialem (vt ita dicam) concursum necessarium vnicuique causæ ad agendum, siue prævium, siue comitantem, sed pertinet ad prævenientes motiones per quas Deus ordinat causas secundas, & concursus earum ad eius effectus producendos, quos per misericordiam, vel iustitiam ad homines alendos, vel flagellandos efficere disposuit. Vnde concludit, *Quidquid est itaque quod exterius sæuit, per hoc ille metuendus est, qui hoc interius disponit.* Illi autem motus, seu impulsus in hominibus, vel Angelis non sunt nisi prævię cogitationes, vel excitationes quæ seruata proportione etiam in animantibus brutis motis ab extrinsecis obiectis fieri possunt, vt hoc vel illo modo moueantur, vel operentur, vt in Scriptura habemus exemplum in ouibus quas pascebat Iacob, quæ ex apprehensione virgarum varij colores effectum aliquo modo similem in colorum varietate producebant, & in asina Balaam, quę per visionem Angeli sub sensibili aspectu conturbata, & in diuersos motus agitata est. In elementis verò, & rebus sensibilibus illi impulsus ordinariè consistunt in motibus localibus aut ab eis incipiunt applicando varias causas efficientes, vel inter se ad simul efficiendum, vel ad materiam hoc, vel illo modo immutandam, ex qua applicatione postea per alterationem varij effectus generationum, aut corruptionum sequuntur. Et ita omnes illi impulsus pertinent vel ad externam applicationem causarum, vel ad complementum virtutis earum: postquamautem sic completę, & applicatę sunt, per solum concursum concomitantem sufficienter, & efficaciter operantur.

Idem continuatur.

11. Catechismi Pij V. explicatio.

Deinde ad eundem modum intelligenda sunt verba quędam quę habentur in Catechismo Pij V. p. 1. de expos. symbol. c. 2. de primo eius art. n. 20. quę sic habent. *Non solum Deus vniuersa quæ sunt, prouidentia sua tuetur, atque administrat, verum, etiam qua mouentur, & agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, vt quamuis causarum secundarum efficientiam non impediat, præueniat tamen, cum eius occultissima vis ad intima pertineat, & quemadmodum sapiens testatur, attingat à fine vsque ad finem fortiter, & suauiter omnia disponat. Quare Apostolo dictum est, cum apud Athenienses annuntiaret Deum, quem ignorantes colebant, non longè est ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* quę verba alij authores de illo suo prędo influxu omni causę etiam naturali necessariò ad agendum intelligere volunt. Sed incredibile profectò est authores illius libri eum sensum intendisse, quia valde alienum erat à fine, & vtilitate Catechismi quæstionem valde metaphysicam, & incertam definire, & Parochis proponere, vt iuxta eam populum instruerent, ac docerent, cùm neque communis populus eam intelligere. neque ipsi Parochi eam percipere ordinariè valeant, aut explicare.

12. Dico ergo in illo loco solum tradi certam & Catho-

Catholicam doctrinam, nimirum diuinam prouidentiam, nec efficientiam causarum secundarum tollere, aut impedire, neque causas secundas subterfugere diuinam operationem, aut motionem, quæ illas præuenit, & ad agendum impellit. quæ duo vel iuxta doctrinam datam circa Aug. & Greg. intelligenda sunt, quòd eas præueniat, & impellat, non per generalem concursum à quo earum actio essentialiter pendet, sed per alias motiones, & applicationes quando ad fines intentos per diuinam prouidentiam necessarium est, vel intelligenda sunt generatim, & abstrahendo ab opinionibus, nimirum quòd omnes præuenit, vel dando eis virtutes agendi, & conseruando illas, vel etiam offerendo concursum & auxilium necessarium ex parte sua, & destinata voluntate sua illud quasi præparando, qualecumque illud sit, quando actu datur. Et similiter impellit eas, vel per naturales inclinationes illis inditas, vel per speciales motus superadditos, non semper, sed quando ad virtutem agendi, vel applicationem localem, vel animalem (vt sic dicam,) necessarium est. Et hunc esse debere legitimum illorum verborum sensum præter rationem suprà factam constare potest, tum ex ratione ibi subiuncta, *cùm eius occultissima vis ad singula pertineat*, quæ solum improbat omnes motus impulsus, & actiones creaturarum virtute operante diuina fieri, non tamen probant fieri per concursum prævium, aut concomitantem, tum ex testimonijs Scripturæ, quæ statim allegat, quæ nihil aliud probant, nisi quod explicauimus, vt & ex his quæ de Scriptura diximus, constat.

Petigitur in explicatione.

CAPVT XXXVIII.

Quid de concursu prævio in causis secundis naturalibus D. Thomas senserit.

1 Quæstio de mente S. Thomæ quæ ex illo colliguntur adhuc seruij allabrer.

VEnio ad D. Thomam, sub cuius sola vmbra, & authoritate prioris sententiæ authores eam defendunt, & inter eos Aluarez dixit sine dubio esse expressam sententiam D. Thomæ. Sed sine dubio ita est D. Thomæ, sicut Augustini, de quo idem affirmat, non tamen probat, vt notaui. Primum ergo D. Thomas in summa illam sententiam non docuit, sed potius hanc nostram satis aperte indicat, nisi in sensu improprio per vim exponatur. Solet autem in primis allegari D. Thom. 1. part. q. 105. art. 4. & 5. (omitto autem nunc quartum, quia in eo specialiter tractat de voluntate, de qua posteà dicturi sumus.) In art. ergo 5. agit de omni causâ secunda operante. Ex in corpore ita concludit. *Deus in omnibus intimè operatur.* Et hanc assertionem probat ex Scriptura Isai. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* & Iob. 10. *Pelle & carnibus vestisti me.* quæ, vt vidimus, in omni proprietate solum probant concursum cooperantem. Hunc ergo in sua conclusione intendit D. Thomas. Quia verò in discursu rationis vtitur illis modis loquendi, *secundum agens agit in virtute primi, & primum agens mouet secundum ad agendum, & Deus mouet res ad operandum, quasi applicando formam, & virtutes rerum ad operationem.* Ideo alij authores interpretantur omnia hæc dici propter prævium influxum in causam: nos autem dicimus ad omnia illa sufficere influxum in causam, dando illi formam, & virtutem operandi, & conseruando illam cum concursu concomitante in effectum, quod quomodo intelligendum sit soluendo argumenta, & alia testimonia eiusdem Doctoris sancti declarando luculentius explicabimus.

2 Modus S.

Nunc verò quod ad illum locum attinet, ex illo colligimus, D. Thomam præter effectionem, & conseruationē causæ ac permanentis virtutis eiusdem vnam tantùm Dei operationem, seu actionem ponere ad generalem eius concursum, & illam esse hanc sententiam concomitantem influxum, & per hoc tacitè docere alium prævium non esse necessarium, sicut ex aliis testimoniis argumentati sumus. Assumptum declaramus. Primo, quia cum D. Thomas quærit, an Deus operetur in omni operante inaximè interrogat de operatione per se, & immediatè tendente ad eundem effectum causæ secundæ, hoc enim est, quod ad fidei doctrinam pertinet, & contra hoc tendunt omnia argumenta, quę D. Thomas proponit, & occasione quæstionis hoc loco intellectæ ortus fuit error, quem in corpore articuli refert. Cùm ergo in principio articuli, ex eo, quòd omnia agunt in virtute Dei, & quòd primum agens moueat secundum ad agendum, infert. *Et ita ipsa* (vtique virtus Dei) *est causa omnium virtutum agentium.* Intelligi planè de causâ per se, & immediatè efficiente, seu efficiente ipsam actionem secundarum agentiū; ergo in illis principijs, quæ assumit, non loquitur de virtute, vel motione pręuia in causam, sed loquitur de virtute intrinseca, & increata ipsius primi agentis, in cuius virtute cætera agunt, & de motione intima, qua secundum agens per concursum in eius actione imbibitum ad agendum iuuat. Nam si illa propositio intelligitur de motione prævia primę causæ recepta in secunda, non inferretur ex ea per locum intrinsecum immediatus influxus Dei in actionem creaturæ, sed ad summum mediante illa motione indita ipsi causæ secundæ. Melius ergo intelligitur illud principium de motione adiuuante concomitanter, & simultanea, & imbibita in actione causæ secundæ.

Locus ex 1. P. q 105. a. 5.

Idem sumi potest ex altera ratione quam subdit; quia Deus est causa vniuersalissima totius esse, & ideo intimè operatur in omnibus, hæc enim ratio de consensu concomitante concludit non de alio. Estque considerandum D. Thomam vnam tantùm ponere assertionem, & ad eam probandam; & explicandā omnes rationes dirigere, & variis modis loquendi vti, non quia existimauerit quotiescumque Deus operatur cum causis secundis, duas semper actiones, seu motiones, aut concursus eis tribuere, (nunquā enim hoc ita declarauit,) sed vt doceret concursum Dei etiamsi in ipsa actione causæ secundæ imbibatur, esse altioris ordinis & perfectionis, & oriri ex vniuersalissima virtute causæ 1. cui subordinatur, non verò è contrario. Cùm ergo D. Thomas duplicem illam actionem Dei numquā declarauerit, verisimile non est tam confusè, & obscurè, & sine speciali probatione illas tradidisse, vbi rem ex professo, & quasi in vltimo testamento disponebat, ac disputabat. Cuius etia argumentū mihi est, quia nihil contra duplicem concursum in argumentis obiecit, sed contra vnum tantū, & in solutionibus defendendo vnum concursum comitātem putat se omnibus difficultatibus sufficienter satisfeciſſe. De nullo enim alio in solutionibus loquitur, & quæ in eis tradit hunc sensum confirmāt, vt breuiter per illas discurrendo declarabo, ac secunda incipiendo, quia in illa res est clarior.

3.

In solutione ergo ad secundū expresè dicit concursum causæ primæ & secundæ esse vnam & eamdem actionem prout procedit à primo, & secundo agente, quę cū sint diuersi ordinis possunt esse principia eiusdem actionis. Item colligitur ex solutionibus ad 1. si consideretur argumentum quod de immediata actione ipsius effectus procedebat. quia si talis actio est à Deo, superflua esset actio causæ secundæ, cùm actio Dei sufficiens semper existat: quod necesse est intelligi de actione per se, & immediata, alias conditionalis propositio impertinēs esset, & falsa. Respondet autem D. Thomas Deū quidem

dem per illam actionem sufficienter agere, non in omni genere agentis, sed per modum agentis primi, & propterea non esse superfluam cooperationem secundi agentis; ergo ex vi influxus primi agentis nullum alium concursum D. Thomas requirit. Considerandum etiam est argumentum tertium cum solutione, erat enim argumentum Deum operari sufficienter in omni operante, quia omnibus dedit virtutes operandi, eásque conseruat. Respondet autem non solùm hoc modo operari in omnibus causis secundis, sed etiam eas *applicando* ad agendum, quod verbum *applicandi* statim alij ad concursum præuium applicant. Ego verò, vt responsio D. Thomæ sit sufficiens, inde colligo in phrasi, & modo loquendi D. Thomæ etiam applicationem ad agendum secundi agentis à primo, quæ sit per se ac intimè, & quasi essentialiter requisita, non esse aliam ab ipsa actione, qua secundum agens vltimatè, & quasi in actu secundo ita applicatur ad agendum, vt passum virtute sua contingat, ac proinde non fieri à Deo, nisi per concursum in ipsamet actione imbibitum. Nam si hoc ita non esset, non satis respondisset D. Thomas Deum non tantùm operari dando, & conseruando virtutem agendi, sed etiam applicando ad agendum, quia si illa applicatio esset præuia, adhuc ex vi illius Deus non concurreret immediatè, & per se ad actionem causæ secundæ, sed vel per accidens dando aliquam conditionem sine qua non, vel ad summam dando complementum aliquod virtutis agendi, quam doctrinam paulo post tractando locum alium quæstionis 3. de potent. magis explicabo.

5. Denique ad hoc confirmandum expendo, & declaro verba tituli illius articuli, vtrùm Deus operetur in omni operante; illa enim particula *in*, duobus modis potest intelligi, primo vt dicat habitudinem subiecti, ita vt quæratur an omne operans sit subiectum in quo Deus operetur. Secundò dicere potest particula *in* habitudinem intimæ præsentiæ ad operandum, ita vt sensus sit, an Deus in omni operante operetur, tamquam in illo intimè existens, & cum illo intimè operans. Quòd ergo D. Thomas in priori sensu quæstionem non mouerit, facilè persuaderi potest ex dictis, quia neque ex argumentis aliquid obiicit contra illum sensum, nec argumentum, sed contrà ex verbis Isaiæ sumptum in illo procedit, nec in corpore articuli ad illum respondet, neque aliquam rationem affert, qua responsionem in illo sensu affirmantem comprobet. Intendit ergo alium sensum, quem non solùm dicta omnia contrario modo inducta indicent, sed etiam verba participalis assertionis responsiuæ apertè declarans, sic enim concludit, *sequitur quòd Deus in omnibus intimè operatur*. quod sufficientissimè & verisimè ratione conseruationis formæ, & virtutis agentis simul cum concursu simultaneo eiusdem actionis intelligitur. Et explicatur optimè ex verbis eiusdem D. Thomæ 1. part. quæst. 8. art. 1. ad 3. vbi ait, hoc ad maximam virtutem Dei pertinere, quod immediatè, in omnibus agit: vnde nihil est distans ab eo, quasi in se illum non habeat.

6. Alia loca S. Thomæ quæ primũ illum confirmant. 1. 2. q. 109. n. 1.

Discursum, & ponderationem huius loci qui in hac materia esse debet capitalis, multum confirmat modus loquendi D. Thomæ de hoc concursu in hac materia de gratia 1. 2. quæst. 109. ferè per totam: nam in 1. art. sic ait. *Actio cuiuscumque agentis creati pendet à Deo quantum ad duo, vno modo in quantum à Deo habet formam, seu perfectionem per quam agit: alio modo in quantum mouetur ab ipso ad agendum.* Deinde addit agens creatum per propriam formam habere efficaciam ad effectum sibi proportionatum: vt autem vltra illum agat indigere forma superaddita, satis aperte insinuans ad effectus proportionatos non indigere forma, vel perfectione superaddita, sed tantùm motione, id est, adiutorio, & cooperatione primi agentis. In quo testimonio duo pondero, vnum est duo tantùm postulare D. Thomam ad actionem causæ, vnum ex parte ipsius causæ, scilicet virtutem agendi; alterum ex parte Dei motionem, seu concursum, ac proinde alienum esse à mente D. Thomæ duas actiones vel motiones ex parte Dei postulare. Alterum est quando causa secunda habet virtutem proportionatam suo effectui non indigere ad agendum noua virtute, aut perfectione in se recepta, ac subinde tunc non esse necessarium influxum in causam, quia si talis influxus esset necessarius, non posset per illum non dari causę noua perfectio, & virtus actiua vltra illam, quam naturalem habet, vt suprà cap. 28. ostensum est, hoc tamen apertè D. Thomas negat. Eodem modo in art. 2. 3. & 9. vnicum tantum concursum generalem ad opera naturalia requirit, quod vocat *auxilium Dei mouentis*, vt suprà vidimus: cur autem ita illum appellet, suprà etiam tactum est, & paulò post iterum dicetur.

7. Respondet. Ad hæc loca respondent aliqui ex Thomistis, sub motione Dei comprehendere D. Thomam concursum pręuium, & simultaneum, eósque licèt realiter ad illius inter se distinguantur, tanquã vnũ numerare, quia res eius ordinantur ad vnum effectum, & ideo quasi vnum censentur. Sed hæc expositio à nullo antiquo Thomista data est, nam Capreol. in 2. d. 28. quæst. 1. ad 12. vt suprà allegaui, negans cum Gregorio necessitatem motionis pręuię ad auxilium generale, discrepat, concordare D. Thomam, & citat hunc locum Conradus etiam ibi de vnica influentia generalis concursus hęc loca intelligit referens ad ea, quæ dixerat quæst. 9. art. 4. vbi in fine corporis ait illam generalem influentiam esse solam efficientiam actionis voluntatis prout est à Deo prętera alia, quę ex quæst. 79. suprà allegauimus. Deinde est alia expositio contra proprietatem verborum, & voluntaria, quia illo modo etiam virtus actiua causę secundę, & concursus Dei sunt vnum, quia ad vnum effectum ordinantur, & in beatitudine dici posset, duo tantùm requiri ad videndum Deum, scilicet, lumen, & intellectum, quia licèt requiritur obiectum, seu diuina essentia per modum speciei, vnum cum lumine, quia ad eundem effectum tendit. Denique mirum profectò est, vt suprà dicebam, quòd D. Thomas crediderit duas motiones Dei esse necessarias, & quod toties, & in tot articulis semper de illis vt de vna tantùm loquatur, propter solum ordinem ad eundem effectum, cùm id sit valde metaphoricum, & inusitatum.

8. Alia loca explicantur. Alij ergo interpretantur D. Thomam loqui in illis articulis de concursu pręuio, & in causam. Ita exponit Aluarez & probat, quia S. Thomas dicit, *quòd per illam motionem Dei accipiat virtutem ipsa causa secunda ad operandum.* Longè verò aliter exponit ibi Caietanus, nam dicta quæst. 109. art. 1. in principio dicit asserre D. Thomam illud principium, quòd agens secundùm indiget motione primi agentis ad mouendum, vt ostendat, *quòd non solùm dependemus in esse, & conseruari, sed etiam in operari, itaque ipso non cooperante non possemus operari.* vbi per illam motionem intelligit diuinam cooperationem, & nihil aliud existimat necessarium. Deinde si D. Thomas loquitur de concursu pręuio, cùm vnicum tantùm requirit, sequitur ex illius sententia non esse necessarium concursum immediatum Dei in actionem creaturę, sed in illam solum influere medio concursu pręuio, quod nec dictus author admittit, neque dici potest, vt in cap. 28. & sequenti latè declaratum est. Denique falsò D. Thomę imponitur quod in aliis articulis dicat causam

causam secundam accipere virtutem ad operandum à prima per motionem prævuiam; nihil enim tale in illis articulis inuenietur, sed solùm quòd causa secunda pendet à prima quoad duo, scilicet, quoad virtutem agendi, & quoad actualem motionem, non tamen dicit accipere virtutem, sed potius ait virtutem supponi ad motionem quando effectus est proportionatus naturali virtuti causæ secundæ, & tunc negat esse necessarium aliquid perfectionis illi addi. Vnde alij Thomistæ etiamsi dicant prævuiam motionem esse necessariam, negant per illam addi, vel consummari virtutem agendi, quia aliàs tolleretur omnis efficientia causarum secundarum ante actualem concursum Dei. Aluarez. Et idem P. Aluarez negat illam motionem tenere se ex parte actus primi, quod planè repugnat, si dat causæ virtutem ad operandum, vt in dicto cap. 28. & sequenti latè dictum est. Necessarium ergo est, vt D. Thomas loquens de vna generali motione primi agentis per illum concursum simultaneum intellexerit, quia ille est intimior, & ex vi essentialis dependentiæ euidenter necessarius.

9. Explicatio aliorum locorum quæ ab aduersarijs afferuntur ex S. Thoma 1. 3. contra gent. c. 66. & 67.

Atque ad hunc modum possunt induci omnia, quæ de ista dependentia, & motione causæ secundæ à prima tradit latè D. Thomas 3. contra gent. c. 66. & 67. quæ solent in contrarium allegari, quia in eis dicit Doctor sanctus omnes causas secundas agere in virtute primæ, & Deum esse causam operandi omnibus operantibus; nam vtrumque volunt aduersarij intelligi propter influxum prævuium in causam. Sed non ita est; nam si omnes actiones quas illis capitulis ad illam conclusionem probandam D. Thomas affert, attentè considerentur, nihil de tali concursu prævio in eis inuenietur. Quia solum duobus præcipuis modis declarat Deum esse aliis operantibus causam operandi, scilicet, quia eis dedit virtutes operandi quas semper conseruat, & quia agere non possunt, nisi Deus illarum effectibus, & actionibus esse influat, quod facit per concomitantem concursum: & ratione illius dicuntur omnia agere in virtute Dei, vt paulo post in cap. seq. amplius explicabo.

10. Explicatur c. 70. lib. 3. contra gen.

In cap. verò 70. vt declaret, quomodo idem effectus sit à Deo, & naturali agente, prius obiicit tria argumenta, quæ omnia supponunt illam efficientiam in hoc consistere, quòd virtus diuina, & virtus causæ vna, & eadem actione totum effectum naturalem producunt. Deinde modus illius causalitatis per hoc solum declarat, quòd primum agens dat secundo virtutem agendi, & conseruat eam, & applicat illam ad agendum, vbi necesse est loqui de applicatione, qua per se & immediatè fit effectus. Nam inde infert, sicut secundum agens immediatè est actiuum, ita virtutem primi agentis esse immediatam ad producendum effectum, quòd certè non esset consequens, nisi illa applicatio ad agendum esset intimè ipsi effectus, & per actionem ipsam per se, & immediatè terminatam ad ipsum fieret, vt circa solutionem ad tertium primi testimonij ponderaui. Et iuxta hunc sensum procedunt reliqua, quæ respondendo ad argumenta docet. Nam in primis concedit vnicam esse actionem causæ primæ concurrentis cum secunda, & ipsius causæ secundæ, neque in generali concursu ponit vnquam aliquam actionem quæ sit solius Dei. Deinde ostendit neutram causam esse superfluam, quia secunda agit in virtute primæ, quatenus ab ea essentialiter in agendo pendet, & quia prima vult locum agendi concedere causæ secundæ, illi efficientiam suam ex immensa suâ bonitate attemperat. Ac tandem ex eodem principio facilè declarat, quomodo totus effectus sit à duabus causis subordinatis inter se. Non dicit autem aliquam ex his causis, scilicet, primam habere duplicem influxum in effectum distinctum ab influxu causæ proximæ, nimirum vnum per virtutem instrumentariam denuò, & actualiter factam in causa secunda & alium immediatum in ipsum effectum, & proximè procedentem à virtute increata in ipso Deo existente, alioqui debuisset D. Thom. etiam respondere cur hoc superfluum non sit, vel quæ imperfectio causæ secundæ tot Dei actiones, & influxus requirat, quod semper in agendo niti debeat immediatè in ipsa virtute increata Dei, & hoc satis illi sit ad dandum esse suo effectui, & ad dependentiam, quam in hoc debet ab ipso esse per essentiam.

11. Omittuntur alia loca D. Thomæ

Alia sunt plura D. Thomæ loca, quæ in vtramque partem ab authoribus vtriusque sententiæ agitantur, quæ nunc omitto, quia vel superioribus similia sunt, vel in argumentis primæ sententiæ tanguntur, & in consequenti tractabuntur, vel pertinent ad concursum cum voluntate libera, de quo dicere incipiemus c. vel denique pertinent ad auxilium efficax gratiæ, de quo in lib. 5. dicturi sumus. Aliis ergo omissis prætermittere hîc non possumus locum celebrem in q. 3. de potent. art. 7. quo nos maximè premunt defensores prioris sententiæ, quia in eo, præsertim in solut. ad 7. apertè videtur D. Thom. ponere in causis secundis duplicem virtutem necessariam ad agendum, vnam firmam, & permanentem, quæ est virtus connaturalis vnicuique causæ, aliam fluentem, quæ à Deo fit in re naturali, & per eam actualiter agat, & de hac dicit esse per modum intentionis, & habere esse incompletum ab instar motus instrumenti, vel vt species coloris in aëre, propter quæ verba dixi in lib. 1. de Auxiliis D. Thomam in eo loco sensisse dari in causa secunda aliquid prævuium actu inditum à causa prima ad agendum; illam verò sententiam postea tacitè retractasse quæ responsio reiicitur à nouioribus Thomistis, & video antiquiores etiam non ita de eo loco sensisse: nam Capreolus, & Caietanus, vt suprà dixi, doctrinam illius articuli allegant, & sequuntur tanquam consentaneam, & conformem doctrinæ eiusdem S. Doctoris, & ideo paulo diligentiùs articulum illũ considerare libuit, & simul occasione illius omnia, quæ de reliquis locis diximus, amplius declaremus, & confirmemus. Locus q. 5. de potent. art. 7.

12. Explicatur accuratius.

Primò ergo considerandus est discursus corporis articuli, in quo impugnato errore, qui secundis causis proprias suas efficientias negabat, ita concludit. *Non ergo sic est intelligendum, quòd Deus in omni re naturali operetur, quasi res naturalis nihil operetur, sed quia in ipsa naturâ, vel voluntate operante Deus operatur.* vbi particula *in*, (vt suprà notaui) non dicit habitudinem ad naturam, vel voluntatem vt subiectum, sed vt principium operationis suæ, ratione cuius dicitur Deus in ea operari; aliàs nec assertio responderet quæstioni, neque per illa verba explicaretur Deum efficere ipsammet operationem naturæ. Nam in titulo non quæsiuit, an Deus operetur in natura operante; sed an operetur in operatione naturæ, id est, an operetur ipsammet operationem naturæ; in eodem ergo sensu loquitur in illa assertione affirmando Deum efficere operationem naturæ, & voluntatis, & ideo statim aggreditur explicare modos quibus vna causa esse potest principium actionis alterius: ponit autem quatuor modos. Primus est dando virtutem agendi, secundus est conseruando illam, tertius vt applicans, & mouens virtutem agendi inferioris causæ, quartus vt principale agens respectu instrumenti. Ex omnibus his modis dicit, Deum esse causam efficientem actionis causæ secundæ: ex illis tamen quatuor modis duo primi ad præsentem quæstionem non spectant: nam etiam Durandus & alij qui negarunt necessitatem generalis concursus, illos modos

dos non negant. quia illi modi efficiendi non sunt per se, & immediati respectu actionis creaturæ, sed remoti, & quasi per accidens, sicut causa causæ, est causa causati, sed præmittuntur à D. Thoma; tam in illo loco, quàm in aliis, quia explicant essentialem dependentiam causæ secundæ, & virtutis eius in suo esse à causa prima, ex qua oritur dependentia etiam in agendo. Oportet autem notare illos duos modos necessarios esse per actiones, seu influxus in reipsa distinctos, quia productio, & conseruatio esse potest eadem actio continuata. Vnde per se tantùm distinguuntur habitudine ad esse, vel non esse, quod præcessit, vt ex Metaphysica constat.

13. Quomodo D. Thom. Deum mouere causam secundam ad agendum.

Tertius modus quo Deus dicitur causa actionis causæ secundæ, erat quatenus mouet illam ad agendum, & addit D. Thom. hæc verba. *In quo non intelligitur collatio, vel conseruatio virtutis actiuæ, sed applicatio virtutis ad actionem*, per quæ explicat satis hunc motum non esse talem cogitandum, vt per eum conferatur causæ secundæ noua aliqua virtus agendi, & consequenter non esse concursum prævium, qualis à nouioribus Thomistis cogitatur. Nam quidam illorum fatentur addere complementum virtutis; alij verò licèt nomen refugiant, rem planè fatentur, dum aiunt per illam motionem conferri causæ secundæ aliquid quod est formale principium efficiendi actionem causæ secundæ: ex quo necessariò sequitur tale principium conferri causæ secundæ per illam motionem, ac subinde conferri aliquam virtutem agendi, principium enim agendi per se non agit sine virtute, vt est per se notum. Explicat ergo D. Thomas motum illum esse tantùm applicationem virtutis ad agendum, quod duobus modis potest intelligi.

14. Primus modus explicandi dictum illud.

Primò proprio, & vulgari modo de applicatione antecedente, quæ solet esse conditio necessaria ad agendum, & antecedere solet in agentibus creatis quoties agere incipiunt, maximè quando agunt ex necessitate naturæ, nam de liberis postea dicemus. Illa enim cum positis omnibus requisitis ad agendum necessariò agunt, si habeant totam virtutem per se necessariam ad agendum, & non agant, non potest esse nisi ex defectu alicuius conditionis necessariæ, quam applicationem prævium ad agendum nunc vocamus: ac proinde si virtus est eadem, & antea non agebat, & nunc agere incipit, necesse est, vt aliqua applicatio præcesserit. Sed in hoc est notanda differentia inter potentias vitales, quæ immanenter agunt, & virtutes agentes actione transeunte, nam in prioribus semper applicatio materiæ circa quam, fit per aliquam mutationem in ipso agente, quamuis sit semper necessaria in eadem potentia; etenim si potentia sit appetitiua, requirit prævium applicationem materiæ, quæ fit per cognitionem, & sic applicatio illa fit per mutationem in apprehensiua potentia. Si verò fit apprehensiua, & antea nihil operetur, oportet, vt ab aliquo obiecto excitetur, quod non fit sine aliqua mutatione, & impressione speciei; si verò iam operatur, potest per potentiam appetentem ad alium actum applicari, & tunc applicatio fit per mutationem in appetitu factam. At verò in his, quæ agunt actione transeunte, applicatio sæpè fit per motum ipsius agentis; aliquando verò fieri potest per solam passi mutationem. In toto autem hoc genere applicationum, motio quæ interuenit fit ordinariè, seu intra ordinem naturæ sistendo per causas secundas, & per motus physicos, & nobis notos, vt sunt motus locales in rebus inanimatis, & actus vitales per productiones phantasmatum, aut aliarum specierum intentionalium in viuentibus. Et simul etiam tota hæc applicatio fit à prima causa vt concurrente cum secunda mouente, & applicante aliam, & tunc respectu applicantis actiuè Deus agit per concursum simultaneum; respectu verò causæ applicatæ est motio prævia, non tamen per se requisita ex vi essentialis dependentiæ à prima causa, sed ex defectu conditionis requisitæ, quæ supponitur præcedere, quod accidentarium est. Nec etiam illa semper recipitur in causa, quæ applicatur ad agendum, sed tunc solum quando applicatio fit per directam actionem in ipsam, quod non est in omnibus necessarium, vt declarau.

15. Actionis motio ita.

Præter hos autem modos applicationum, non potest cogitari alius qui fit per motionem conditionis tantùm prævia ac necessariæ ex parte causæ secundæ, vt præcisè in actu primo intellectæ. Et ideo sicut in locis antea tractatis dixi, ita & in hoc verisimile mihi non est D. Thomam loqui in hoc modo applicationis. Nam licèt verissimũ sit, quoties illa applicatio necessaria est, & fit, illam facere Deum; tamen neque est per se necessaria in omni actione creaturæ, neque fit immediatè à solo Deo secundum communem cursum naturæ: hic autem tractamus de concursu, quem Deus per seipsum, & immediatè confert in omni operatione causæ secundę. Et ideo illo peculiari modo ipsamet exhibitio actionis potest dici applicatio agentis ad agendum, non prævia, seu in actu primo, sed quasi formalis, & in actu secundo, & hæc per se necessaria est in omni agente, quoties de nouo agere incipit, & de hac intelligo loqui D. Thomam, & in illo articulo, & quoties dicit, Deũ per generalem concursum applicare causam secundam ad agendum. Ad hoc autem non est necesse vt aliquid prævium ponat in causa secunda, imò neque illud intelligi potest, quia cùm sit formalis applicatio, quæ per ipsam fit, inter illam, & principium agendi non potest altera applicatio intercedere, nam omnis alia quæ cogitari potest, præcedit, & tenet se ex parte actus primi; hæc ergo applicatio eo modo à Deo fit, quo ipsa actio causæ secundæ, cùm sint idem: actio autẽ fit per se, & immediatè à Deo per seipsum, seu per concursum simultaneũ in ipsa; ergo eodem modo fit dicta applicatio; ergo propter illã non oportet D. Thomam in illo tertio modo ponere influxũ prævium in causa.

16. Obiectio S. Thomæ verbo mouendi vtentis.

Instabis, expresè D. Thomam docere per hanc applicationem moueri virtutem causæ secundę ad agendum: quomodo autem moueri potest nisi aliquid in se recipiendo? Vnde D. Thomas semper vtitur exemplis, quæ supponunt motum receptum in re quæ applicatur ad agendum, vt est applicatio cultelli ad scindendum, vel calami ad scribendum.

Respondeo. Respondeo D. Thomam vti verbo mouendi ad explicandam dependentiam secundi agentis à primo, & superioritatem ac potestatem primi agentis in secundũ: non oportet autem illud verbum in physico rigore, & proprietate sumere, sed iuxta materiæ exigentiam ac capicitatẽ. Sicut ergo applicare causam secundã ad agendum, nihil aliud est, quàm illam actioni suæ subiungere, ita mouere illam ad agendum, per se, ac formaliter loquendo, non est nisi illam actu agentem constituere, quod non aliter fit effectiuè à Deo, nisi efficiendo ipsam actionis eius, quod facit per influxum in ipsa actione imbibitum. Et sic etiam dixit D. Thom. in eodem art. & in 1. p. q. 36. art. 3. ad 3. *virtutem causæ primæ coniungere causam secundam* suo effectui. Non enim coniungit illam, nisi vel potestate, dando illi virtutem agendi, vel actu efficiendo actionem eius, hoc enim modo applicat vltimatè illam, & mouet, seu iuuat potiùs ad agendum.

17. Explicatur responsio.

Addere verò possumus Deum concurrere cum causa secunda per voluntatem suam præbendo concursum; potest ergo actio causæ secundæ comparari vel ad actionem Dei externã, vel ad voluntatem Dei: priori modo non tam dicetur causa secunda moueri à Deo, quàm iuuari, vel cum illa cooperari Deum;

Deum; posteriori autem modo dici potest moueri à Deo ad agendū, non per impressionem externam, & præuiam in illa factam, sed per quandam subordinationem, ad eum modum quo intellectus dicitur moueri à voluntate, quando ad credendum applicatur, non quia voluntas aliquid imprimat intellectui ad actum fidei, & principium illius, vt quidam nouiter inducere tentant, sed propter sympathiam, & naturalem subordinationem potentiarum, vt est communis Philosophorum consensus. Sic ergo dicitur causa naturalis moueri ad agendum per voluntatem diuinam, quia eo ipso, quòd illa est sufficiens constituta, & expedita in actu primo ad agendum, si vult illi præbere concursum, statim prodit in actionem, etiamsi voluntas Dei nihil nouum in illam exprimat. Est tamen discrimen in exemplo adducto; quia voluntas hominis applicando intellectum, neque aliquid præuium illi imprimit, neque per se, & immediatè influit in actionem intellectus: voluntas autem Dei applicando causam secundam efficit per se, & immediatè actionem eius, & efficiendo actionem, causam etiam secundam ad agendum applicat.

18. Quid sit apud S. Thom. Deū agere cum causis secunda per modum causæ principalis.

Superest quartus modus, quem in eodem articulo D. Thom. addit, dicens Deum efficere actionem causæ secundæ per modum principalis agentis, in cuius virtute causa secunda tanquam eius instrumentum agit, quod longo discursu declarat, tamen summa est, quòd solus Deus dat esse virtute propria: aliæ autem causæ in virtute Dei, de quo principio in capite sequenti plura dicturi sumus. Nunc quod ad hunc locum attinet, manifestum est, cùm D. Thomas ait, *agentia secunda dare esse in virtute Dei*, nō loqui de virtute creata, & instrumentali, quam Deus prius natura influat in causam ipsam secundam, sed de virtute increata, quæ est idem cum ipsa essentia Dei. Inde enim inferius probat Deum immediatè agere in omni agente, quia virtus Dei immediatius dat esse cuilibet effectui quàm virtus creata: virtus autem Dei est ipsa essentia diuina, & ideo vbicunq; operatur virtus Dei, operatur etiam immediatè ipse Deus; loquitur ergo de virtute increata. In eodem ergo sensu dicit, *quòd Deus in qualibet re operatur in quantum eius virtute* (vtique increata) *qualibet res indiget ad agendum*. Ergo respectu illius virtutis increatæ dicuntur causæ secundæ instrumenta, non quia virtutem instrumentariam in se recipiant, sed quia in actionibus suis nituntur in virtute ipsa increata Dei, & quia ad nutum voluntatis Dei operantur, & quia ab ea, vt à principali causa pendent, & illius cooperatione tanquam præcipua motione indigent. An verò causæ secundæ dicendæ sint principales causæ, vel instrumentales, quātum præsens materia postulauerit, in capite sequenti attingemus; siue vero vno, siue alio nomine, siue vtroque diuersis rationibus appellantur (quod fortasse de modo loquendi est,) nunc satis nobis est, quòd vt dicuntur dare esse in virtute Dei, non oportet vt ad agendum nouam virtutem, præter connaturalem à Deo recipiant, quia quælibet naturalis virtus, quatenus firma est, & permanens ac congenita cum creatura, est virtus instrumentaria illo modo respectu Dei, & ratione sui esse non potest nisi in virtute Dei dare. Vnde in eodem articulo ad 4. ait D. Thomas, quòd tam Deus, quàm natura immediatè operantur; & ad 5. ait, virtutem inferiorem intrinsecè esse instrumentum superioris virtutis, vtique Dei. Vnde subdit exclusa superiori virtute, inferior virtus operationem non habet. Solum ergo petit ipsam virtutem diuinam, quæ inferiorem iuuet, atque ita concludimus etiam hunc quartum modum efficiendi Dei in operibus causarum secundarum, non postulare præuium influxum causæ primæ in secundam, sed per efficientiam principaliorem Dei in eandem actionem, & effectum sufficientissimè perfici.

19. Altera instantia.

Dices ergo, quartus modus efficiendi non differt à tertio, & superflue D. Thomas tot modos efficiendi Dei cum causis secundis numerauit, cum reuera vnus tantùm sit, scilicet per simultaneam cooperationem, vel ad summum duo, vnus mediatus dando virtutem agendi, alius immediatus simul concurrendo. Respondeo quamuis duo primi modi formaliter non pertineant ad actualem concursum, nihilominus, vt iam dixi, à D. Thoma esse præmissos non tantum hoc loco, sed etiam in aliis suprà traditis, quia valde conducunt ad intelligendam radicem, & causam necessitatis auxilij, seu concursus actualis, quia ex dependentia in esse nascitur dependentia in agere. Deindè licut priorem modum agendi per actionem remotam in duo distinxit D. Thomas, licèt in re non dicant actiones distinctas, sed vnam permanentem cum duplici habitudine, vt adnotaui; ita in duobus modis vltimis non oportet cogitare duas actiones Dei in re distinctas, quia reuera non sunt, neque in illo art. à D. Thoma asseruntur. Imo contrariæ sententiæ assertores tam ex tertio, quàm ex quarto modo possitis a D. Thoma colligunt; & probant concursum præuium; nam per illum dicunt applicari causam secundam ad agendum, & per eundem moueri vt instrumentum diuinæ virtutis; ergo ex sententia illorum illi duo modi non requirunt duas actiones ex parte Dei, nos verò addimus illam actionem non esse nisi concursum simultaneum, quia per illum sufficientissimè vterque modus fit. Et ex mente D. Thomæ id confirmamus, quia aliàs in omnibus illis quatuor modis cooperationem simultaneam Dei, quæ maximè necessaria est, in prima causa omisisset, quod est incredibile. Scio dicturos vnam sub alia comprehendisse, quia vna ad aliam ordinatur, sed non est hoc verisimile, quia intentio principalis erat ostendere immediatum influxum in actionem, quia hic est per se requisitus in prima causa; & hic significatur, cum dicitur Deus esse causa per se actionis creaturæ, & ad hoc declarandum tendunt tertius, & quartus modus agendi à D. Thoma positi. Illis ergo modis Deus operatur per vnum concursum simultaneum. D. Thomas autem illos distinxit, vt duas perfectiones in Deo, vt duas veluti dependentias in causa secunda nobis explicaret. Vna est, quia omnis causa secunda, quamuis naturaliter agat, non potest applicari ad agendum sine voluntate Dei, & ideo eius actio semper est in Dei dominio, & hac ratione dicitur Deus applicare causam secundam ad agendum, quia si suspendat concursum, non potest applicari: si autem illum præbeat, illam applicari sinit, & illam etiam applicat, actionem eius cum illa efficiendo. Alia est, quòd Deus solus per se sufficit ad dandum esse, quia solus est ipsum esse per essentiam; creatura verò sicut non potest habere esse, nisi à Deo, ita non potest dare esse, nisi adiuta virtute Dei, quam ob causam dicitur dare esse vt instrumentum Dei pariter illud efficientis. Et ita illi duo modi magis explicant duas rationes necessitatis concursus diuini, quàm duas actiones in eodem concursu distinctas. Quapropter ex toto illo corpore articuli sincerè intellecto, nihil est, quod concursum non confirmet.

Reiicitur.

20. Tertia instantia.

Solum nobis facessit negotium solutio ad primam, quia in ea videtur distinguere D. Thomas duplicem virtutem, quam Deus dat secundæ causæ, vnam per modum formæ habentis esse ratum, & firmum, aliam per modum intentionis, & motionis transeuntis, prout intellexit Ferrar. 3. contra gent. cap. 70. & sequuti sunt alij Thomistæ recentiores; quorum expositio olim visa est verbis con-

Ferrariensis.

sentanea: tamen quia ille locus cum aliis collatus non est tantæ authoritatis, in illo examinando non multum laborauí, & tacitè à D. Thoma reuocatum dixi, quia reuera in nullo alio loco similibus verbis vsus est, neque aliquid fluens per modum intentionis in Dei concursu interuenire dixit. Nunc autem motus authoritate Capreoli, & Caietani attentiùs considerauí discursum illius articuli, & planè intellexi, in quarto illo modo agendi, quo D. Thomas dicit, creaturam agere per virtutem Dei, non agere de virtute instrumentaria à Deo facta in creatura, sed de ipsa virtute increata Dei, vt iam ponderauí, & ex ipso contextu manifestè ostendi. Estque modus ille loquendi satis proprius, vt D. Thomas ipse ex professo declarat 1. p. quæst. 36. art. 3. ad 4.

Capreolus. Caietan.

21. Recitur.

Hinc vlteriùs animaduerti cum proportione intelligendum esse, quod idem D. Thomas in dicta solutione ad 7. maximè docet, non potuisse communicari creaturæ vt ageret sine operatione Dei, quia licèt illi dari potuerit virtus propria, non tamen vis illa qua agit vt instrumentum primæ causæ; quæ quidem vis, vt declaraui, non est nisi ipsa virtus diuina adiuuans virtutem creatam ad agendum: igitur ideo non potest virtus creaturæ talis esse, vt non indigeat operatione Dei, quia non potest esse ipsamet virtus Dei, neque potest illi dari, vt sit vniuersale essendi principium, vt idem D. Thomas subiungit. Ex quibus tandem probabilissimè dici posse existimo, etiam in principio illius solutionis, non loqui D. Thomam de virtute creata fluente indita causæ secundæ, prius quam agat, sed solùm de ipsamet cooperatione Dei, quam comparat D. Thomas motioni instrumenti artis, non quia in omnibus seruet similitudinem, sed solùm in actuali dependentia à superiori agente: in aliis verò non oportet seruari similitudinem, quia nec causæ secundæ, sunt propriè instrumenta, vt infrà dicã, nec exempla oportet esse in omnibus similia.

22. Confirmatur.

Cùm ergo D. Thomas ait, præter virtutes naturas, & permanentes rerum naturalium, *id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat esse vt intentionem solam*, &c. de actuali quidem motione Dei intelligendum puto, non tamen ita fieri in re naturali, vt illa in ipsa causa secunda, vel virtute eius tanquam in subiecto recepta (nisi quando in illa recipitur propria actio, sed ita vt generaliter, & per se loquendo fuit in re naturali quoad actionem eius, quia id, per quod immediatè Deus iuuat causam secundam ad dandum esse suo effectui, & ipsamet actio prout fluit à Deo, & ideo dicitur esse quasi motio artis, vel ad modum intentionis. Et hoc modo facilè creditur, & rectè intelligitur, non potuisse communicari creaturæ agere sine virtute principali Dei mouente, sed adiuuante ipsam. Procedetq; exemplum D. Thomæ cum proportione quadam: nam sicut instrumento artis, vt securi, tribui nequit, vt absque fabri motione per se scindat, ita nec causis secundis, quæ veluti instrumenta diuinæ artis sunt, tribui potest vt sine supremi artificis influxu efficiant. Ad hunc ergo modum potest ille locus exponi, vt necassertioni nostræ, nec doctrinæ eiusdem authoris in aliis locis, imò in eodem articulo in corpore contrarius sit. Si autem alicui visum fuerit vim aliquam inferri illi literæ, potest persistere in priori responsione à nobis data, nam sine dubio sententia D. Thomæ in aliis locis satis perspicua est, & in eis si modum loquendi non correxit, quoad sensum doctrinæ saltem emendauit clariùs loquendo, quod maximè ex his, quæ de causis liberis dicemus, confirmabitur.

CAPVT XXXIX.

Quid Aristoteles, vel antiqui Philosophi de necessitate concursus prævij in causis secundis naturaliter agentibus senserint.

SVpereſt vt de Philosophis, præsertim de Aristotele, pauca dicamus. Nam P. Aluarez ita dicit, suam sententiam esse expressam Aristotelis, sicut Augustini, & Thomæ. Ad id autem probandum adducit hæc verba Aristotelis 8. Physic. cap. text. 33. *Vtraque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium, sed magis primum; illud enim mouet vltimum, sed non hoc primum, sine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem sine hoc, vt baculus, non mouebitur, nisi moueatur ab homine.* In quibus verbis sentit Aristoteles quòd sicut baculus non mouebit aquam, nisi moueatur à manu, ita neque causa secunda aget aliquid, nisi moueatur à prima. Habetq; vim hoc testimonium suppositio alio principio eiusdem Aristotelis, quod agentia creata non mouent nisi mota, 7. Physic. c. 1. & lib. 8. c. 5. & intelligit de proprio motu recepto in ipso agente, quia inde concludit deueniendum ad vnum primum mouens immobile. Tandem allegat Aristotelem in lib. de caus. propos. 1. & 16. dicentem virtutem diuinam esse virtutem omnium causarum, & coniungere illas suis effectibus.

1. P. Aluarez verba Aristotelis adducit.

Sed in primis in his locis nihil inuenio ab Aristotele dictum de modo concursus primæ causæ cum secunda: nam in prioribus locis non tractat de omnibus causis efficientibus, sed de mouentibus motu physico. Vltimus autem locus non est Aristotelis, sed vel Procli, vt quidam volunt, vel alicuius incerti authoris Arabis, & D. Thoma in principio Comment. eiusdem libri sentit. Deinde neque priores propositiones in vero sensu applicatæ cum proportione ad quamcumque causam efficientem, neque posteriores aliquid obitant assertioni positæ, sed illam potiùs confirmant, vt statim declarabo. Prius tamen aduerto non satis constare ex doctrina Aristotelis quid ipse senserit de immediato concursu primæ causæ ad omnes actiones causarum secundarum. Nam in lib. de Mundo ad Alexandrum versus finem, id planè negare videtur ab illis verbis. *Reliquum est vt summatim differamus de causa quæ omnia continet, & de qua inquit: Vetus fama est, & quidem hæreditaria mortalium omnium vniuersa a Deo, & per Deum nobis esse constituta; nec verò vlla natura per se sufficit orbata salute, quam ipse ferat.* Nihilominus statim latissimè docet Deum non immediatè ac per seipsum omnia facere, neque omnibus præsentem esse, sed in sublimi loco existentem inde virtutem suam diffundere, primo quidem, ac præcipuè in cœlestia corpora, & interea efficacius in ea, quæ sibi propinquiora sunt, ac proinde hæc terrestria diuinam vtilitatem (vt ait) *infirmius participare.* Vnde sic concludit. *Itaque rectius est suadere, quod etiam conueniens & Deo maximè decorum intelligitur in cœlo virtutem esse constitutam & plurimam remotis, vt vno verbo rem absoluam, & omnibus in vniuersum salutem afferre, quam penetrare, & eo frequenter accedere, vbi neque honestè, neque liberaliter ipse per se conficeret, quæ apud nos essent.* Quod postea exemplo Imperatoris humani latè declarat & suadet, ac iterum concludit. *Grauius, & decentius existimabimus Deum constitutum esse summo in loco, & virtutem eius per vniuersum mundum diffundi Solem, & Lunam verjare, & cœlum totum conuertere, authoremque esse salutis eorum quæ in terra commentur.* Et postea declarat illo simplici motu Deum hæc omnia interiora operari, & hoc putat ad efficaciam virtutis eius pertinere. Et infra iterum sic ait, *Natura diuina de simpli-*

1. Replicatur ratio ba.

Dubia ab Aristotele de immediata primæ cum secunda.

simplici quodam rei primæ motu proximis largitur, atque de his iterùm ad remotiora quoad per vniuersum transeat. Aliud enim ab alio motum, & hoc rursus aliud videtur agitare cum mundo.

3. Negat Aristoteles hunc concursum immediatum.

Ex quibus euidenter apparet Aristotelem non credidisse, Deum per seipsum, & immediatè operari omnia causarum secundarũ opera immediatione, vt aiunt, suppositi, sed ad summum immediatione virtutis. Imò nec de hac immediata virtute sensisse videtur esse aliam ab influentia cœlorum, quæ ab ipso Deo mouente cœlum originem ducit; & ideo virtus etiam dicitur, quia per virtutem eius efficitur. In hoc autem Aristoteles grauiter errauit, & de Deo, & de efficientia eius humiliter ac indignè sentit: ideo tam de illo, quàm de aliis Philosophis ita dicentibus, meritò dixit Albertus in 1. d. 45. art. 3. Quidam Philosophi excluserunt voluntatem Dei ab operibus naturæ, dicentes eum tantùm posse mouere *primum mobile, alia verò moueri diuersimodè secundùm distantiã ab ipso, & illi, qui vanitatem sequuti sunt, in vanitate obierunt, & obscuratum est cor insipiens eorum. Sicut Tullius qui negat præscientiam, vt stabiliat casum, & fortunam. Et Commentator super Physicam, & Metaphysicam, qui negat Deum immediate operari in quolibet, vt stabiliat vnicuique propriam actionem secundum propriam naturam quam habet, & in 1. d. 3. art. 1. Aristotelis coniecturas dissoluit.*

Albertus.

4. Nullum efficax argumentum est Aristotelem deduci posse hoc loco.

Cùm ergo Aristoteles & eius Commentator in errore versatus fuerit, nullum argumentum efficax ex eius doctrina sumi potest: nam si omnino negauit influxum causæ primæ in effectus causarum secundarum, tam immediatione virtutis, quàm suppositi, vt Albertus indicat, profectò neque concursum prævium, neque simultaneum admisit: si autem posuit causam primam influere in effectus causarum secundarum, saltem immediatione virtutis licèt non suppositi, vt Fonseca sentit, & verba Aristotelis indicant, tunc mirum non est, quòd posuerit prævium influxum in causam, sicut nos capite sequenti dicemus de influxu cœlorum, seu causarum creatarum vniuersalium, quia præter illum non posuit concursum simultaneum: vnde si virtus increata Dei non operetur per seipsam immediatam actionem causæ secundæ, nec causa secunda sola sua virtute illam efficit, necesse est, vt aliqua virtus creata addatur causæ secundæ, quæ habeat vicem Dei, & cum causa secunda operetur.

5. Quid sit virtus quã Aristoteles dixit à prima causa deriuari.

Iuxta hunc tamen modum ponendi prævium influxum in causam, tollitur concursus simultaneus immediatè procedens ab ipso Deo, sicut Aristoteles illum negauit. Vnde à contrario sumimus efficax argumentum. Nam ideò Aristoteles posuit virtutem illam descendentem à Deo ad causas secundas, priùs ad proximas, & per illas ad remotas, quia non putauit Deum per se facere omnia, & esse in omnibus causis, & immediatè immediatione virtutis propriæ, & suppositi operari in omnibus; ergo è contrario, si immensitatem virtutis increatæ Dei intimè existentis in omnibus causis, & effectibus creatis cognouisset, & perfectum modum operandi Dei in omnibus immediatè per suam virtutem, & suppositum assequutus esset, profectò numquam de illa virtute prævia, & diffusa cogitasset. Quapropter virtus illa de qua Aristoteles loquutus est, non est talis, qualis ab his Theologis cogitatur. Nam ab Aristotele ponebatur vt virtus quædam per modum actus primi, quæ posset supplere totam immediatam efficientiam causæ primæ necessariam ad actionem causæ secundæ, ita vt illa virtus iam non indigeret alio concursu simultaneo ipsiusmet Dei, in quo sensu continet illa sententia grauissimum errorem in fide, & repugnantiam in ratione naturali, quia si virtus illa creata est, essentialiter pendet ab actuali influxu Dei, vt nunc supponimus esse demonstratum. At verò Doctores Catholici longè sunt ab hoc errore, non possunt igitur Aristotelis authoritate iuuari, nec rationem reddere cur nouam prævia virtutem creatam requirant, si virtutem increatam intimè assistentem, & per seipsam operantem, vt par est, agnoscunt.

6. Responsio ad Aristotelis loca allata.

His ergo consideratis facilis est responsio ad testimonia Aristotelis allegata. Ad primum enim respondemus Aristotelem ibi de mouentibus, & motibus physico motu, siue locali, siue alternationis, siue alio simili loqui. In quibus manifestum est, si plura sint mouentia, & mota inter se subordinata, sistendum esse in aliquo primo, quod ab alio non moueatur, ne detur processus in infinitum, & à primo mouente pendere reliqua, quia si primum cesset, cætera vsque ad vltimũ necessariò cessabunt, quia primum non mouet vltimum nisi mediante proximo: ergo si prima motio cesset, cætera deficiunt; è contrario verò non sequitur, si posteriora cessent, primum etiam cessare à motu, quia non pendet ab aliis in mouendo. Et ideo dixit idem Aristoteles in eodem c. 5. text. 4. In mouentibus, & motis per se ordinatis magis mouere primũ, quàm reliqua, quia potest moueri sine reliquis, non verò alia sine ipso. Verumtamen in his locis, vt notaui, semper Aristoteles loquitur de causis ita subordinatis, vt ultima tantùm immediatè moueat in illo vltimo motu, ita vt prima solùm immediatè moueat secundam, & per illam tertiam, & secunda immediatè moueat tertiam, & illa quartam, & sic deinceps. Et sic clarum est, tam vltimam causam, quam omnes intermedias debere moueri à prima motu proprio in vnoquoq; recepto. At verò subordinatio essentialis inter omnes causas secundas respectu primæ in agendo longè altioris ordinis est, est enim dependentia immediata ab ipso Deo, tam immediatione virtutis, quàm suppositi; & ideo secundùm hanc rationem non pendent à Deo, vt mouente ipsas causas, sed vt coagente, & vt amouente subiectum illud in quo agit causa secunda, quem modum coagendi, & mouendi primæ causæ Aristoteles non agnouit, vt ostendi.

7. Responsio ad secundũ locum.

Vnde ad alium locum respondetur, principium illud, causa secunda non mouet nisi mota in physicis motibus, propter peculiarem rationem, & imperfectionem inueniri semper veram cum proprietate, suppositio communi ordine causarum naturalium vniuersi, siue talis motus requiratur in causa propter applicationem localem, vt fortasse est in motu cœli, siue propter influentiam causæ rerum vniuersalium, cuius indigentia in his rebus inferioribus, & elementaribus inuenitur. At verò abstrahendo à mouentibus, & motis physicè, & loquendo generaliter de causa secunda effectrice sufficienter constituta in actu primo cum omnibus conditionibus prærequisitis ad agendum ante influxum primæ causæ, non est vera illa propositio in proprietate intellecta de motu recepto in ipsa causa agente, quia nulla ratio, vel necessitas talis motus assignari potest, nec terminus propter quem requiratur, vt ex dictis est manifestum. Aristoteles autem si in eo sensu, & vniuersaliter illam propositionem intellexit, ideo est, quia putauit influentiam primi motoris non attingere immediatè effectus causarum secundarum, imò nec ipsas causas secundas proximas, sed solùm aliquam supremam, quam solam Deo esse immediatam cogitauit, & ideo posuit illam influentiam peruenire ad vltimũ effectum per aliquem motum omnium causarum intermediarum, vt iam declaraui. Illa autem falsa, & erronea cogitatione de medio sublata, impertinens est ille motus ad propriam influentiam primæ cau-

causæ per se requisitam ad actiones causarum secundarum, & iam satis explicaui.

8. Quomodo causa secũda dicatur ab Arist. moueri à prima.

Dixi autem non esse veram propositionem cum proprietate intellectam, quia per quandam metaphoram, vt Fonseca dicit, vel secundùm quamdam proportionem, vt ego in Metaphysica dixi, verissima est. Nam sicut in Physicis proximum mouens, v.g. baculus pendet à manu mouendo, & non mouet nisi motus, altiori modo pendet causa secunda in agendo à prima, nec illa agere potest nisi adiuta ab ista, & secundùm hanc metaphoram, vel proportionem solet concursus Dei vocari motio causę primæ, non quia sit motio propria ipsius causæ secundę, vt sic, sed quia est motio illius rei, in quam agit causa secunda, & simul est auxilium ipsius causæ secundę. Nec hęc interpretatio noua est, aut

Caietanus. aut nostra: nam Caietanus 1. p. q. 14. art. 13. illam tradit, licèt aliis verbis, ait enim cùm dicitur causam secundam non agere nisi motam à prima, id posse intelligi vel de motione pręuia, vel de cooperatiua, & in priori sensu esse falsam, in secundo autem veram, & ita esse intelligendam; constat autem motionem cooperatiuam non afficere causam

Scotus. secundam, nec illam propriè immutare. Scotus etiam licèt in multis locis repetat illam propositionem, *Causa secunda non agit nisi mota a Deo*, vt in 1. d. 2. q. 2. & dist. 8. q. 2. & d. 39. q. 5. §. *Contra ista*; nihilominus in 4. d. 1. q. 1. expresè negat causam secundam recipere aliquid à prima, ex vi generalis concursus, & ideo necesse est, vt illud axioma de coo-

Lychetus. peratiua motione intellexerit. Lychetus etiam, & Corduh. suprà allegati, licet à Caietano dissentiant in vsu distinctionis motionis pręuię, vel cooperatiuę ad respondendũ Scoto; nihilominus distinctionem ipsam admittunt, dicuntque nunc causam secundam non moueri à Deo nisi motione cooperatiua, & accomodata vnicuiq; rei, quia Deus liberè agit: dicunt autem aliud fuisse futurum, si Deus ex necessitate ageret, quod nunc nihil refert.

9. Respondetur ad lib. de causis.

Ad propositiones allegatas ex lib. de causis (quidquid sit de authoritate illius libri, & de sensu in quo loquitur de causa prima, quod longiorem postulabat disputationem nunc non necessariam) respondeo, virtutẽ primę causę esse virtutem omniũ non formaliter, sed effectiuè, tum quia confert virtutem omnibus causis, tum quia omnes adiuuat, & cum omnibus operatur, ita vt sine illa nihil per se valeant reliquę virtutes efficere. quę omnia vera sunt sine pręuia motione, vt iam satis explicatum est. Et similiter dicitur virtus causæ primę coniungere causam secundam suis effectibus effectiuè, quia immediatè ac per se efficit cum illis actiones earum, per quas actiones formaliter coniunguntur suis effectibus. Etenim licèt daretur influxus prænius, non coniungeret formaliter causam secundam suo effectui, quia ex vi illius adhuc maneret causa in actu primo, vt supra ostensum est, & ita semper coniunctio formalis fit per actionem: vt autem causa prima efficiat illam coniunctionem, non est necessaria virtus diffusa, sed per suam increatam virtutem id facit, atque adeo per concursum simultaneum, vt iam suprà declaratum est.

10. Conclusio.

Ex his ergo propositionibus, & ex aliis, quæ de illo libro referri solent, nihil aliud quàm cooperatio causæ primę cum secunda comprobatur. Et si qui Philosophi rectè de Deo senserunt, hoc modo efficientiam eius in omnibus, & cum omnibus causis explicarunt. Solentque referri Plato in Timęo, in quo nihil clarum inuenio, & Trismegistus in Dialogo *Crater.* quem videre non potui. Verba autem Philonis in libro, *Quòd sit incorruptibilis mundus*, parum à medio, quæ ex Boëtio refert, & commendat, hic referam, quia optima sunt. *Deus* (inquit) *inspicit singula, paternam curam gerens rerum omnium, & vt vera fateamur auriga more gubernatorio regit, & gubernat vniuersa Soli, Lunæ cæterisq; Syderibus, aëri quoque cæterisque mundi partibus assistens cooperando quidquid ad vniuersitatem, rectamq; & inculpabilem dispensationem pertinet.* Cùm ergo ex sententia Philosophorum rectè sentientium diuina cooperatio ad eius vniuersalem efficientiam cum causis secundis satis est, solúq; illi posuerint influentiam prævium in causam vel remotam, qui de immediata Dei efficientiam in omnibus actionibus creaturarum non rectè senserunt, negari non potest, quin sententia nostra in vera Philosophorum authoritate solidius habeat fundamentum, quàm contraria.

Plato.

Trismegistus.

Philo.

CAPVT XL.

Soluendo rationes assertioni nostræ contrarias, eadem veritas amplius confirmatur.

Cvm dictum, & probatum sit ad demonstrationem assertionis positæ, satis esse ostendere prævium influxum in causam non esse necessarium, si rationes omnes hactenus excogitatæ ad persuadendam hanc necessitatem inualidæ ostensę fuerint, profectò sola talium rationum solutio ad assertionem confirmandum sufficere posset, ac deberet. Hoc ergo superest in hoc capite præstandum, in quo septem rationes primas, quæ in agentibus naturalibus locum habent, dissoluemus.

1. Quomodo causa secunda nihil agere potest nisi in virtute primæ, quod verissimum est: eius autem legitimus sensus est, quem capite præcedenti insinuaui, scilicet, causam secundam non habere virtutem per se, & (vt ita dicam,) solitariè agendi, sed in omni actione sua debere niti in virtute primę causæ, sine cuius influxu cooperatiuo nihil agere potest, & ita dicitur in lib. de causis in principio, quòd causalitas causę secundę formatur per causalitatem causę primę, quia scilicet in omnibus Deus immediatius, & intimius, ac principalius operatur, vt ferè exposuit D. Thomas in 2. d. 1. quæst. 1. ad 4. Ad hoc autem necessarium non est, vt præter virtutem agendi permanentem, & in suo genere efficientem, quam etiam habet à prima causa, recipiat in se aliam virtutem fluentẽ, quia non in virtute illius agit, sed in virtute increatę potentię in ipso Deo existentis. Cuius signum est, quia etiamsi virtus permanẽs causę secundę intelligatur affecta alia virtute fluente, vtraq; nihil agere potest nisi in virtute causę primę, nõ solùm quia vtraq; debet, & conseruat, sed etiam quia vtraq; pẽdet essentialiter à proprio influxu immediatè procedente à virtute increata primę causę. vnde dato antecedenti in dicto sensu, negatur consequentia, quia suppositа sufficientia virtutis causæ secundæ, est superflua alia virtus creata fluens, neque in illa fundatur illud principiũ, quia licèt causa prima & secunda simul concurrant, & secunda non indigeat alio prævio concursu, nihilominus non concurrit vt duę causę eiusdem generis, neq; se iuuantes quasi per accidens ex vtriusq; insufficientia, sed vt causæ diuersorum ordinum, quarum inferior est per se sola insufficiens, & essentialiter dependens à superiori, & ideo agit in virtute illius, non verò è contrario, quia superior per se potens est, & sufficiens, vt suprà dictum est. Vnde omnia quæ ibi afferuntur ad probationem antecedentis superuacua sunt, & coincidunt cum secunda ratione, vbi expedientur.

2. Ad confirmationem, cùm in ea sumitur, virtutẽ causæ secundæ esse actum primum, ac proinde esse actum admissum potentiæ, æquiuoca est, & ambi-

Ad confirmationem

gua

virtutem causæ secundæ esse actū primum admittum potentiæ quomodo intelligatur.

gua propositio, & ideo distinguere, & explicare illam oportet. Nam est sermo de virtute merè actiua, vt est illa quę agit actione transeunte, vel est sermo de virtute quæ ita est actiua, vt sit etiā receptiua, ut sunt potentiæ animæ. Item cùm aliqua ex his virtutibus dicitur esse actus admistus potentiæ, illud potest intelligi, vel potentia passiua, vel aliquo alio genere potentialitatis. Loquendo ergo de virtute merè actiua, etiamsi sit purus actus primus & separabilis ab actu secundo, id est, ab actione, non inde fit talem virtutem esse actum admistum potētiæ receptiuæ; nam licèt careat actione, non mouet in potentia receptiua alterius, quia etiam quando agit, illum in se non recipit. Quòd si dicatur actus admistus potentiæ, solùm quia potest actu non agere, hoc non obstat quominus non habeat perfectiorem actualitatem, quàm sua actio, quia ipsa actio comparata ad formam, quæ est terminus eius, est actus imperfectus, quia est via quędam, sicut de omni motu, & mutatione Aristoteles dixit: forma autem quæ est terminus talis actionis, non habet perfectiorem actualitatem, quàm forma, quæ est principiū actionis, sed vel minorem, vt in causis æquiuocis, vel ad summum æqualem, vt in causis vnuocis. Ergo quod talis actus primus possit isto modo esse in potentia, non ideo indiget noua actualitate sibi inhærente, vt reducatur in actum secundum, nam per solam actionem ab eo exeuntem constituitur in actu secundo cuius est capax. Cuius etiam signum est, quia licèt fingatur amplius actuata per aliquid additum, nondum est constituta in actu secundo, neque aliquo intrinseco initio eius, vt cap. 28. probatum est.

1. Id explicatur in potētiis animæ.

De potentiis autem animæ fatemur habere potestatē actiuam admistam potentiæ passiuæ, sed hoc non obstat, quoniam in sua entitate, & in sua actiuitate habeant actualitatem, simpliciter perfectiorem quam earū operationes, quia licèt talis potentia in quantum passiua, secundùm quid sit firmius perfecta, quàm sua operatio, in quantū actiua, est simpliciter perfectior. Sicut anima passiuè etiā cōparatur, ad potentiā, quā in se recipit, & nihilominus perfectiorē habet actualitatē, quæ omnia Philosophis notissima sunt, & sanè ad præsens punctū parū refert: nam etiamsi fingatur intellectus, verbi gratia, cum illo prævio influxu adhuc est in potētia receptiua sui actus secundi, & per suam entitatem, vel per habitū, aut speciem aliquam habet sufficientem virtutē in suo genere causæ ad producēdū suum actum, ad quem est in potentia receptiua; ergo inde etiam habet perfectiorē actualitatem; ergo illa alia actualitas quasi media necessaria nō est.

4. Explicantur variæ propositiones ab Heretico falsa intellectæ in ratione.

In secunda ratione aliquæ propositiones assumuntur, quæ in legitimo sensu veræ sunt, malè autem applicantur. Prima est quòd esse existentiæ est proprius effectus Dei, quæ vt vera sit, non est ita intelligenda vt solus Deus dicatur facere esse existentiæ, hoc enim aperte falsum est, aliàs causæ secundę nihil efficerēt, vt statim dicam. Tribus ergo modis dicitur esse existentiæ proprius effectus Dei ex D. Thoma in 2. dist. 1. quæst. 1. art. 4. Primò, quia solus Deus potest illud facere ex vi sui esse, & sola virtute sua, qui solus ipse est ipsum esse per essentiam, & omne aliud est participatum. Secundò, quia solus Deus habet pro adæquato obiecto suæ potentiæ actiuæ ipsum esse participatum, seu participale, vt est manifestum. Tertiò quod hinc sequitur, quod solus Deus facit per se primo ipsum esse, ac proinde nulla causa secunda confert suo effectui totum esse illius, nam omnis actio creaturæ supponit aliquod ens, ex quo suum effectum faciat, & ideo non facit per se primò ens, seu esse, sed tale ens, vel tale esse. Deus autem ad suam propriam actionem nullum esse necessariò supponit in re, quam facit, vt in creatione patet, & quando rem præexistentem perficit, vel cum causa secunda operatur, licèt aliquod esse supponat, non tamen ab alio factum, quàm à seipso. Sic ergo productio ipsius esse secundùm omnem huiusmodi perfectionem est propria Dei: causa autem secunda quando producit effectum, licèt illi det esse, non tamen cum illo modo, & perfectione qua Deus, & ideo ex hac parte non indiget illa prævia motione, vel eleuatione; nam ad suum agendi modum generalis concursus simultaneus illi sufficit.

3. propositio esse existentiæ est proprius effectus Dei, quomodo vera sit. *D. Thom.*

Alia propositio ponitur in prima illatione illius rationis, scilicet creaturam non dare esse, nisi vt instrumentum Dei; quæ tangit philosophicam quæstionem, an causæ secundæ sint instrumentales, vel principales respectu suorum effectuum, in quo Platonici posuerunt, esse tantùm instrumenta, quam sententiam refert, & approbat Damascenus in sua phytica cap. 9. & Simplicius 2. physicorum cap. 3. a. 29. & interdum ita loquitur D. Thomas in q. 3. de potent. art. 7. Et illum loquendi modum defendit Caietanus 1. p. q. 54. art. 5. § *Ad Durandum*. Aristoteles verò 2. lib. physicor. & 5. Metaph. causas secundas simpliciter principales vocat, quia in suo genere agunt propria, & sufficienti virtute. quem modum loquēnd Philosophi & Theologi communiter probarunt, quia reuera est prius, nam alius solùm per analogiam introductus est, & ad explicandam subordinationem & dependentiam causarum secundarum à prima, & ad notandum quòd causæ secundæ nihil possunt per se facere sine influxu primæ. Et hæc sine dubio fuit mens D. Thomæ, vt etiam Thomistæ communiter sentiunt. Quocirca causæ secundæ non dicuntur instrumenta, etiam illo Platonico modo propter prævium instrumentariam virtutem fluentem illis additam quando actu operatur, sed quia virtutes earum permanentes sunt quasi instrumenta Dei, quia & ipse per illas tanquam principale agens operatur, & illæ sine actuali influxu illius operari non possunt, etiamsi ille influxus non sit motus in eis receptus, nam etiam in naturalibus instrumentis hoc necessarium non est, vt in Metaphys. ostendi disp. 17. sect. 2. n. 14. Vnde Damascenus supra Platonem dicentem principem mentem esse efficientem omnium rerum causam, naturam autem instrumentalem esse, ipse explicuit, hoc est, adiuuantem causam esse pronuntiat.

5. 2. Propositio. Creatura non dat esse nisi vt instrumentum Dei. Explicatur. *Damascen. Simplicius. D. Thom. Aristot.*

Damascen.

Aliqui verò ex dictis modernis distinguunt inter causam secundam, vt communicantem effectui suam formam, vel vt dantem effectui, & sub priori ratione dicunt esse causas principales, quia forma producta non excedit perfectionem, & actualitatem producentis. Sub posteriori autem ratione dicunt esse propria instrumenta Dei, quia vt sic attingunt proprium effectum eius, & ad hoc dicunt requiri prævium motionem, quia instrumentum non agit nisi vt motum. Sed distinctio hæc nec satis intelligi, nec satis probari potest, quia producere, seu communicare formam, & dare illi esse, physicè, ac verè loquendo non sunt duo; ergo vel vtrumq; fit à causa secunda vt ab instrumento, vel vt à principali causa. Antecedens patet, quia efficere, nihil aliud est, quàm dare esse, nec aliter causa secunda communicat effectui formam suam, quàm dando illi esse, non quidem essentiæ, nam hoc de se potentiale est, nec fit actu, nisi cùm coniungitur ei existentia. Item quia causa secunda non communicat suam formam, nisi educendo similem ex potentia materiæ; ergo per hanc eductionem transfertur forma ab esse in potentia, ad esse in actu; ergo per illammet constituitur sub esse existentiæ. Consequentia verò prima per se clara est, quia sicut in termino idem est formam fieri, & re-

6. Distinctio modernorum reiicitur.

& recipere esse, ita etiam in causa eadem est virtus per quam efficit principaliter, vel instrumentaliter.

7. Pergit in ea refutatione

Quapropter non magis completur causa secunda per actionem præuiam in virtute agendi ad dandū esse, quàm ad producendum formam talis speciei, vel perfectionis. Imò licèt ibi fingerētur duæ actiones re, vel ratione distinctę, vna efficiens formam, & alia dans illi esse, etiam esset distinguendus duplex concursus simultaneus Dei, quia creatura nihil omnino facere potest sine tali concursu; ergo vel ad inducendam formam sufficit concursus simultaneus, & ita ille erit primus concursus Dei, & consequenter alius similis sufficiet ad dandum esse, & potius ille prior erit quasi præuius ad secundum; quia si illa duo sunt in effectu distinguenda, prius est educere formam quoad essentiam, quàm dare illi esse, quia essentia supponitur existentiæ tanquam potentia actui. Non ergo erit necessarius alius concursus præuius in ista causa ad dandum esse, quia ex illa priori productione formæ necessariò resultat ipsum esse cum concursu imbibito in illa resultantia, seu productione ipsius esse. Nec videtur posse probabiliter cogitari, quòd inter illas duas actiones, vel concursus, vtrumque distinctos interueniat tertius præuius ad efficiendum esse, & subsequens ad communicationem propriæ formæ. Vel certè si præuia motio ponatur ante totam efficientiam causæ secundæ, tam vt communicantis suam formam, quàm vt dantis esse, sic æquè complebitur per illam præuiam motionem in virtute agendi sub vtraque ratione, & ita non magis sub vna causa principalis, vel instrumentalis quam sub alia.

8. Assert. Causa secunda est causa principalis in suo genere.

Dico ergo vnamquamque causam secundam in suo genere esse causam principalem, tam sui effectus, quàm esse, quod illi tribuit, ac proinde superuacaneam, & sine fundamento rationis postulari motionem propter effectionem ipsius esse. Quia sicut forma communicata effectui non excedit formalem perfectionem causæ, ita neque esse, quod fit in effectu perfectius est, quàm esse causæ, & sicut forma fit vt actu existat, ita forma causæ est principium agendi vt est in actu, atque adeo per suum esse actuale non minorem actualitatē habet, quàm sit esse datum effectui; ergo quoad vtrumque est principium principale proximum; ergo ex hac parte non indiget præuia motione. Aliunde verò ad hanc principalem efficientiam causæ secundæ, etiam respectu illius esse, quod facit, necessarium non est, vt det esse independenter ab ipso esse per essentiam, neque vt primò per se attingat ipsum esse, vel sub communi ratione essendi, vel non præsupponendo aliquod esse in effectu, sed satis est, quòd in suo genere per se, & propria virtute attingat illud esse, quod antea non erat, nisi in potentia, & per talem actionem in actum reducitur concurrente prima causa, à qua omne esse creatum essentialiter dependet; neque enim causa secunda est principalis in omni genere, vel independentia ab omni superiori causa, sicut est Deus, quod verum est, siue consideretur vt dans formam, siue dans esse ad vtrumque; ergo sub vtraque ratione sufficit dependentia à Deo per intrinsecum, & simultaneum concursum.

9. 3. Ratio aduers. reiicitur. Quid sit concursum causæ secundæ pendere essentialiter à

Ad tertium cùm in eo sumitur, concursum causæ secundæ essentialiter dependere à concursu causæ primæ, si intelligatur, vt verba in rigore sonant, de vtroque concursu, vt est aliquid egrediens à sua causa, & realiter ab illa distinguitur, & dependentia effectiua, sic falsum est antecedens; quia concursus causæ primæ, & secundæ in re non distinguuntur, sed sunt vna simplex actio cum duplici habitudine transcendentali, vt cum D. Thoma, & communi sententia diximus; & ita concursus in re non fit à concursu, neq; vnus, pendet efficaciter ab alio; quia idem non facit seipsum, neq; à seipso pendet; sic ergo intellectum antecedens negandum est, ad probationem autem negatur, inde sequi ea incommoda, quæ ibi inferuntur, vt iam declaro. Quamuis enim concursus causæ secundæ non pendeat à concursu intrinseco causæ primæ in genere causæ efficientis, vt dictum est, nihilominus pendet essentialiter ab ipsa causa prima, & ab eius voluntate, quam aliqui vocant concursum Dei internum respectu cuius verissimè dicitur concursus causæ secundæ pendere essentialiter à concursu interno causæ primæ, est enim de essentia actionis causæ secundæ, vt simul, ac principaliter à Deo fluat, & ideo essentialiter pendet à causa prima, & ideo quasi formaliter dici etiam potest concursus causæ primæ essentialiter pendere à concursu causæ primæ, vel potius illum concludere, ad eum modum quo ratio specifica potest dici pendere à generica, quia illam essentialiter includit. Contra 1. causa prima. D. Thom. 12. Conform. cum 1. 2. Thom. Aluarez.

Et hinc fit necessarium non esse (quod in prima consequentia illius rationis infertur,) concursum causæ primæ vtique proprium, & ad extra esse priorem ordine causalitatis concursu causæ secundę, quia vbi non est causalitas, non potest esse prioritas, quæ in illa fundatur, sed ostensum est vnum concursum non esse causam alterius, quia sunt idem; ergo nec prioritas esse potest. Et hoc ipsum fatentur dicti Thomistæ de concursu simultaneo, nunquam tamen probant esse necessarium alium concursum externum causæ primæ, qui sit vera causa efficiens, actionis causæ secundæ, & consequenter prior natura concursu causæ secundæ. Et possumus argumentum retorquere, quia alias etiam esset concedendum vnum concursum causæ primæ esse priorem natura alio concursu eiusdem primæ, quod non videtur admittendum loquendo de proprio concursu ad extra, qui reuera superfluum est. Atque hæc omnia cogūntur dicti authores concedere de concursu simultaneo Dei ad extra comparato cum influxu causæ secundæ. Satis est igitur quòd concursus ad intra, seu voluntas concurrendi sit prior causalitate, & natura, quàm cursus causæ secundæ. Comparando autem inter se causas primam & secundam, causa prima dicitur prius influere non prioritate naturæ in ordine causalitatis fundata, sed prioritate perfectionis, & independentiæ, aut etiam illam quæ dicitur in subsistendi consequentia, quia Deus, quantum est ex se, potest agere sine causa secunda, non verò è conuerso. Et eodem modo si concursus ipsos secundùm rationem distinctos inter se conferamus, potest concursus Dei eisdem modis dici prior, licèt non causalitate, vel ordine naturæ, vel inter, vel in attingendo terminum, vt explicuit etiam Caietanus 1. 3 p. q. 14. art. 13. & q. 19. art. 8. 10. Ea propositio est vera in causis naturalibus.

Nec hinc sequitur (quod in eadem ratione refe- rebatur) causam secundam esse primam in agendo, seu primum principium suæ actionis, quia non dicitur Deus causa prima, vel primū principium, ex eo, quòd prius natura efficiat suum effectū, quàm causa secunda, quando cum illa operatur, nec prius sola efficiat aliquem concursum priorem actione causæ secundæ, sed dicitur prima, quia non pendet ab alia in agendo, quod nulla alia causa habet, nam omnis alia requirit auxilium superioris causæ, quę à nullo pendeat. Neque oportet, vt hoc auxilium sit præuium, & receptum in causa, sed sufficit simultaneum, & inclusum in actione causæ secundæ. Vnde nulla est illatio, quæ in argumento fit quòd si causa secunda non indiget præuio influxu prioris causæ, etiam non indigeat auxilio causæ prioris, quia est illatio ab inferiori ad superius negatiuū, ac si quis inferret, si homo non indiget carne Ideo non sequitur causam secundam esse primum principium suæ actionis.

carne ad viuendum, non indigere cibo. Concursus enim concomitans verũ auxilium est, & causa, quæ sine illo agere non potest, eo ipso non potest agere sine auxillio, & influentia prioris causæ. Hoc ergo satis est vt non sit primum principium in agendo.

11. Confirmatur à D. Thom.

Et hoc ipsum reuera tradit D. Thom. in 2. d. 37. q. 2. art. 2. cuius ratio, & intentio ibi non fideliter allegatur. Tractat enim ibi D. Thom. an actus peccati, vt actus est, sit effectiuè à Deo, refertq; opinionem negantem Deum concurrere ad illum actum, eamque refutat deducendo ad illud inconueniens, quòd voluntas in eo actu ageret vt prima causa, & primum principium: illationem autem facit his verbis. *Ex ea videtur sequi, quòd sint plura prima principia. hoc enim est de ratione primi principij, vt agere possit sine auxilio prioris agentis, & influentia eius. Vnde si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cuius actor non esset Deus, voluntas humana rationem primi principij haberet.* In quibus verbis aduerto mutata esse à P. Aluarez dicta disp. 18. n. 14. nam vbi D. Thom. ait. *Si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cuius actor non esset Deus*, ipse dicit, *Si voluntas humana aliquam actionem produceret absque motione prioris agentis*, quæ verba ad minimum æquiuocа sunt, & ab ipso in alio sensu referuntur, qui verbis D. Thom. non continetur. Nam iuxta verba D. Thom. ratio eius non procedit contra eos, qui fatentur actum peccati non posse fieri sine concursu simultaneo Dei, etiamsi negent fieri sine prævia motione, nam actio quæ fieri non potest sine concursu simultaneo Dei, talis certè est, vt eius actor sit Deus; ergo si voluntas ad illam requirit concursum simultaneum Dei, non potest agere actionem, cuius actor non sit Deus; ergo itante necessitate concursus simultanei, discursus D. Thomæ immerito, & sine vlla probabilitate applicatur contra negantes motionem illam præviam quod maxime necessarium iudico in concursu ad actum peccati, vt infrà dicam. Hic tamen aduertere non omittam, licèt D. Thom. soleat concursum simultaneum nomine motionis appellare, vt suprà declarauimus, nihilominus, quia ibi tractabat de concursu ad actum peccati, ne ipsas aures offenderet, noluisse Deum appellare motorem ad illum actum, sed illius actorem, & ibi tacitè alia loca explicuisse, vt concursus intelligatur tantum esse motio cooperatiua, ratione cuius dicitur Deus agere actionem causæ secundæ.

Aluarez.

12. Confirmatur ex dicto verbo rum D. Thom.

Atque ita reliqua, quæ in illo argumento adduntur, non procedunt contra nostram sententiam: nam responsio quam ibi D. Thomas refert, & refutat, non est nostra; imo nos etiam illam reprobamus, quia vt voluntas in nulla actione sua operetur, vt primum principium, non satis est, vt nec esse, nec virtutem agendi habeat à se, sed necessarium esse dicimus, vt sine influxu primæ causæ, nihil possit operari. Nam hoc sequitur ex primo, vt optimè replicat D. Thomas in prima ratione sua: nam agere est proportionatum ad esse; ergo quod esse non potest sine influxu prioris agentis, neque agere potest sine simili influxu. Dicimus autem ad hoc sufficere influxum simultaneum, nam cum solo illo verissima est illa propositio cuius essentia ab alio est, oportet, vt est virtus, & *operatio* ab alio sit: nam per virtutem ibi non intelligit D. Thomas prævium concursum (cum dicat, virtutem ab essentia rei procedere,) operatio autem non est à Deo, nisi per simultaneum concursum. Item ille concursus sufficit, vt causa secunda non sit primum agens, quia eius actio reducitur in primum agens, scilicet Deum, tanquam in causam, quia per illum concursum Deus verè est agens illius actionis, & est prius prioritate vniuersalis, & independentiæ, vt suprà declarau. Et ita etiam malè explicatur contra nos secunda replica ex D. Thoma sumpta.

Denique idem concursus simultaneus sufficit, vt voluntas, seu causa secunda non habeat agere à se, quod in tertia replica D. Thomas assumit, quia illa particula *à se*, excludit omnem influxum superioris causæ. Et in hoc sensu procedit ratio D. Thomæ, *quia res, quæ non habet esse à se, non potest à se durare; ergo neque potest à se agere.* Dicitur enim res non durare à se, quia indiget actuali influxu Dei, vt agit. Est tamen differentia, quia res durat per influxum solius Dei, quia ipsa non potest concurrere actiuè ad suam conseruationem; agit autem non per influxum solius Dei, quia necesse est vt ipsa etiam concurrat, hoc enim essentialiter includitur in conceptu actionis, seu agendi, & hoc modo accipit causa secunda à prima ipsum actualiter agere, quia in illud ipsum immediatè influit Deus, non quia in ipsam potentiam agentem quippiam aliud ante actionem influat, quia etiam si illud influeret, per talem influxum non immediatè daret hoc, quod est agere, sed daret quoddam principium agendi, vel complementum eius, quod satis non est ad vim rationis, & intentionem eius, quæ est ostendere necessitatem immediatè influxus diuini in ipsam actionem. Nam vt dicatur Deus mediatè dare ipsum agere præter totam virtutem proximam agendi, vel etiam vt dicatur creatura non agere à se, nõ habens à se eamdem virtutẽ agendi, propter hæc, inquam, non est necessarius concursus prævius, quia ratione permanentis, & innatæ virtutis, & concursus simultanei, hæc omnia verè dicuntur de causis naturalibus; non ergo procedit ratio in illo sensu, & ita ad vim illius prævius concursus, non solùm non est necessarius, sed etiam illi posset obstare, nam inde posset inferri concursum simultaneum, non esse necessarium, vel saltem illa ratione non probari.

17. Idem quod in tertia replica tenditur.

Ad confirmationes autem aliorum, in primis ad exemplum ex diuinis personis sumptũ respondemus, vel non esse ad rem, vt potiùs probare oppositum, nam Filius non dicitur producere Spiritũ sanctum à Patre, & non à se, quia habeat à Patre alium influxum præter communicationẽ essentiæ & virtutis spirandi; sic ergo si seruanda, vel imitanda est proportio, creatura sufficienter dicetur non agere à se, quia non habet à se virtutem agendi, sed à Deo, & ita inde non colligetur necessitas actualis influxus Dei: vt ergo seruetur proportio, dicendum erit, quòd sicut Filius, quia non spirat nisi per virtutem acceptam à Patre, habet etiam, quòd non possit solus spirare sine Patre immediatè spirante, ita creatura, quia habet virtutem datam, & conseruatam à Deo, nõ potest agere sine Deo simul agẽte & ita concluditur cõcursus simultaneus, non prævius distinctus ab effectione, & conseruatione virtutis agẽdi.

15. Prima confirmatio aduersariorum ex productionibus diuinis reiicitur.

Ad aliam verò confirmationem negamus ex ablatione prævij concursus sequi, aliquid esse in creatura, quod non sit à Deo solo: nam proxima virtus agendi, vt calor, non est à solo Deo, sed vel est etiam ab extrinseca causa prima, vel ab intrinseca forma nascitur, Deo simul influente, vt in igne, & actio causæ secundæ etiam non est à solo Deo, vt constat, quamuis sit immediatè ab illo. Determinari autem ad agendum (à quo argumentum sumitur) non est aliquid distinctum ab his, nam determinari sumi potest, vel in actu primo, vel in actu secundo, & priori modo in causis naturalibus de quibus agimus, determinari nihil est distinctum ab ipsa virtute naturali, quæ per seipsam est distincta ad vnum, & ad modum agendi ex necessitate naturæ. Posteriori autem modo determinari ad agendum non est nisi agere, & ita non est distinctum ab ipsa actione, neque in his agentibus aliquid medium inter hæc cogitari potest.

16. 1. Confirmatio, seu aliquid esse in creatura quod non sit à solo Deo, reiicitur.

Deni-

17. 3. Confirmatio actionem causæ secundæ non esse effectũ præmotionis Dei explicatur.

Deniq; ad vltimam confirmationem iam dictum est actionem causæ secundæ non esse effectum præmotionis Dei, sed increatæ virtutis, & voluntatis. Nec in his causis naturalibus Deus aliter facit causam secundam operari, nisi dando illi proximam virtutem agendi cum omnibus ex parte illius requisitis, & cum illa simul concurrendo, quia sicut facere non includit nisi virtutem agendi, & actionem; ita Deum facere, vt sol illuminet, verbi gratia, nec est, nec esse potest aliud, quàm facere solem cũ virtute illuminandi, & constituere illum in tali loco, &c. & cum illo ad illuminandum concurrere, & idem est in qualibet alia causa secunda naturali, vt à quolibet facilè considerari potest.

18. 4. Ratio aduersariorũ ex essentiali subordinatione causæ secundæ ad primam confutatur, & prima instantia de Angelo ad inferiores causæ comparatur.

Ad quartum negatur consequentia; nam essentialis subordinatio causæ secundæ ad primam non consistit in necessitate motionis præuiæ, sed in necessitate motionis cooperatiuæ, seu concursus simultanei, vt satis declarat ũest. Ad primam autem probationem respondetur etiam, Deum non esse causam primam, quin prius moueat causam secũdam iam sufficienter constitutam in actu primo ad operandũ; sed quia ab illa pendet in agendo omnis alia causa. Vnde instantia, seu exemplum de Angelo, vel quacumque alia causa perfectiori comparata ad minus perfectam, nihil ad rem facit, quia non quilibet excessus perfectionis constituit rationem causæ primæ, sed ille, qui est in virtute agendi à se, & in ratione vniuersalissimæ causæ, à qua omnis alia pendet in agendo.

19. Reiicitur 2. probatio non dari ordinem per se inter causam primam & secundam.

Ad secundam probationem negatur sequela, nimirum, non dari ordinem per se inter causam primam, & secundam: nam hic ordo per se non consistit in indigentia motionis præuiæ, sed in hoc quòd omnis causa secunda per se, & ex natura sua postulat auxilium causæ primæ influentis secum ad dandum esse suo effectui, quia sicut ipsa habet esse per se, qui optimè fundatur in natura causæ habentis esse participatum ab alia quæ est suum esse per essentiam, alius verò ordo prioris, & posterioris cõcursus nullum habet in rebus fundamentum. Vnde exemplum de duobus trahentibus lapidem hic nõ bene accommodatur: nam licèt in simultate concurrendi sit simile, non ordine, neq; in dependẽtia, nam vnus trahens lapidẽ per se non pendet ab alio, licèt fortasse ob imperfectionem virtutis in suo genere indigeat iuuamine alterius eiusdem ordinis: omnis autem causa secunda quantumuis in suo ordine perfecta, & sufficiens sit, essentialiter subordinatur primæ, à qua pendet, vt declaratum est.

20. 3. Probatio omnem causam secundam agere motã reiicitur.

Ad tertiam probationem in qua sumitur, quòd omnis causa secunda mouet mota, si intelligatur de mota proprio recepto in ipsa, respondemus peti principiũ, nam hæc est conclusio probanda. Negatur ergo propositio intellecta de motu proprio, & in causa secũda verè ac realiter recepto; nulla enim ratio sufficiens redditur ob quam talis motus sit per se, & quasi essentialiter necessarius ad actionem causæ secundæ, cum sine illo possit causa secunda habere totam virtutem ex parte sua necessariam ad effectum, & Deus non indigeat illo motu ad præstandam totam efficientiam ex parte ipsius necessariam. Multoq; minus reddi potest ratio, ob quam ille motus requiratur, vt puta conditio sine qua non, & præsertim de potentia etiam absoluta necessaria, vt in c. 28. latè discursum est. In quo autem sensu, & de quibus mouentibus, & ex quo fundamento Aristoteles illam propositionẽ protulerit, in præcedẽti capite declaraui, vbi etiam dixi per se, & in omnibus causis secundis solum de motu cooperatiuo esse in vniuersum veram; de præuio autem solum quando causa secunda habet imperfectam virtutẽ, vel indiget aut applicatione ad passum, aut coniunctione ad obiectum, quam antea non habebat.

21. 4. Probatur ex causis vniuersalibus bona multa.

Vnde facilè respondetur ad quartam probationẽ quæ à causis vniuersalibus sumebatur, est enim in illis longè diuersa ratio: nam sol, verbi gratia, quatenus influit vt causa vniuersalis (idemq; est de cæteris,) non concurrit cum causis secundis immediatè immediatione suppositi, & ideo necesse est vt per media interiacentia diffundat virtutẽ suam, vsque ad causam secundam maximè distinctam à se, & quæ sit proxima respectu effectus; influxus ergo illius virtutis, & præuius est ad vltimum effectum, & necessariò debet esse in causa proxima illius. Deinde si tales causæ vniuersales sint corporeæ, vt cœli, non consistit influxus earum, nisi in alteratione aliqua, seu productione qualitatis, quæ sit virtus actiua coadiuuans causam secundam proximam, vt est, verbi gratia, calor respectu Solis, humiditas respectu Lunæ, vel fortasse aliæ qualitates nobis occultæ respectu singuloru astrorum; si verò vniuersales causæ immateriales sint, vt Angeli immediatè tantùm influunt motum localem, vt suppono. Vnde necessitas harum causarum solum est, vel vt addant aliquam virtutem causæ secundæ, quia sola virtus illius est imperfecta, vel vt illam applicent ad passum, à quo antea distabat. Ac denique præter hanc influentiam non habent hæ causæ increatæ immediatũ influxum in actionem causæ secundæ, neque in hoc dependent essentialiter particulares causę ab vniuersalibus creatis. At verò causa prima agit in omnibus imediatione suppositi, & per seipsam, & suam intrinsecam virtutem immediatè influit in omnem actionem causæ secundæ, & hæc quantumuis sit completa in virtute agendi, & applicatam habet materiam essentialiter postulat ad agendam immediatã cooperationem Dei, & si quid præuium ad complementũ virtutis & applicationis datur causæ particulari ab vniuersalibus creatis, totum id datur causa prima cooperante cum secundis, etiam vniuersalibus. Et ideo per se non est necessaria alia præuia motio primæ causæ recepta in secunda, sed solùm ex accidente quando virtus causæ secundæ fuerit in suo genere insufficiens, & per vniuersales causas creatas, defectus ille suppleri non possit, de quo modo influẽdi Deitractando de auxilio sufficienti, & efficaci gratię latiùs dicemus.

22. Quinta ratio quòd Deus sit causa causarum secundarum.

In quinta ratione ex voluntate diuina sumpta attingitur materia de prædestinationibus diuinis, & de modo, quo Deus vult, vel prouidet effectus causarum secundarum, & actiones earum. Sed hæc habet peculiarem difficultatem in actionibus liberis tam bonis, præsertim supernaturalibus, quàm malis, seu peccaminosis, in naturalibus autem minor causis ferè nullam. Et ideo his omissis, quę ad actus liberos pertinent, de quibus sigillatim dicturi sumus, de naturalibus causis admittimus Deum concurrere cum illis per voluntatem efficacem, quæ vult, & cum eis concurrere, & eas efficere suos effectus; nam licèt hæc duo ex propriis rationibus formalibus habeant distinctionem aliquam, vt in actibus liberis dicemus, in præsenti non multum refert illius distinctionibus consideratis.

23. Et ideo non est efficax.

Hinc verò non sequitur quod Deus per illam voluntatem aliquid præuium facit in causa secunda, quia licèt Dei voluntas efficacissima sit, non tamen facit, nisi quod vult, & prout vult illud facere; per illam autem voluntatem non vult facere aliquid præuium, neque contrarium, rectè probatur ex eo, quòd Deus velit causam secundam agere: nam causam secundam agere, non est recipere aliquid præuium, sed est dicere ipsam actionem. Vnde potiùs contrarium inferendum esset ex illo antecedente: nam si Deus hoc solum vult, scilicet causam secundam agere, hoc facit, & non aliud quod ad executionem illius voluntatis non est necessarium, quæ in obiecto illius voluntatis solum includitur, quod

quod causa secunda faciat, & vt Deus ipse simul efficiat ipsum effectum, & actionem causæ secundæ, vt vtrumq; efficaciter, & infallibiter facit. Quia enim non vult solus facere, sed cum causa secunda, ideo necessarium non est, vt ipse Deus solus aliquid faciat. Neque etiam est necessarium vt prius operetur prioritate causalitatis, quia nec hoc etiam vult. sed operari tantum cooperando. Vnde licèt illa voluntas Dei sit prior duratione, & æternitate, nihilominus ordine causalitatis est concomitans, quia solùm vult cum causa secunda concurrere, & non aliter vult effectum eius, vt satis declaratum est.

14. Solutio instantia.

Solùm potest instari, quia licèt causa naturalis sit determinata ex se ad agendum, nihilominus potest ex concursu alterius causæ, vel materialis, vel efficientis impediri, vt ideo sæpè effectus eius est contingens; posita autem efficaci voluntate, quia Deus vult talem causam agere, maior est in illa determinatio, maiorq; necessitas agendi; ergo aliquid prævium factum est in causa secunda per talem Dei voluntatem. Respondetur negando consequentiam, quia quàdo Deus efficaci voluntate statuit causam secundam aliquid naturaliter facere, eo ipso sua prouidentia cæteras causas disponit, vt aliam non impediant, & ideo necesse non est, vt aliquid imprimat tali causæ naturaliter agenti, quo infallibilius (vt ita dicam) suũ effectum efficiat: nam remotis impedimentis, & applicata materia, & oblato Dei concursu omnino infallibiliter sequitur effectus. Quòd si Deus præuidens futura esse impedimenta, non vult prouidere modũ, quo auferantur, tunc vel nullam habebit voluntatem concurrendi cum causa impedita, vel certè non absolutam, & efficacem, sed quasi conditionatam, seu secundum quid, offerendi nimirũ tali causæ concursum quantum in se est, sinendo nihilominus, vt ab aliis impediri possit, vt latiùs in causis liberis explicabimus.

15. 4. Ratio, naturalia agentia perficiuntur secundum agunt, confutatur.

Ad sextam rationem negamus, quòd naturalia agentia agendo perficiantur intrinsecè, id est, noua perfectione sibi inhærente, quia neque actio ipsa est perfectio agentis, vt in eadẽ ratione rectè dicitur, neque reductio illa de potentia in actum, quę in tali agente, quando operari incipit, cõsideratur, est reductio potentiæ obiectiuę, vel receptiuæ in actum, sed est reductio potentiæ actiuę, quæ per se loquendo non perficitur agendo, sed perficit aliud. Dico autem, *per se loquendo*, quia si sit virtus incompleta, perficienda erit prius per complementum virtutis: tunc autem non perficitur agendo, sed recipiendo, & sic completur, vt agat. Nec Aristoteles 8. Physic. contrarium docuit, sed solùm dixit corpora mouẽtia mouere motu ab alio, quia vel applicatione, vel complemento virtutis indigent, sicut sol ad illuminandum totum orbem mouetur, quia per motum ad omnia loca applicatur, postea verò illuminando non perficitur, neque per motum illum aliam perfectionem antecedentem recipit, neque etiam alij Philosophi illud dogma tradiderunt, imò D. Thomas 3. contra gent. c. 21. docet res naturales agendo comparare tantùm quamdam extrinsecam perfectionem, quatenus suum esse communicando, & quasi aliis benefaciendo Deo, eiusq; bonitati quodammodo similiores efficiuntur. Quod etiam confirmat D. Thomas authoritate Dionys. c. 3. de cœlesti Hierarchia, dicentis diuinissimũ esse Dei cooperationẽ fieri, quod propriè intelligitur de morali cooperatione in spirituali salute, vel propria, vel proximorũ procuranda, de qua etiam loquutus est Paulus 1. ad Cor. 3. dicens, *Dei adutores sumus*. Per quamdam verò proportionem, seu analogiam omnibus causis agentibus, quatenus aliis bonitatem comunicat, accommodatur, vt etiam ex parte assequutus est Comment. 12. Metaphys. text. 36. Sicut autem in Deo ipsa actualis operatio ad extra, non addit illi perfectionem intrinsecam, sed ostendit illam, ita similitudo ad Deum in huiusmodi operatione, quæ nihil in agente ponit, non est intrinseca eius perfectio, sed vocatur extrinseca, quia similitudinem quandam in bonitate à Deo participata manifestat.

Aristoteles. *D. Thom. Dionys.* *Comment.*

Septima ratio specialiter fiebat de actionibus vitalibus, & ex eo quòd essentialiter, vel intrinsecè, vel saltem ex natura rei pendent à principio vitali, inferebatur, non posse Deum in illam influere, nisi prius natura influat in ipsam potentiam vitalem, quæ illatio neque ab arguente probatur, neque ego video quo fundamento nitatur, aut quomodo possit ad syllogisticam formã reduci; & ideo quidquid sit de antecedenti, in quo Auctor ille sumit, etiam de potentia absoluta non posse actum vitalem fieri sine influxu potentiæ vitalis, quod quidem intellectũ de actu vitali, sub illa duplicatione, seu quantum ad actionem vitalem, vt sic admitti nõ potest: de ipso autem actu vitali secundùm se spectato, vel non est verum, vel saltem est incertum, illo tamen permisso in quocumque sensu negatur consequentia, cuius defectus multis modis ostẽdi potest, nam species impressa influit effectiuè in actum vitalem videndi, licèt in potentiam nihil prævium influat. Dicetur etiam esse aliquid pręuium in potentia, sed contrà: nam essentia diuina per seipsum influit effectiuè in visionem beatificam, & tamen nihil influit prævium ad illam efficientiam, nam lumen gloriæ, neque est ab essentia, vt est obiectum, sed vt aliàs efficit per voluntatem, & potẽtiam suam, neque est prævium ad actionem essentiæ, vt obiectum est, sed potiùs cum intellectu est veluti potentia cui essentia per modum obiecti cooperatur. Denique posito etiam illo pręuio concursu in potentia vitali Deus immediatè influit alio concursu simultaneo in actum vitalem; ergo idem poterit facere concurrendo cum sola potentia sufficienter constituta in suo ordine in actu primo ad operandum; est enim eadem ratio, quia licèt daretur concursus prævius, actus non haberet ab illo formalem rationẽ, seu denominationem actus vitalis, sed à sua potentia. Nec est ergo de ratione actus vitalis, quod nulla causa efficiens ex intrinseca influit in illũ, sed solùm, quod proximè fiat à principio intrinseco vitæ, quod indigere potest virtute superioris causæ, & ideo consequentia nullius est momenti, quæ responsio in simili inuenitur apud *D. Thomam* 1. 2. *D. Thom.* quæ. 80. art. 2. ad 1.

26. 7. Ratio ex actionibus vitalibus petita confutatur.

CAPVT XLI.

Ex vi generalis concursus non esse necessariam prævium motionem in voluntate moraliter determinantem illam vt liberos actus eliciat.

1. Quæstio de causis liberis, & de earum prævia prædeterminatione morali.

IN causis liberis assignatur ab aliis authoribus peculiaris necessitas prævię motionis Dei, quæ in causis naturalibus agentibus non inuenitur, quæ nascitur ex indeterminatione, & indifferentia quoad speciem, & quoad exercitium eius, quam agentia naturalia non habent positis omnibus prærequisitis ad agendũ: voluntas autẽ libera habet illam, & ideo indiget determinari à superiori causa, vt actũ in specie definitũ, & in tempore determinato efficere, & inchoare valeat. Quia verò aliqui ex dictis authoribus loquũtur tam de prædeterminatione morali, quàm de physica, in hoc capite dicemus de morali, postea de physica. Ledesma ergo in prædicta q. 2. 2. concl. 1. docet voluntatẽ hominis nõ posse ad actũ liberum determinari, nisi moraliter à prima causa per concursum prævium determinetur, quod ibi tãtũ probat de actib⁹ bonis, sed multa adducit pertinẽtia ad gratię auxilia, quę in l. 5 remitto

Ledesma.

In

2. Status quæstionis.

In hoc autem puncto duo dubia sunt distinguenda, vnum est, an hæc determinatio moralis sit possibilis salua libertate, & ab hoc puncto nunc abstinemus vsque ad lib. 5. quia hîc solùm agimus de motione quæ ex vi generalis concursus datur. hoc autem illa tantùm est, quæ est necessaria, quia concursus generalis semper est necessarius. Aliud ergo punctum proprium huius loci est, an ille modus promotionis determinantis moraliter sit necessarius causæ liberæ ad se determinandum. Quia verò generalis concursus propriè videtur significare influxum physicum primæ causæ, ideo videri potest omnino aliena à tali concursu motio, vel prædeterminatio moralis; re tamen vera non ita est, quia ipsa etiam moralis motio sine generali, & physico concursu non fit.

3. Duplex motio moralis in voluntate prima ex parte obiecti.

Quod vt declarem, aduerto voluntatem duplici indigere motore, altero ex parte obiecti, seu, quod idem est ferè, ex parte intellectus: altero ex parte ipsiusmet voluntatis, vt in illa, vel cum illa efficiat ipsum voluntatis motum, seu actum. Primus motor distinctus à voluntate, vt per se patet, & motio illius, antecedit necessariò actualè determinationem voluntatis vel ordine temporis, vel saltem causalitatis, seu naturæ, quia voluntas non potest ferri nisi in obiectum cognitum, & ideo necessarium est, vt ab illo, & consequenter ab intellectu, & proponente illud prius alliciatur, & moueatur. Hæc autem motio solet dici metaphorica, vel moralis, non propriè physica, quia non est per propriam, & per se efficientiam in ipsam voluntatem. Motio enim obiecti appetibilis respectu appetitus solùm est in genere causæ finalis, & ideo *metaphorica* dicitur. Vnde ex vi talis motionis, vt antecedit consensum liberum, & realem, nihil reale imprimitur voluntati, quòd sit prouium ad actum suum, sed solùm per naturalem colligationem potentiarum animæ, proposito obiecto per intellectum inuitatur voluntas, & allicitur, atque ita metaphoricè mouetur ad tale obiectum amandum, vel si aliquando resultat aliquis naturalis, & indeliberatus motus inclinans ad consensum in tale obiectum, talis motus non fit ab obiecto, vel ab intellectu, sed fit ab ipsa voluntate cùm sit vitalis, proceditque ex naturali propensione, quam habet ad bonum, quæ naturaliter prorumpit in similes imperfectos motus, quam ob rationem imperfectè deliberat. Denique quando ratio proponens obiectum etiam consulit, & suadet, vt ametur, de se excitat moraliter voluntatem, quæ etiam iuuatur illis motibus imperfectis ad se inclinandum indeliberatum consensum, & ideo etiam hæc motio dicitur effectiua non physicè, quia non per se, nec propriè facit volitionem ipsam liberam, sed moraliter, quia modo quodam liberè actibus accommodato trahit voluntatem ad consensum. Et hoc modo quicumque proponens obiectum voluntati, & persuadens, vel exhortans hominem ad illud appetendum, dici potest motor voluntatis in hoc genere, seu causa moralis efficiens; vt constat ex Aristot. 2. Phys. & 5. Metaph.

Aristot.

4. Altera motio ex ipsamet voluntate.

Alter ergo voluntatis motor respectu actuum liberorum, est ipsamet voluntas, seu homo ipse per illam: nunc enim de formali principio mouendi, seu agendi tractamus, & ita potentiam ipsam lato modo, moto rem appellamus: sic ergo assertum hoc certissimum est, non solùm quia motus ille est vitalis actus, de cuius ratione, & natura est vt fiat propriè, ac physicè à potentia vitali, quam afficit, sed etiam quia non posset esse actus liber, nisi ab ipsa voluntate effectiuè procederet, vt in primo Prolegomeno probatum est; & apertè colligitur ex Conc. Trid. sess. 6. c. 5. & can. 4. hoc autem intelligendum est de motore, seu efficiente proximo, & per se maximè necessario, siue sit solum, & integrum in suo genere, siue habere possit aliud coefficiens cum voluntate, vt esse potest vel habitus, vel vnus actus voluntatis respectu alterius, quando inter se sunt ordinati, vt intentio, & electio, amor, desiderium, & similes, vt est probabile: vel (vt alij etiam volunt) obiectum cognitum, vel cognitio eius, seu iudicium intellectus etiam efficit volitionem, quod licèt fortasse minus probabile sit, nihil ad præsens refert, quia obiectum, vel cognitio secundùm talem efficientiam, si illam habet, saltem non est præmotor, id est, non efficit in voluntate aliquid præuium ad actum liberum, quo illam determinet ad illum efficiendum, sed ad summum coefficit cum illa actum eius, neque amplius dicunt cui obiecto, vel cognitioni aliquam physicam efficientiam in actum voluntatis tribuunt. Nec aliud potest cum fundamento, vel probabilitate cogitari, aut explicari, vt nunc ex consensu Theologorum, & Philosophorum suppono.

Addimus ergo ad vtramque ex his motionibus esse necessarium generalem concursum Dei effectiuum propriè, & physicè. Et de posteriori quidem manifestum est, quia voluntatis efficientiam in suum actum est propria, & physica, & voluntas nostra est principium creatum agendi; ergo indiget auxilio generali Dei, physicè etiam, & propriè coefficientis. De priori autem diuersa ratio videri potest, quia motio obiecti, & intellectus respectu voluntatis, & prout antecedit actum eius, est solùm motio finalis metaphorica, seu moralis, per quam nondum fit propriè, & physicè aliquid in voluntate; ergo ad illam non videtur necessaria propria efficientia physica Dei per generalem concursum. Sed considerandum est licet motio illa respectu voluntatis sit moralis, seu finalis, nihilominus in reipsa non fieri sine efficientia aliqua propria & physica intellectus cognoscentis, & præsentantis obiectum, ac de illo iudicantis, quod non potest intellectus efficere sine physico, & proprio consensu generali Dei. Et ratione huius concursus verissimè dicitur illam motionem moralem non fieri sine concursu generali Dei. Hic autem concursus licèt respectu intellectus sit physica motio respectu voluntatis, est tantùm moralis, & hoc solum probat ratio dubitandi proximè proposita. Et quod valdè notandum est, ille concursus respectu intellectus, tantùm est motio cooperatiua, non prædeterminatiua, nec præuia, iuxta dicta in præcedentibus capitulis, quia intellectus de se naturali modo operatur, & non liberè, & maximè prout antecedit liberam motionem voluntatis, sicut nunc consideratur. At verò respectu voluntatis illa est præmotio moralis, & ideo Deus ratione illius concursus, quem physicè præbet intellectui, potest aliquando dici moraliter præmouere voluntatem. Hæc item præmotio sæpè inducit proximè aliquè naturalem ac necessarium motum, qui etiam respectu consensus liberi est prænius, & morali modo ad illam excitat per quamdam sympathiam, & consensionem: quatenus autem motus ille naturali modo fit à voluntate, indiget motione Dei physicè cooperante, non præuia, iuxta hactenus dicta; quatenus verò ille motus moraliter mouet voluntatem ad alium, Deus etiam physicè concurrens ad illum moraliter præmouet voluntatem ad alium actum, si honestus sit, vt infrà dicemus.

Conc. Trid.

6. Et hac ergo declaratione constat in præsenti puncto Deum prout concursum necessarium præbet ad actus vitales intellectus, vel voluntatis prænios ad consensum liberum eiusdem voluntatis, per talem concursum facere in nobis aliquid prænium ratione cuius potest etiam dici Deus præmouere voluntatem nostram ad liberum consensum, & hanc

hanc præmotionem saltem ex parte intellectus esse ex natura rei necessariam ad vsum liberum voluntatis. Ex necessitate igitur huius præmotionis, intulit dictus author necessitatem moralis prædeterminationis. Vereor tamen ne in verbo *prædeterminationis* tam in se, quàm cõparatum ad verbum præmouendi, seu præmotionis æquiuocatio committatur, & ideo aduerto duobus modis dici posse voluntatem determinari, scilicet, vel quoad specificationem tantum, vel etiam quoad exercitium. Prior prædeterminatio potest dici de se sufficiens, non tamen efficax, vel etiam dici potest conditionata, non absoluta, atque hoc modo obiectum, vel consilium præmouens voluntatẽ, dici potest prædeterminare illam, quantum est de se ad talem speciem actus, si motionem illam sequi vidit. Atq; hoc modo omnis præmotio voluntatis potest dici prædeterminatio. Alia verò est prædeterminatio absoluta & efficax, quia illa posita etiam si moralis sit, voluntas ex vi illius ad exercitium actus determinatur, & de hoc genere prædeterminationis in præsenti sermo est. Hæc autem significatio secundùm proprietatem, & receptum vsum verborum non conuenit verbo præmouendi, quod generalius est, & ideo cauendum est ne ex necessitate præmotionis moralis voluntatis inferatur necessitas dictæ prædeterminationis, erit enim inutilis illatio.

7. Quibus præmotio moralis & quomodo differat à prædeterminatione.

Vt autem hoc declarem, aduerto in voluntate secundùm se spectata, id est, priusquam moueri incipiat, vel obiectum ei proponatur, duo considerari posse. Vnum est, quod est in potentia, vt moraliter moueatur; aliud quod est indifferens, & indeterminata ad volendum, vel nolendum. Præmoueri ergo moraliter nihil aliud est, quàm præmoueri aliquo morali modo ab alio priusquam ipsa operetur, hanc enim prioritatem particula *præ* indicat: prædeterminari autem est eius indifferentiam coarctari, & ad id efficiendum, ad quod præmouetur, illam determinari ab alio, priusquam ipsa operetur: eandemq; etiam prioritatem particula *præ* denotat, addita verbo *determinandi*, quam indicat, addita verbo *mouendi*. Plus ergo est prædeterminare, quàm præmouere: vnde omnis qui determinat, præmouet, quia illa præuia determinatio non fit sine motione: non tamen è contrario, omnis qui præmouet, prædeterminat, quia potest talis esse motio, quæ antecedit, vt voluntatis indifferentiam coarctet. Vnde qui consulit, & qui petit, moraliter præmouet, non tamen prædeterminat modo prædicto; & Dæmon tentando præmouet nostras voluntates, non tamen prædeterminat, & pulchritudo obiecti nos inuitat, & præmouet, non tamen prædeterminat. Itaque si rigor, & vsus verbi *prædeterminandi* obseruetur, prædeterminatio supra præmotionem addit, quòd motio præuia talis sit, vt ex vi illius, & veluti quadam necessaria moralique consecutione voluntas eliciat illum actum liberum, ad quem præmouetur; hoc enim est determinare, seu limitare, & coarctare indeterminationem, quam voluntas ex se ante talem motionem habebat.

8. Diuisio prædeterminationis in physicam, & moralem.

Vlterius verò distingui solet prædeterminatio, in physicam, & moralem, quæ voces possunt distinguere vel modum causalitatis talis præmotionis respectu actus liberi, vel modum necessariæ connexionis cum illo. quæ duo sunt valde consideranda, & distinguenda in tota hac disputatione, quia difficultas eius consistit in connexione alicuius præmotionis à causa intrinseca præmouentis cum subsequente actu libero, magis quàm in modo causalitatis physicæ, aut moralis. Quamuis enim motio aliqua præcedat actum voluntatis, & ad illum moueat; & quando ille sit, sit causa illius vel moralis, vel physica, si non habeat aliquam necessariam connexionem cum illo, ita vt illa posita infallibiliter sequatur talis actus liber, erit præmotio, non prædererminatio voluntatis, neque physica, neque moralis, quia neutro modo præoccupet (vt sic dicam) neque priùs coarctat indifferentiam eius, quam ipsa liberè operetur. At verò si motio præcedat & infallibiliter inducat cõsensum, erit prædeterminatio: tunc autem ex modo causalitatis dicetur physica, si physicè influat in consensum: moralis autem, si tantùm moraliter moueat; hæc autem diuersitas non multum variat, aut minuit difficultatem, si necessitas consequentis consensus, & motionis esset æqualis, vt postea videbimus. Aliter enim possunt voces illæ determinare connexionem prædictam, vt illa præmotio dicatur physicè prædeterminare, quæ omnino infallibiliter ex vi suæ causalitatis inducat consensum, siue causalitas ipsa sit moralis, siue physica, sic enim non dicetur physica prædeterminatio, quia physicè causat, sed quia in se est quid reale, & physicum, quo posito, impossibile est, non sequi consensum. E conuerso moralis prædeterminatio dicetur si non sit tam infallibilis consecutio, quin interdum possit deficere, & solum dicatur moralis, quia vt plurimum ita contingit, vt saltem quia non sequitur per se extrinseca causalitate physica, vel morali, licèt aliunde semper ita eueniat, moraliter loquendo.

9. Assertio, voluntas indiget aliqua morali Dei præmotione.

Primò ergo certum est voluntatem non posse ad actum liberum, & honestum determinari, nisi à Deo moraliter præmoueatur. de hoc puncto nunquam fuit inter nos controuersia. Quòd si dictus author in hoc tantùm sensu vtitur verbis prædeterminandi moraliter, iniustè me reprehendit, quasi id negauerim, quia ego hanc partem latè probaui in eodem loco de Auxiliis, quem citat, & de illa procedunt omnia quæ de sancta cogitatione ad honestam operationem necessaria dixi in lib. 1. huius operis, & nunc probata breuiter ex dictis est, quia voluntas non potest actum liberum honestum facere, nisi priùs per honestam cogitationem, vel iudicium moraliter præmoueatur, sed talis præmotio non potest fieri, nisi vel à Deo solo, si velit illam efficere, vel saltem à Deo concurrente cum aliqua causa secundà hominem excitante, vt iam declaraui. In vtroque autem modo Deus verè, & propriè dicitur præmouere moraliter voluntatem hominis ad actum liberum honestum; ergo. Minor quoad priorem partem per se nota est, & illam omittimus, quia non pertinet ad communem prouidentiæ modum, & generalem concursum, de quo nunc tractamus. Quoad alteram partem probatur, quia quando causa secunda præmouet moraliter voluntatem, Deus concurrit cum illa, vt constat; ergo tunc etiam Deus præmouet per illam, saltem physicè concurrendo ad præmotionem moralem. Vlterius verò quando præmotio est ad actum honestum, Deus non solùm physicè concurrit ad illam, sed etiam moraliter, quia illam intendit, & quantum in se est, ad hoc ordinat creata obiecta, vt homines ad actus honestos inducant, & præterea adiungit suum præceptum, vel consilium, vel saltem moralem approbationem, & ideo non tantùm physicè, sed etiam moraliter concurrit. Et in hoc sensu procedunt multæ ex rationibus dicti authoris, præsertim prima, quæ de initio boni operis per motionem præuiam ordinis naturalis procedit. de qua nos suprà in lib. 1. latè diximus. Aliæ verò rationes, præsertim 4. 5. & 6. quæ sumuntur ex prædefinitione & præscientia Dei, ea erè ostendunt dictum authorem loqui de prædeterminatione in rigore supra declarato.

10.

Vnde dico secundò causam liberam ad suos actus connaturales efficiendos, non indigere prædeter-

2. Assertio, causa libera ad actus connaturales efficiẽdos non eget prædeterminatione morali.

terminatione morali, præsertim ex vi concursus, & prouidentiæ generalis. Probatur, quia vt voluntas moueri possit liberè per actus ordinis naturalis, non indiget alia morali præmotione Dei, præter illam, quam facit per iudicium rationis sufficienter præponentis honestatem obiecti; sed hoc iudicium licèt præmoueat, non prædeterminat moraliter voluntatem; ergo non est alia prædeterminatio ex parte Dei necessaria. Maior suprà in lib. 1. satis probata est, ibi enim ostendimus ad actus honestos ordinis naturalis sigillatim sumptos, per se loquendo, non esse necessarium speciale auxilium gratiæ, sed sufficere lumen rationis præponentis obiectum sufficienter cum naturali facultate liberæ voluntatis. Vnde etiam ibi ostensum est cogitationem honestam naturalem haberi posse per generalem concursum Dei, & per illam posse etiam voluntatem honestum actum elicere; ergo ex parte Dei non potest exigi alia specialis præmotio moralis. Minor autem, nimirum, hanc cogitationem honestam non prædeterminare moraliter voluntatem, per se videtur euidens. Primò experientia, quia cum tali cogitatione sæpius, & fortè frequentius homo non bene operatur moraliter; ergo signum est, talem cogitationem non prædeterminare voluntatem moraliter ad actum liberum, quia (vt dixi) ad hanc prædeterminationem necessarium est, vt præmotio moralis sit adeò efficax, vt vel semper, vel vt plurimum à voluntate obtineat liberum consensum. Secundò à priori, quia libertas voluntatis oritur ex indifferentia iudicij, vt cum D. Thoma 1. p. q. 83. art. 1. supponimus; ergo stante iudicio omnino indifferente, quantum in ipso est, eo modo, quo esse potest, scilicet ex parte obiecti proponendo rationem boni, & mali, & honesti, aut ardui, quæ in ipso est, manet integra libertas voluntatis ad honestum actum eliciendum; ergo talis præmotio moralis per illud iudicium facta est sufficiens vt voluntas eliciat actum honestum si velit; ergo non est necessaria prædeterminatio. Probatur hæc vltima consequentia, quia illud iudicium non prædeterminat moraliter voluntatem, nam æquè indifferentem illam reliquit ad refutandum obiectum propositum propter arduitatem, vel aliam incommoditatem in illo simul cognitam.

D. Thom.

11. Confirmatur & amplius declaratur.

Tertiò idem confirmatur, & declaratur, quia si prædeterminatio illa moralis intelligatur esse prædeterminatio simpliciter, id est, quæ de se infalliBiliter effectum liberi consensus obtineat, potius repugnat libertati, quàm illam iuuet: non potest enim aliunde prouenire nisi ex eo, quòd ratio non repræsentat planè obiectum, sed sub vna tantùm ratione; nam hæc moralis ratio, per se non fit, nisi medio iudicio rationis; quomodo ergo potest ratio illo modo determinare voluntatem ad vnum, nisi de vna tantùm ratione obiecti iudicando? hoc autem est contra vsum libertatis, nam vt actus voluntatis liberè fiat, necesse est, vt habeat obiectum sufficienter propositum, ad videndum, vel nolendum. Nam, vt rectè dicit D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 2. ad 2. est eo, quòd ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas, in vtrumque potest; ergo libertas actus voluntatis requirit ex parte iudicij actualem indifferentiam obiectiuam; ergo non potest ad actum liberum prærequiri talis prædeterminatio moralis; quæ ex vi præmotionis moralis infallibiliter voluntatem in consensum iudicat; quin potiùs talis præmotio licèt in modo causandi dici possit moralis, seu finalis, in modo prædeterminandi esset physica, & induceret necessitatem intrinsecam, qualis est in actibus indeliberatis, quorum necessitas oritur ex interno appetitu naturali, supposito impedimento in rationis deliberatione, sine qua non potest esse vsus libertatis. At verò si prædeterminatio moralis minus rigorosè dicatur ob frequentem determinationem, & quia difficulter oppositum euenit, in rigore non repugnat libertati: non potest autem esse necessaria ad liberè, & honestè operandum, quia hæc moralis prædeterminatio non potest prouenire, nisi ex vehementi consideratione boni, & remissa consideratione mali, vel ex aliqua præuia propensione naturali ad bonum potius quàm ad malum: quid enim aliud potest cogitari? At nihil horum necessarium ad operandum bonum, quia neque est necessaria aliqua consideratio mali, nec inclinatio habitus, vel consuetudinis, vel alicuius affectionis indeliberatæ, quæ præcedat; hæc enim omnia accidentia sunt, vt per se constat, & sine illis voluntas habet vim eligendi bonum sibi propositum, cùm tamen sine aliquo huiusmodi intelligi non possit, vnde talis moralis prædeterminatio prouenire possit; non est ergo talis prædeterminatio ad bene operandum ex parte Dei necessaria.

12. Obiectio ex eo quòd auxilium naturale, & liberum, & gratiæ, quæ naturæ, in solum referuntur effectu.

Sed obiiciunt, quia posita præmotione morali sufficiente voluntas libera manet, & indeterminata; ergo vt honestè determinetur, necessaria est diuina præmotio, quæ moraliter illam prædeterminet, aliàs efficacia diuinorum auxiliorum naturalium, non in Deum, sed in voluntatem esset referenda, quod est absurdum, quia cùm efficacia sit id, quod præcipuum est in diuinis auxilijs, illa maximè in Deum referenda est. Et confirmatur, primò quia si Dei voluntas moraliter non prædeterminaret, bona, vel mala temporalia, quæ hominibus eueniunt non essent in Deum referẽda, quia communiter veniunt ex negotiatione, vel operationibus humanis, quæ per liberam determinationẽ fiunt; ergo si voluntates hominum non prædeterminarentur à Deo, effectus ex illis prouenientes non refunderentur in Deum, & consequenter non essent gratiæ Deo agendæ pro his bonis, vt, verbi gratia, quando pauper accipit eleemosynam à diuite, potest quidem, & debet gratias agere homini danti, quia sua voluntate se ad id determinauit, non tamen Deo, qui voluntatem dantis non prædeterminauit. Confirmatur secundò, quia Scriptura tribuit Deo hanc prædeterminationem moralem respectu voluntatis, vt latè probat Augustinus lib. de Grat. *Augst.* & lib. arbitr. cap. 20. eo quod 2. Regum 17. dicitur Domini nutu dissipatum fuisse consilium Architophel, agendo scilicet in corde Absalon, vt tale consilium repudiaret, & quod Esther 5. dicitur Deum conuertisse cor Assueri, &c. Simile est illud Genes. 43. *Deus autem meus omnipotens faciat illum vobis placabilem.* vbi Caietanus notat, petiisse Iacob à Deo, vt animum præfidis Ægypti flecteret. Et similia leguntur sæpe in Scriptura 1. Regum 10. & 11. & Iudith 6. & 14. Ac denique illud est vulgatissimum, *Cor Regis in manu Dei est, & quocunque voluerit, vertet illud*, Prouerb. 21. *Caiet.*

13. Dissolutio obiectionis.

Ad primam rationem negatur prima consequentia; imò addimus oppositum sequi ex antecedenti: nam si posita præmotione morali, voluntas est verè libera, & indifferens cum illa sola præmotione morali, si Deus præbeat generalem concursum, poterit honestum actum elicere, nam si vltra illam præmotionem moralem sufficientem ad eliciendum actum liberum, est necessaria alia motio moraliter prædeterminatiua, profectò illa prior non erit sufficiens in suo genere causæ moralis, quia in eodem genere alia maior, & efficacior necessaria erat; ergo falsò appellatur illa prior præmotio sufficiens. Falsum item est voluntatem cum illa sola esse moraliter liberam ad operandum, cùm per illam solam moueri liberè non possit ad talem actualem, nisi maior adhibeatur. quæ ratio per se sufficientissima in hac materia est, eam in

lib. 5.

lib. 5. pressiùs vrgebimus. Veruntamen etiam ad hominem potest confirmari, quia prædeterminatio illa moralis, si necessaria est, profectò ex parte actus primi, & virtutis actiuæ voluntatis necessaria est, quia omnino antecedit actum secundum, & non potest esse nisi aliqua cognitio, vel motio interna per modum consilij, vel attentionis considerationis, vel alio simili modo; hoc enim modo idem author explicat hanc causalitatem moralem in art. 1. immediatè post argumenta. Est ergo necessaria illa prædeterminatio, vt voluntas habeat integras vires, non solùm physicas, sed etiam morales simpliciter necessarias ad illum actum; ergo sine illa motione non habet has vires; ergo cum alia præmotione morali non habent sufficientes vires, & consequenter nec libertatem proximam ad talem actum. Sic enim idem Author alibi colligit prævium concursum non posse requiri ex parte actus primi, quia aliàs in causa secunda non supponeretur virtus sufficiens ad agendum. Nec minorem habet efficaciam hæc ratio in viribus moralibus (vt sic dicam,) quàm in physicis, si vtraque tales sint, vt sint simpliciter necessariæ ad vsum libertatis, quia talis libertas prærequirit potestatem, simpliciter in omni genere; imò non solùm ex parte virtutis per se actiuæ, sed ex parte etiam omnium conditionum, quæ ad agendum necessariò præsupponi debent, vt in Prolegomeno 1. latè diximus.

14. Adconfirmationes. Concludimus ergo cum motione morali de se non prædeterminatiua voluntatis, posse voluntatem liberè operari, etiam honestè. Ad inconueniens autem quod infertur in prima confirmatione, sequi nimirum non esse Deo gratias agendas, propter bonos actus liberos, vel propter vtilitates, ac beneficia temporalia, quæ interdum ex illis nascuntur. Respondetur, negando sequelam, quia vt hæc sint beneficia diuina, vel temporalia, vel etiam moralia, non est necesse vt ex diuina prædeterminatione morali proueniant, satis est enim quòd fiant ex honesta aliqua cogitatione, & morali motione à Deo præuisa, & prouisa: vt inter homines gratias meritò agimus homini danti bonum consilium ad aliquid virtutis operandum, etiamsi vnus homo alterius voluntatem suo consilio non prædeterminet, licèt illam inclinet, & præmoueat, hæc enim diuersa sunt vt iam admonui. Item in lib. 1. declaraui, quomodo cogitatio congrua naturalis, sit speciale beneficium ordinis naturæ, etiamsi de se non magis prædeterminet voluntatem, quàm honesta cogitatio sufficiens. Sic ergo omnia similia bona, quæ hominibus eueniunt, in Deum referenda sunt, non propter prædeterminationem, sed propter prouidentiam, & efficientiam, vel physicam, vel moralem iuxta effectuum exigentiam. Vnde in exemplo illo de paupere accipiente eleemosynam à diuite, dicimus, debere gratias agere, & danti, quia libera voluntate se ad illam dandam determinauit, & Deo, quia & illi cooperatus est, & illum sua prouidentia in illam cogitationem congruè induxit, quod, vt dixi, sine prædeterminatione facere potuit. Huiusmodi ergo illationes, & argumenta (quod præ oculis, vt dixi, habendum est,) ex verborum æquiuocatione, & confusione prædeterminationis, cum omni præmotione morali procedunt, & ita intellecta illorum verborum distinctione facile soluuntur.

15. Adsecundam confirmationē. Altera confirmatio simili defectu laborat. Primò quidem, quia omnia illa, quæ in illo argumento referuntur, possunt à Deo heri per cogitationes accommodatas, & in diuina præscientia ita congruas, vt effectum à Deo intentum infallibiliter consequantur. Deinde, quia longè diuersum est, hanc prædeterminationem moralem esse necessariam ad omne opus: aliud verò esse possibilem, si Deus velit illam adhibere: constat enim posse Deum dare abundantius auxilium ad aliquod opus, quàm simpliciter necessarium sit. Hæc autem duo in illo argumento, vel confunduntur, vel vnum malè ex alio infertur, nam testimonia, & exempla adducta in illa confirmatione ad summum probant, posse Deum prædeterminare moraliter ad bonum, & interdum id facere, quod nunc gratis damus: qualis autem sit illa prædeterminatio moralis, in lib. 5. inter auxilia gratiæ explicabimus; quia talis prædeterminatio aliquam rationem gratiæ semper habet. Hinc autem non sequitur talem prædeterminationem esse necessariam, non enim omne possibile necessarium est, vt per se constat, & hoc est, quod ad præsens pertinet, & iam monui, quia solùm de generali concursu siue physico, siue morali tractamus.

CAPVT XLII.

Prævium concursum physicè prædeterminantem non esse voluntati liberæ necessarium, vt aliquid determinatè velit.

IN præsenti etiam est sermo de prædeterminatione efficaci, & quoad exercitium, &, vt iam notaui, non tractamus nunc, an talis prædeterminatio sit possibilis, seu compossibilis cum vsu libertatis, (hanc enim quæstionem in libr. 5. reseruamus; sed tractamus solùm ex vi generalis concursus voluntati liberæ debito necessaria sit.

1. Assert. Non est necessaria prædeterminatio physica voluntatis ad actus ordinis naturalis.

Dicimus ergo prævium concursum non magis esse necessarium voluntati liberæ ad actus sibi proportionatos, seu ordinis naturalis, quàm aliis causis secundis naturaliter agentibus, ac proinde exordinaria lege, seu ex vi generalis prouidentiæ solùm simultaneum concursum illi tribui. Hanc assertionem maximè docent authores allegati in cap... & esse S. Thomæ ostendam in capite sequenti, nunc rationem illam ostendo quia si propter aliquid esset necessarius ille prævius concursus, maximè quia voluntas est potentia indifferens, seu indeterminata, & ideo indiget prævio auxilio in se recepto, quo prædeterminetur; sed ob hanc causam non solùm non est necessaria talis præmotio, sed potiùs propter illam conditionem maximè consentaneum tali potentiæ est, vt non detur illi talis præmotio; ergo. Consequentia est nota, & in Maiori conuenimus. Minor ergo probatur. quia indeterminatio voluntatis, quæ illi conuenit, vt est potentia formaliter libera, non est sola indeterminatio potentiæ passiuæ, sed est indeterminatio potentiæ actiuæ, habentis sufficientem, & integram vim producendi varios actus ad quos dicitur libera, & aliunde habet talem modum operandi, vt suum actum intrinsecè per seipsum voluntariè eliciat, aut non eliciat; ergo ad faciendum determinatum actum non indiget extrinseca prævia motione determinante illam. Maior probata, & declarata sufficienter est in Prolegomeno 1. cap. 2.

2. Ex indifferentia de libertate voluntatis id probatur.

Addimus ergo in Minori proprium esse voluntatis ferri in obiectum suum per actum intrinsecè, ac per seipsum voluntarium, quam proprietatem aliquo modo participiat appetitus sensitiuus; minus verò, & sine indifferentia, & ideo non est poten-

potentia libera. Ratio verò est, quia voluntas fertur in obiectum voluntariè, vt ex terminis constat, quod adeò est intrinsecum illi, vt propterea cogi non possit; ergo motus ipse, quo hæc facultas fertur in obiectum, illi voluntarius est: non est autem voluntarius per alium actum, aliàs procederetur in infinitum; ergo talis actus est intrinsecè ac per seipsum voluntarius. Et hoc docuit Caietanus 1. 2. q. 9. art. 4. & sumpsit ex D. Thoma 1. 2. q. 16. art. 4. ad 3. vbi ait, voluntas consentiendo obiecto consentit se consentire, & consequenter volendo obiectum, vult se velle, quia actus voluntatis reflectuntur supra seipsos. Et ex eodem principio dixit in 2. 2. q. 25. art. 2. amorem ex ratione propriæ speciei habere, quòd supra se reflectatur, quia est spontaneus motus amantis ad amatum, vtique extrinsecè, & per seipsum, ideòque adiungit, *Vnde ex hoc ipso quòd amat aliquis, amat se amare.* Et sic etiam dixit Augustinus 8. de Trinit. cap. 7. *Qui amat proximum, consequens est, vt etiam ipsam dilectionem diligat.* Eademque ratio in vniuersum est de ipso velle, seu de quolibet actu voluntatis, vt copiosiùs docuit idem Augustinus lib. 2. de libero arbitrio, cap. 19. dicens, *Nolt mirari, qui cæteris per liberam voluntatem vtimur, etiam ipsa libera voluntate per eam ipsam vti nos posse*, vt quodammodo seipsa vtatur voluntas, quæ vtitur cæteris, sicut seipsam cognoscit ratio, *qua cognoscit cætera.* Et hæc est ratio à priori, ob quam in sola potentia appetente potest esse formalis libertas, quia solus actus à tali potentia elicitus est intrinsecè voluntarius; seu spontaneus, & ita sola potentia appetens vitaliter potest seipsum ad appetendum actualiter, & vitaliter inclinare, quod maximè est necessarium in potentia formaliter libera, vt possit velle vnum actum eli ere, potius quàm alium, vel potius exercere actum, quàm ab illo cessare, cùm ad neutrum ex natura sua sit determinata. Et hinc etiam est, quòd cùm voluntas possit aliàs hominis potentias sibi subiectas ad liberum exercitium actus mouere, ipsa sola possit seipsam ad volendum mouere, & applicare, vt idem D. Thomas tradit 1. 2. q. 3. art. 3. & 4. quia actus aliarum potentiarum non sunt voluntarij, nisi propter actum voluntatis est: & ita quia voluntas volendo aliquid, vult velle illud, ideo eodem actu, quo vult aliquid, se mouet ad volendum.

Augusti.

D. Thom.

3. Petficitur probatio.

Ex his ergo principiis facilè probamus illationem factam, & assertionem, scilicet, voluntati propter indeterminationem suam non esse necessariam physicam prædeterminationem extrinsecus ab ipso Deo illi aduenientem, quia tribus tantùm modis cogitari potest hæc necessitas. Primò, quia voluntas indiget tali præmotione propter imperfectionem virtutis agendi, vt per illum actum compleatur quoad vnum actum determinatum solum. Secundò potest requiri vt voluntas determinetur ad exercitium actus. Tertiò vt concursus Dei voluntatem, vel quoad speciem actus, vel quoad individuum determinet; nam cùm voluntas ex se sit indifferens ad plures concursus, non potest ab illa sumi determinatio ipsiusmet concursus, sicut fit in aliis causis naturalibus. Sed nullo ex his modis potest talis necessitas admitti, nedum probari; ergo nulla est. Consequentia satis probatur à sufficienti partium enumeratione: nullus enim alius titulus huius necessitatis hactenus legi, vel cogitari potuit, nec facilè fingi posse existimo. Antecedens autem probatur per singula membra discurrendo.

4. Non requiritur præ-

Primum facilè refellitur ex dictis, ostensum est enim voluntatis indifferentiam, quæ liberam illam constituit, non esse ex imperfectione, sed ex eminentia actiuitas, & dominij in suos actus, nam & determinatio virtute eminenti ita plures continet, vt quemlibet eorum possit efficere, vel sustinere; ergo propter defectum virtutis non indiget forma, vel actu determinante. Sicut diuina voluntas indifferens est ad varios effectus, quia tamen illa indifferentia ex eminentia nascitur, ideo non indiget extrinseco prædeterminante, sed seipsa determinatur prout vult, vt ait D. Thomas 1. p. q. 19. art. 3. ad 5. Libertas autem voluntatis nostræ, est quædam singularis participatio diuinæ libertatis quoad extrinsecam facultatem sufficientem ad varios actus efficiendos, vel non efficiendos, ex intrinseca vi, & perfectione, etiamsi nullum impedimentum occurrat: nam hoc saltem est necessarium ad veram libertatem, quamuis in modo infinitè distet libertas creata à diuina: nam diuina non est per immediatum ordinem ad plures actus internos eiusdem voluntatis, sed per solam habitudinem ad plura obiecta creata, quia illa libertas est purissimi actus, sine vlla potentialitate: libertas autem potentiæ creatæ est immediate in ordine ad proprios actus internos, quia non est purus actus, sed semper habet aliquam potentiam passiuam, vt latiùs D. Thomas 1. contra gent. cap. 82. Atque hanc doctrinam expressè tradidit Scotus in 2. d. 25. q. 5. ad vltimum argumentum, in quo eandem difficultatem proposuerat. Respondet autem voluntatem esse indeterminatam, tanquam formam perfectam, & non diminutam, ideoq; præsentato obiecto posse se determinare, & etiam alia; & tandem ita concludit: *Potentia igitur rationalis perfecta, qualis est voluntas, quamuis sit contrariorum, potest determinare se obiecto præsente ad vnum illorum.*

D. Tom.

Scotus.

Neque possunt hanc partem negare, vel huic rationi contradicere alterius sententiæ authores, qui, vt suprà vidimus, fatentur concursum præuium non requiri in causa secunda; vt ex parte illius virtutem agendi, seu actum primum compleat, coniuncti illa ratione, quia aliàs causæ secundæ non haberent in suo genere virtutem completam ad agendum: at hæc ratio multo magis vrget in voluntate libera; ergo multo etiam magis in illa fateri debent præuiam determinationem non requiri, vt illam in actu primo constituat, vel virtutem agendi suos actus compleat. Minor declaratur argumento sæpè à nobis repetito, & in hac parte ab ipsis probato, vt ibi etiam notaui; quia si voluntas per hunc præuium concursum constitueretur in actu primo, & completa virtute proxima ad agendum, ante talem concursum non esset proximè ac perfectè libera, saltem quoad specificationem, seu quoad plures, vel contrarios actus, vt iam latè deduximus: hinc autem vlteriùs sequitur, vt nunquam in re ipsa tali libertate vtatur. Probatur hæc vltima illatio, quia per concursum præuium tantùm completur virtus voluntatis ad vnum actum efficiendum; ergo ad illum solum efficiendum habet tunc potestatem actiuam sufficientem, vt non ad vllum alium; ergo etiam tunc non habet libertatem simpliciter ad plures actus; ergo nunquam illam habet.

5. Argumentum.

Vnde etiam fit, vt licèt alios actus præter illum, ad quem recipit concursum præuium, facere omittat, non possit hoc tribui libertati eius, quia non ex sola voluntate illos omittit, sed quia impotens semper fuit ad illos efficiendos, quia nunquam fuit in actu primo constituta, nec virtutem completam habuit ad tales actus eliciendos. Et hinc facilè inferri etiam potest, si hoc titulo est necessaria prædeterminatio, tolli libertatem quoad exercitium actus; nam prius tempore, vel natura, quàm voluntas recipit talem præuium concursum, non

6. Absurdum ex aduersa-

est

est principaliter potens ad exercendum talem actum, ac subinde neque est libera, quoad exercitium illius; statim verò ac recipit illud virtutis complementum, non potest continere actum, seu non exercere actum, ad quem eliciendum completur: nam hæc est vis physicæ prædeterminationis; ergo nunquam est voluntas libera ad exercitium talis actus. Sed hæc ratio ex professo tractanda est in lib. 5. & paulo pòst hoc loco necessarium erit aliquid illi adiungere.

7. Non est necessaria prædeterminatio ad determinandam voluntatem ad speciem, aut exercitium actionis.

Secundum membrum suprà positum fuit de necessitate prævij concursus in voluntate propter solam determinationem ad vnum actum in specie, vel ad exercitium actus, quia causa indeterminata, non potest in effectum determinatum prodire, propter rationem octauam prioris sententiæ in cap. 27. propositam. Sed hanc etiam necessitatem nullam esse ostendimus ex principiis positis; quia potentia, quæ habet sufficientem vim actiuam ad plures actus, & subest motioni liberæ voluntatis, per solum velle eiusdem voluntatis determinatur ad definitum, seu particularem actum exercendum, vt patet in intellectu, & potentia motiua: sed voluntas habet virtutem sufficientem ad eliciendos varios actus, & sibiipsi subest (vt sic dicam,) quoad liberam motionem; ergo seipsam determinare volendo cum simultaneo concursu primæ causæ; ergo propter determinationem non indiget prædeterminatione. Minor probatur, quia voluntas non determinat alias potentias, nisi volendo, vt operetur; sed ipsa volendo obiectum, vult etiam operari, vt declaraui: ergo proposito obiecto sufficienter cum omnibus ex parte illius requisitis, volendo tale obiectum, vult se applicare, seu mouere ad talem actum, & ita se determinat, licèt non sola, sed cum concursu Dei simultaneo. Explicatur in actu credendi, nam voluntas determinat intellectum ad actum fidei volendo credere, & ideo non est necessaria alia prædeterminatio in intellectu ad talem actum fidei volendo credere, vult velle credere, quia ipsum velle voluntarium est; ergo per ipsummet velle se sufficienter determinat; ergo est impertinens omnis alia prædeterminatio.

8. Confirmatur à posteriori.

Atque hæc quidem est ratio à priori huius partis: à posteriori verò possumus illam confirmare, quia aliàs superfluè author naturæ, voluntati humanæ dedisset virtutem illam eminentem, & indifferentem quoad specificationem, & exercitium suorum actuum; si postea nunquam illa vti posset, nisi priùs àb extrinseco agente determinetur. Imò hinc vlteriùs sequitur, nunquam voluntatem operari vt indifferentem ad plura: nam idem est indifferentem esse, quod esse indeterminatum, sed nunquam operatur præexistens indeterminata, quia semper indiget prævia prædeterminatione, vt altera opinio dicit; ergo nunquam operatur indifferens. Ex quo tandem inferuntur illa duo incommoda, scilicet vt nunquam operetur vt libera, vel quoad specificationem, vel quoad exercitium. Vtrumque in primis simul probatur, quia nihil aliud est potentiam esse liberam, quàm esse indifferentem; si ergo nunquam operatur vt indifferens, nunquam operatur vt libera. Deinde probantur singula membra. Primum, quia voluntas solum potest aliquid operari, quatenus prædeterminata ad illud, vt contraria opinio docet; sed non prædeterminatur nisi ad vnum, vt etiam supponitur; ergo illud potest solum simpliciter operari, & non alia; ergo non operatur vt potens ad plura; ergo nec vt libera ad plura; ergo nec vt libera quoad specificationem actus. Tres vltimæ consequentiæ per se euidentes sunt, suppositæ prima, quæ ex contraria positione videtur etiam euidens, nam aiunt, voluntatem indeterminatam nihil determinatum posse operari. Nec refert siue illam prædeterminationem requirant vt principium agendi, aut ex parte hominis, aut ex parte Dei, siue tantùm vt necessariam conditionem; quocumque enim modo sit necessaria ad eliciendum actum, si illa non datur, nec sit in potestate voluntatis, nisi tantùm passiuè, intelligi non potest, quomodo sit in libera facultate voluntatis actum elicere ad quem non prædeterminatur. Secundum item membrum probatur argumento suprà facto, qui posita illa prædeterminatione non est in potestate voluntatis non exercere actum, & illa prædeterminatio datur ei ab extrinseco, & sine vsu libertatis; ergo actus proueniens à voluntate sic prædeterminata est illi necessarius quoad exercitium.

Et quamuis hæc ratio de auxilio efficaci latiùs tractanda sit, non possum hîc committere, quin aduertam. P. Ledesma artic. 8. conclus. 3. illa fuisse conuictum, vt diceret prædeterminationem hanc fieri non à solo Deo, sed simul etiam à voluntate, nam id existimat & necessarium, vt saluetur libertas, & sufficiens, quia si prædeterminatio sit à voluntate, ipsamet erit libera, & consequenter actus erit liber. quæ quidem responsio quatenus efficaciam rationis à nobis factæ confitetur, si supponatur prædeterminatio in voluntate à solo Deo, nostram sententiam plurimum iuuat: quatenus verò dicit prædeterminationem fieri à voluntate, non video quomodo cum principiis illius sententiæ, vel cum fundamento eius, imò nec ipso nomine, & ratione prædeterminationis possit consistere.

9. Ledesmæ responsio confutatur.

Primò, quia concursus prævius ponitur fieri à solo Deo, vt suprà cap. 25. dub. 5. ostendi: prædeterminatio autem fit per concursum prævium iuxta eandem sententiam; ergo est à solo Deo. Vel è contrario si prædeterminatio non fit à solo Deo, sed simul à voluntate; ergo non fit per concursum prævium, sed per concomitantem, nam simultaneus concursus ille est, per quem Deus simul cum causa secunda operatur; ergo non datur in voluntate concursus prævius ad illam prædeterminationem efficiendam, & sic falsum est illud principium, quod prævius concursus est necessarius per se & essentialiter ad omnem efficientiam causæ secundæ. Vel si fingatur alius concursus prævius distinctus à prædeterminatione, de illo inquiram, an fiat à voluntate necne: nam si fit, procedemus in infinitum; si verò sistendum est in aliquo, qui non fiat à voluntate, in illo procedet argumentum, quod ille tollet libertatem, eodem modo, quo ille author de prædeterminatione argumentatur.

10. Prima confutatio.

Secundò, quia concursus prævius est principium effectiuum actionis causæ secundæ, vt cap. 30. dub. 10. ex sententia illorum authorum dictum est; ergo etiam prædeterminatio est principium actus voluntatis; ergo non potest ab illa fieri. Posterior consequentia videtur euidens, quia voluntas non potest efficere principium sui actus. Prior verò probatur; quia prævius concursus, & prædeterminatio idem sunt, nam posito concursu prævio in voluntate, fieri non potest, quin actio sequatur, vt in vniuersum de omni causa secunda dicti authores docent: prædeterminatio autem nihil aliud est quàm præmotio inseparabilis ab actione; sunt ergo idem in voluntate prævius concursus, & prædeterminatio physica, quatenus à Deo, vt generali causa concurrente, fieri dicitur, nam de illa, quæ gratiæ efficaci attribuitur, alia est ratio, vt postea videbimus. Tertiò in verbis inuoluitur repugnantia, quando prædeterminatio

11. Secunda confutatio Ledesmæ.

5. Confutatio.

esse dicitur, quæ ab ipsa voluntate fit: nam vel est prædeterminatio in actu primo, vel in actu secundo. Si in actu primo, non est à voluntate, quia voluntas non se constituit in actu primo, simpliciter loquendo, vt per se constat; ergo fit à solo Deo in voluntate ipsa, & sic tollitur libertas, vt benedictus author argumentatur. Vel est determinatio in actu secundo, & tunc repugnat esse prædeterminationem, quia particula *præ* dicit antecessionem, non respectu Dei; ergo respectu voluntatis; repugnat ergo esse prædeterminationem, & esse à voluntate. Et confirmatur, nam prædeterminatio ideo ponitur, ne voluntas indeterminata præexistens, aliquid determinatum operetur, quod fieri non posse creditur: at si voluntas ipsa efficit prædeterminationem, ante illum non supponitur determinata; ergo existens prius natura indeterminata efficit prædeterminationem, quæ est effectus determinatus, quod est contra propia principia. Simile argumentum est, quia hæc prædeterminatio ponitur, quia causa secunda non potest mouere, nisi præmota; ergo non potest ipsa efficere suam prædeterminationem, aliàs efficeret illum nondum mota, contra hypothesim.

12. Non est necessaria prædeterminatio nisi diuinus concursus coniungatur cum causa libera

Tertium membrum in principali ratione positum fuit, quod hæc prædeterminatio putari potest necessaria propter determinationem concursus diuini, quia ille concursus non potest determinari ex coniunctione causæ primæ cum causa secunda, sicut de naturalibus causis causa naturalis; ergo quòd Deus velit cum illa coniungi ad operandum, non satis est ad determinationem diuini concursus; ergo oportet vt per diuinam voluntatem solam prædeterminetur; ergo oportet, vt illa determinatio præcedat, & sic ab illa prædeterminabitur voluntas. quæ ratio procedit de determinatione quoad speciem concursus; de determinatione verò quoad individuum, suprà est vniuersaliter ostensum fieri à solo Deo. Vnde etiam fit consequens, vt ab eodem proueniat prædeterminatio quoad exercitium, quia voluntas Dei prædeterminans talem concursum, quoad speciem, & individuum est efficax; ergo ponit efficaciter in re ipsa talem concursum, & consequenter secum trahit, & determinat voluntatem hominis ad actum propter quam talis concursus datur.

13. Varia diuini cõcursus consideratio.

Hic verò discursus pendet ex difficultate tacta capite 40. ad rationem 5. ex quo decreto voluntatis diuinæ procedat concursus quem Deus præbet voluntati creatæ ad liberè operandum, de quo puncto dicam commodiùs paulo pòst cap. 45. tractando de concursu ad actum, qui est peccatum. Nunc enim breuiter aduerto, concursum Dei dupliciter considerari posse, scilicet, vel quasi in actu primo, & antecedenter à Deo oblatum, vel vt in actu secundo ad extra exhibitum. Sicut enim prius natura, quàm voluntas liberè operetur, intelligimus illam potentem in actu completo ad operandum, ita prius natura, quàm Deus cum illa concurrat, intelligendus est Deus paratus ad concurrendum cum illa, & quantum in se est antecedenter offerens suam cooperationem, cùm sine illa voluntas nihil possit efficere. Dico ergo voluntati habenti libertatem quoad plures species actuum non offerre Deum antecedenter vnicum tantùm concursum, sed tot species concursuum, quot sunt species actuum, quos voluntas illa circa obiectum sibi sufficienter propositum potest elicere. Ratio manifesta est. quia Deus prouidet vnicuique causæ secundæ iuxta capacitatem, & indigentiam eius, sed potentia libera cùm sit virtute multiplex in ordine ad varios actus est capax plurium concursuum diuisim, seu disiunctim pro eodem instanti; ergo si vnus tantùm illi prouideretur, seu offerretur, non sufficienter esset illi prouisum iuxta capacitatem eius, quia cùm in effectu ac proximè nihil possit facere sine adiutorio, & cooperatione Dei, si vnus tantùm illi concursus antecedenter prouideretur, & offerretur absolutè, & numquam secundùm totam suam indifferentem potestatem, sed tantùm secundùm alteram eius partem sineretur operari. Vnde etiam fieret, vt in re ipsa, & in effectu numquam vteretur sua libertate quoad speciem actus, quia simpliciter solum illum posset efficere, ad quem haberet paratum concursum, alias verò simpliciter non posset. Nam quod fieri non potest sine adiutorio alterius, si tale auxilium denegaretur antecedenter, id est, si is, qui daturus illud est, statuit illud non dare, simpliciter fieri non potest, sed voluntas sola sine adiutorio cooperatiuo Dei nihil facere potest; ergo si vnum tantùm adiutorium haberet à Deo oblatum, actum illius facere posset, alios non posset, & consequenter alios non liberè omitteret, nec illi posset moraliter imputari. Sicut ignis Babylonicus carens diuino concursu, simpliciter non potuit calefacere, neque id potest ei tribui, sed Deo deneganti concursum; necessariò ergo dicendum est voluntati liberæ ad plures actus offerre concursum Deum cum indifferentia, quæ non potest esse in vno, & eodem concursu secundùm speciem; consistit ergo in varietate concursuum secundùm speciem, quam Deus ex se offert liberè voluntati, vt explicatum est.

14. Deus offert voluntati multiplicẽ concursum, & no vnũ tantùm.

Hinc ergo vlteriùs dicimus, si sermo sit de concursu in actu primo, seu vt oblato ex parte Dei non esse determinatum ad vnam speciem respectu causæ liberæ, sed habere indifferentiam proportionatam potentiæ cui offertur, vt est completè, & proximè libera cum omnibus aliis ex parte sua, vel ex parte obiecti prærequisitis ad operandum. Ideoque quoad hanc partem non præcedere membrum illud tertium, seu rationem in illo fundatam, supponit enim concursum Dei, sic oblatum esse determinatum ad vnam tantùm speciem, quod non ita est, vt ostendi. Si verò fit sermo de determinatione quoad tales species concursuum, & quoad numerum, licèt plures sint, respondemus determinationem fieri quidem per diuinam voluntatem, fundari verò aliquo modo in capacitate voluntatis proximè in suo ordine dispositæ ad operandum. nam quia circa tale obiectum sic propositum libera est ad talem, vel talem actum faciendum in talibus speciebus, & non in pluribus, ideo illius intuitu Deus offert illi tot concursus, & talium specierum. In vnaquaque verò specie illorum concursuum, & actuum offert Deus vnum numero concursum ad vnum tantùm individuum actum, quem ipse determinat sua tantùm voluntate, quia determinatio individui non potest fundari dicto modo in causa secunda, vt suprà declarui, quod æquè procedit in voluntate, quia licèt libertatem habeat ad eliciendum inter species actuum, quæ sumuntur ex obiectis formalibus, à quibus potest voluntas moueri ad operandum: nam potest ita eligere inter actus numero distinctos intra eamdem speciem, quia illa distinctio sumitur ex obiectis, & ita ex parte eorum non potest cadere sub electionem voluntatis, nec etiam prænoscuntur in particulari plures actus possibiles numero distincti, vt voluntas possit directè velle, vnum potius, quàm alium facere. Determinatio ergo illa fit per voluntatem Dei sine præiudicio libertatis, quoad specificationem, quia non fit cum determinatione ad vnum solum actum vnus speciei, sed ad plures diuersarum specierum, in quibus dicta libertas voluntatis sufficienter exercere potest: quoad exercitium verò nulla fit antecedens determinatio ex vi concursus, vt iam dicam.

Lo-

Loquendo igitur de concursu in actu secundo, dicendum est illum determinari posse quoad speciem actus, & quoad exercitium, non à sola voluntate diuina, sed ex coniunctione illius cum humana voluntate, & ideo propter hanc determinationem; non esse necessarium præuium concursum Dei ad extra, & prius natura factum in creata voluntate. Assumptum declaratur, quia voluntas creata est sufficienter in actu primo constituta ad hunc, vel illum actum eliciendum, vt ad eligendam in obiecto hanc, vel illam rationem boni, sub qua in illud tendat appetendo, vel rationem mali, sub qua illud fugiat. Ergo ita Deus illi offert concursum, ut illi integram electionem relinquat, idemque vult suum concursum ad extra prodire, & accommodari determinatè ad iuuandam voluntatem, prout ipsa se actualiter inclinauerit; ergo non est necesse vt antecedenter determinetur absolutè quoad illam solam speciem in qua dari contingit, sed tantùm quasi sub conditione si voluntas creata in hanc partem potius, quàm in aliam inclinari voluerit; determinatio ergo illa consummatur (vt sic dicam,) in coniunctione vtriusque voluntatis, inter quas voluntas creata proximè facit determinationem sui concursus eliciendo actum; increata verò facit eamdem cooperando, vt causa prima ex vi antecedentis voluntatis, qua decreuit iuuare voluntatem ea specie concursus quæ illi voluntariè cooperanti esset accommodata. Et eadem ratione non est necessarius ille præuius concursus propter determinationem quoad exercitium actus, quia hæc est in manu voluntatis creatæ, si paratum concursum proportionatum habeat, vt habere iam diximus. Et ita cessat omnis necessitas talis prædeterminationis, seu præuij concursus in voluntate libera, hæc enim duo idem sunt in illa sententia, vt notaui: cessante autem necessitate, consequenter concluditur talem præmotionem non dari, vt satis declaratum est. Contra hanc verò declarationem potissimè procedit ratio octaua contrariæ sententiæ, cum omnibus confirmationibus suis, quibus in cap. 46. commodiùs satisfaciemus.

12. Diuinus concursus iuxta secundo determinatur ad speciem, & exercitij actus à diuina, & creata voluntate simul, ex coniunctione vtriusque voluntatis.

14. Diuinus concursus in actu primo pro ea determinatione ad speciem actus libera.

CAPVT XLIII.

Doctrina superioris capitis authoritate Scripturæ, & Patrum confirmatur.

1. Duplex genus testimoniorum.

DVobus modis, vt suprà de naturalibus causis dixi, probari potest, non dare Deum voluntati nostræ præuium concursum, quo illam prædeterminet physicè. Primò per testimonia negatiua, quæ directè, & formaliter illam negationem contineant, & hæc probatio ex Scholasticis Doctoribus in cap. 19. data est: ex canonicis autem libris, vel antiquioribus Patribus expetenda non est, neq; expectanda, quia hæc speculatio, vel controuersia à Patribus antiquis non est tractata. Secundò potest ostendi negatio illa per affirmationes, & doctrinas, in quibus virtute contineatur, vel per æquipollentia verba, & hoc modo dicimus, assertionem superiori capite ratione probatam grauissima niti authoritate, quatenus ex Scriptura, & Patribus colligi potest.

2. Scripturæ quæ homini liberam electionem tribuunt, negant quoque necessitatem prædeterminationis.

Primò itaque ostendi potest ex illis Scripturæ locis, in quibus dicitur Deus ita creasse hominem sui iuris, ac liberi arbitrij, vt propositis, & cognitis obiectis, optionem, & electionem illi commiserit, vt est illud Ecclesiast. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui*, & infrà, *apposuit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam.* De quo testimonio inter Catholicos, cum quibus nos agimus, controuersia non est, quin etiam de homine lapso intelligatur; vt verba ipsa, & totus illius capitis contextus satis apertè docent, & sentit Concilium Senonen. in decreto 15. fidei. Sunt item alia innumera Scripturæ loca, in quibus hominibus lapsis optio, & electio committitur. Numer. 30. *In arbitrio viri erit, siue faciat, siue non faciat*, Ios. 24. *Optio vobis datur, eligite*, & Matth. 16. *Qui vult venire post me*, &c. & 1. Corinth. 7. *Quod vult faciat*, & multa sunt similia quæ congerit Augustinus lib. de Grat. & liber. arbit. c. 2. & 3. & alij scribentes pro libertate.

3. Instantia aduersariorum reiicitur.

Dicet aliquis his testimoniis solùm probari libertatem arbitrij cum indifferentia necessitati opposita, quam alij Catholici Doctores non negant. Respondemus propter hoc dogma fidei, quod inde proximè (vt ita dicam,) probatur in illis verbis à nobis ponderari hanc libertatem in hoc constitui, quòd determinatio voluntatis, ad vnam partem potiùs, quàm aliam ipsi voluntati commissa est, tamquam propriè causæ talis determinationis: hoc enim directè repugnat cum necessitate prædeterminationis ab extrinseco præstandæ. Deinde expendimus immediatè fieri transitum à voluntate indifferente ad electionem vnius, vel alterius partis, quæ electio intrinsecè includit determinationem: imò est formalis determinatio libera; ergo non interponitur aliqua prædeterminatio inter voluntatem indifferentem, & determinationem eius; ergo à voluntate sic indifferente in actu primo, immediatè fit determinatio in actu secundo: non est ergo necessaria, nec interuenit, aut prouenit determinatio Dei. Denique aduertimus quòd ipsi homini data dicitur potestas se determinandi, & ideo illi determinatio tribuitur. Quid enim aliud significant illa verba: *Reliquit eum in manu consilij sui*? Profectò si præter consilium, & iudicium non posset voluntas se determinare, nisi ab alio prædeterminetur, non esset relictum in manu consilij sui, sed in manu eius, qui eum prædeterminare potest. Vt ergo verum sit hominem esse relictum in manu consilij sui, oportet, vt immediatè hoc sit positum in voluntate eius, & ideo illi immediatè tribuitur determinatio, cùm additur, *ad quod volueris porrige manum.*

4. Secunda responsio confutatur.

Ad hæc verò, & similia testimonia respondent alij, conuincere illa quidem voluntatem se determinare, cùm liberè operatur, inde tamen non sequi non priùs naturâ prædeterminari, quia hæc duo non repugnant. Nam cùm prædeterminatio non tollat libertatem, adhuc reliquit locum determinationi faciendæ ab ipsa voluntate, media prædeterminatione à Deo recepta, & ita & prædeterminatur à Deo, & ipsa se determinat: imo addit P. Aluarez disp. 23. n. 26. ex hoc, quòd potentia, quæ est domina sui actus, posset sua intrinseca virtute cum generali concursu causæ primæ seipsam determinare, sequi quòd indigeat prædeterminatione primæ causæ. Sed hæc responsio non satisfacit prædictis testimoniis, nec secundùm rectam rationem potest subsistere. Primum patet ex dictis: nam cùm Sapiens dicit, *Apposuit tibi ignem, & aquam*, non loquitur de homine iam prædeterminato à Deo, nam illi vt sic præuento, seu ex vi prædeterminationis, non apponitur nisi vel ignis, vel aqua: ergo loquitur Sapiens de voluntate sufficienter constituta in actu primo, cui obiecta sufficienter ad operandum, & eligendum sunt proposita: illi autem immediatè dicitur, *ad quod volueris porrige manum*; ergo supponit habere potestatem immediatè se determinandi actiuè;

Aluarez.

non

non expectata alia prædeterminatione aliunde recipienda. Nam si illa expectanda est vt vnica tantùm, & non est in hominis potestate habere, quam velit, sed quam Deus suo arbitrio dare vult: si hæc, inquàm, vera sint, quomodo potest verè, & sine fictione homini dici, vt ad quod voluerit, manum porrigat; si ad alterum tantùm volendum prædeterminationem habere potest, & illam non arbitrio suo eligendam; sed ab altero pro arbitrio suo præstandam. Et hinc facile probatur, quod secundo loco proposui: nam si voluntas non exit in actu secundo nisi prædeterminata in actu primo, iam actio illa non est determinatio ipsiusmet voluntatis si verè loquamur: nam quando intellectus credit determinatus à voluntate, licèt eliciat actum fidei, non dicitur sedeterminare ad illum, sed à voluntate determinari, quia actio agentis non habet rationem determinationis, nisi quando est à principio nondum determinato, sicut enim voluntas in patria non dicitur propriè determinare se ad amandum Deum, quia ex vi obiecti præsentis, & pondere connaturali charitatis determinatur.

5. Confirmatur ex PP. loca illa Scripturæ exponentibus. *Damascen.*

Accedit quòd nullus Patrum ita intellexit illa testimonia, vt non sit in hominis potestate proxima determinatio, vel, (quod idem est) electio, sed solum media prædeterminatione diuina; imò multi illorum docuerunt talem prædeterminationem propriam determinationem, & electionem hominis auferre. Et hac ratione dicit Damascenus lib. 2. de fide c. 30. Deum præscire ea, quæ in nostra potestate sita sunt, non autem præfinire, & rationem indicans, subiungit: *necenim virtuti vim affert.* & similia habet Dialog. contra Manich. non longè à fine. Et licèt D. Thom. 1. p. q. 23. art. 5. ad 5. & lib. 3. contra gent. cap. 90. exponat Damascenum loqui de prædestinatione necessitante voluntatem, hoc non euertit vim testimonij, sed confirmat. Supponit ergo D. Thom. aliquam præfinitionem diuinam

D. Thom.

posse necessitatem inferre voluntati; hoc autem nulla magis facere potest, quàm prædeterminatio physica, vt in Prolegom. primo tactum est, & lib. 5. latiùs ostendemus. Ideoque ad excludendam hanc præuiam determinationem ab extrinseco

Anselmus.

præuenientem, dixit Anselm. lib. de Concord. in 1. eius parte circa finem. *Sola voluntas determinat ibi.* id est, *cùm eligit, quid teneat*, nam illa particula *sola*, non excludit cooperationem Dei, sed excludit, vt ipse ait, necessitatem determinationis ab alio; sic enim dixerat, *Licèt necesse sit, aut rectitudinem relinquere, nulla tamen necessitas determinat, quam seruet, aut deserat.* Et infrà, *Nec aliquid facit vis necessitatis, vbi operatur sola electio voluntatis*, vbi expendo illa verba, *nulla necessitas determinat.* Nam si determinatio fit à solo Deo in voluntate, profectò necessariò fit respectu voluntatis recipientis, ergo necessitas aliqua determinat voluntatem, quod est contra Anselm. Cùm ergo ait solam voluntatem se determinare, vel solam eligere, excludit omnem vim, & efficaciam, quæ ex necessitate faciat determinationem in voluntate: sentit enim determinationem non posse esse necessariam, & electionem liberam, neque posse electionem esse ab intrinseca potestate, si determinatio sit ab extrinseca efficacitate. His cõcordat

Hieronym.

Hieronymus in epist. 146. ad Damascenum de filio prodigo, vbi dicit, *Deum dedisse homini libertatem, vt viueret vnusquisque, non ex imperio Dei, sed obsequio suo.* Imperium enim Dei nihil aliud est, quàm efficax eius motio, vel effectio; sentit autem Hieronymus tale imperium Dei inferre necessitatem, & ideo subdit, id est, *non ex necessitate, sed ex voluntate.*

6. Alia PP. testimonia. *Iustinus.*

Atque in eandem sententiam Iustinus q. 9. ad Christianos, sic ait. Ad quæ voluntas nos impellit eorum causa, vel corona donamur, vel afficimur supplicio. vbi verbum *impellit*, determinationem ab ipsamet voluntate suo nutu progredientem significat, & adiungit, *Deus enim nobis facultates dedit ad agendum, sed eas libertati voluntatis iudicioque iubent.* Nec ergo dat prædeterminationem, quæ sit principium agendi, & libertati subiecta non sit. Et quòd talis modus gubernandi voluntatem, eius naturali libertati accommodatus non sit, colligi potest ex his quæ subiungit, dicens; *Ad propositum, & voluntatem eius habet Deus gubernandi eas facultates, quæ in nobis suos habent appetitus, non ad naturam.* quasi dicat ad prouidentiam Dei spectare, ita illas gubernare, vt semper in potestate voluntatis motio, vel determinatio relinquatur. Cui consonat illud Augustin. lib. 7. de ciuit. cap. 30. *Sic administrat Deus omnia, quæ creauit, vt etiam ipsis propriosagere motus sinat.* Et ideo aliis locis etiam de voluntate, quomodocumque præuenta, ait, consentire, & dissentire, propriæ voluntatis esse, de spirit. & liter. cap. 34. lib. 83. quæstion. q. 68. ad Simplicianum q. 2. & epist. 54. Sed de Augustini sententia latius in sequentibus.

Augst.

Præterea ob hanc causam Græci interdum condistinguunt opera prouidentiæ ab operibus liberi arbitrij: nam quòd hæc opera humana non cadant sub prouidentiam Dei, contrarium enim est certissimum, & ab eisdem Patribus sæpe traditur, sed quòd per quandam adæquationem (vt sic dicam) vel per antonomasiam illa dicant euenire ex prouidentia diuina, quæ ex sola illa eueniunt, & ad vnum determinantur: opera autem libera aliud genus altius habeant prouidentiæ, quia non absolutè ex sola prouidentia ad extra determinantur, sed cum tali respectu ad liberum arbitrium, vt illorum determinatio in arbitrij potestate simpliciter constituatur. Ita sentit Theodoretus in Epitome diuinor. decretor. c. de prouident. Nemesi. lib. de Natur. homin. in vltimus capitibus, citatur etiam Nicenus in Philosoph. lib. 7. c. 1. lib. 8. c. vlt. licèt inter opera Niceni nondum hoc inuenerim. Melius hoc explicuit Dionys. in cap. 4. de diuinis nominibus sub finem, vt prouidentia cuiusque naturæ est seruatrix, eis, quæ per se mouentur, (& libero aguntur arbitrio,) prouidet, omnibusque & singulis propriè, vt omnium singulorumque natura capit. Ex quibus verbis colligimus, quia liberum arbitrium natura sua postulat per se moueri se determinando liberè ad alterutram partem, ex vi concursus diuini, non priuari hoc modo agendi, neque ad diuinam prouidentiam id pertinere, quod tamen fieret si voluntas per concursum prænium prædeterminaretur. Et eodem dixit lib. de Cœlesti Hierarch. cap. 9. *Neque coactam habemus vitam, neque liberi arbitrij gratia diuinitus indulta mortalibus, prouidentiæ diuinæ luce & splendore obtundatur.* Nam certè non video quomodo magis possit libertas arbitrij obtundi per diuinam prouidentiam, quàm si in omnibus, & singulis actibus suis extrinseca prædeterminatione, ex vi eiusdem generalis prouidentiæ diceretur.

Nemes. Nicenus. Dionys.

His addi potest Tertullianus lib. 2. contra Marcionist. cap. 5. vbi ita exponit locum Ecclesiastici, quod prosequitur in cap. 6. & in cap. 7. declarat Deum non impedire vsum libertatis præueniendo, vel impediendo vsum eius. Et in hoc sensu ait; eo ipso, quòd Deus homini concessit libertatem arbitrij, & potestatem non se interponere, vtique præmouendo, & tollendo indifferentiam, in hoc sensu dicit. *Igitur consequens erat vt Deus secederet à libertate semel concessa hominis, id est, contineret in semetipso & præscientiam, & potentiam suam, per quas interceptisse potuisset, si enim interceptisset, rescidisset arbitrij libertatem.* Quod sanè de nulla interceptione (vt ille loquitur) verius, & prius

Tertull. dictum

priùs intelligi potest, quàm de efficaci motione, qua Deus contineret voluntatem Adæ, ne tentationi consentiret, de hac enim re ibi loquitur: in lib. autem de exhortatione ad castitat. cap. 2. similem doctrinam habet de motione ad voluntatem malam, quem locum latè tractabo in cap. 46. nunc solùm aduerto eodem modo exponere ibi verba Ecclesiastici, & inde inferre, *Et ideo non debemus, quod nostro expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem*, vtique efficaciter præmouentem, & voluntatem nostram determinantem, agit enim contra omnes qui de omni nostra volitione hoc asserebant.

9. Chrysostomi locus.

Est denique valdè notanda sententia Chrysostomi Homil. 11. in Ioannem, vbi etiam respectu diuinæ voluntatis discrimen constituit inter naturalia agentia, & libera. Nam corporis natura (inquit) quocumque ipsam opifex ducere velit, eò sequitur, neque resistit: anima autem sui iuris, vim in se habet operandi, neque vlla in re Deo nisi velit, obtemperat. Aliàs, vt postea subdit, *opera non essent virtute animæ adscribenda.* Vnde concludit. *Sed sponte sua bona sit, & sibi virtutem complectendam persuadeat oportet.* His testimoniis coniungi debent, quæ de concursu ad actum peccati loquuntur, quæ cap. 46 asseremus, præter alia, quæ de operibus gratiæ postea suis locis dicturi sumus. Ad quæ omnia nihil video hactenus responsum, præter illud vnicum, quòd Patres solùm intendebant liberum arbitrium defendere aduersùs eos, qui dicebant Deum prouidentia illi necessitatem inferre. Sed hoc certè non satisfacit, vt iam insinuaui, tum quia vix potest distingui illa prædeterminatio physica à necessitate, vt probatum est, & latiùs in lib. 5. ostenditur, tum etiam, quia ad excludendam illa necessitatem declarant Patres ius, vim, & potestatem, quam voluntas habet, vt immediatè se determinet, nullo intercedente impulsu ipsi voluntati aliunde immisso, qui talem in eo efficaciam habeat, vt eius indifferentiam, & indeterminationem ab eius potestate auferat priùs natura, quàm velit aliquid, aut eligat. Intellexerunt enim determinationem hanc cum inderminatione indita voluntati, repugnare, & Deum si ad vnum voluntatem prædeterminaret, vna via auferre quod alia dederat, vt Tertullianus eleganter ponderauit.

10. Nihil in Scriptura aut PP. ae cessitatem diuinæ præ motionis ad omnes actus liberos significet.

Addo denique, neque in Scriptura, neque in Patribus aliquid inueniri, quod necessitatem illius præuiæ motionis ad omnes actus voluntatis indicet. De Scriptura id probamus, quia vel id tradit per generales locutiones, quibus docet Deum operari omnia opera nostra, & causarum secundarum vel per speciales, quibus tradit, Deum mouere corda hominum, & ducere, quò vult. At priora solùm probant concursum simultaneum, & cooperationem Dei, vt suprà probaui: posteriora autem ad summum probant Deum præmouere corda hominum, non tamen probant illam præmotionem esse ad omnes & singulos actus voluntatis necessariam, multóque minus probant illam præmotionem esse physicam prædeterminationem, vt etiam suprà probatum est. Neque aliquis locus ex Scriptura, vbi significetur, hactenus productus est, nec puto posse proferi, vt iterum ostendam tractando de auxilio gratiæ efficacis. Nam si ad aliquos actus Scriptura postularet illam physicam præmotionem determinantem, maximè ad actus supernaturales, sed de illis nihil huiusmodi dicet, vt infrà videbimus, ergo multo minus de reliquis. Idemque possumus de sanctis Patribus dicere; quia verò ex illis aliqua obiiciuntur, quæ non sunt peculiaria gratiæ, sed in vniuersum de diuina prouidentia, & operibus eius, quatenus ab efficacia diuinæ voluntatis procedunt, ideo de illis aliquid dicere cogimur, id tamen commodiùs in cap. 47. præstabimus.

Caput XLIV.

Authoritate D. Thomæ, & aliquorum posteriorum Theologorum eadem doctrina confirmatur.

1. Status quæstionis.

IN superioribus ostendimus concursum generalem Dei, prout datur causis secundis naturaliter agentibus, & consequenter, vt essentialiter postulatur à causa iuxta D. Thomæ doctrinam, vnicum tantùm esse, ac proinde esse cooperantem in actione causæ secundæ inclusum, & non præuium receptum in causa, ex quo principio apertè sequitur (iuxta eamdem D. Thomæ doctrinam, voluntatem ex ratione causæ secundæ, quam habet, communi aliis causis creatis alium concursum non postulare, & ita potest hæc pars probari locis suprà allegatis, & 1. 2. qu. 109. in quibus non aliam motionem causæ primæ per se requirit ad opera voluntatis liberæ ordinis naturalis, nisi eam quæ aliis causis secundis necessaria est, quæ est motio cooperatiua, vt cum antiquis Thomistis, & multis modernis declarauimus. Superest, vt aliis eiusdem Doctoris sancti testimoniis voluntatem creatam etiam propter indifferentiam, quam naturaliter habet, non indigere concursu efficaciter, ac physicè illam prædeterminante; imò potius propter indifferentiam suam naturaliter postulare, ne tali modo præmoueatur.

2. Locus ex 1. 2 q. 9. art. 4. & 6.

Probamus autem hoc primò ex 1. 2. quæst. 9. art. 4. & 6. nam in priori interrogat, an voluntas moueatur ab aliquo exteriori principio, in posteriori verò an ille motor sit solus Deus, qui locus videbatur aptissimus ad tradendam doctrinam illam de necessitate huius præuiæ motionis ob indifferentiam voluntatis, si illam testatam, & declaratam nobis relinquere voluisset: nihil autem minus in vtroque articulo fecit. nam in 4. non ad omnem actum voluntatis, sed solùm ad primum motum, eius scilicet, quo tendit in finem, requirit præmotionem exttinseci motoris: pro cæteris autem negat illam, affirmatque in aliis actibus voluntatem mouere seipsam in quantum per hoc, quod vult finem, reducit seipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem. Ex qua doctrina colligimus in primis D. Thomam non postulare præuiam motionem, vt necessariam ex vi concursus generalis, aliàs deberent illum ad omnem actionem postulare. Deinde colligimus non postulare illam propter indeterminationem voluntatis, nam etiam post intentionem finis est indeterminata voluntas ad eligẽdum hoc, vel illud medium, nam liberè, vt cum indifferentia eligit, & nihilominus in hac electione ait D. Thomas non indigere voluntatem exteriori præmouẽte, nedum prædeterminante, sed ipsam reducere se ad volendum tale medium. Quid est autem reducere se, nisi determinare se? Idemque confirmatur in solut. ad 3. solùm est obscurum in illo articulo, quo sensu D. Thomas dicat voluntatem moueri ab alio in primo motu suo, quod ad præsentem causam non multum refert; nobis enim satis est quòd illa motio, qualiscumque sit, neque postulatur propter indeterminationem voluntatis liberę, neque etiam quia ad generalem coucursum pertineat: sic enim ad omnes actus voluntatis esset necessaria, satisque verba D. Thomæ declarant, illam motionem non

esse

esse concursum præuium, aut simultaneum, nam vocat illam *instinctum alicuius exterioris mouentis*. Vt tamen integrè Lectori satisfaciamus, paulò inferiùs modum illum dissoluemus.

5. Explicatur 6. art. q. citatæ.

Secundò probatur hoc amplius ex sexto articulo, in quo non tam probat D. Thomas voluntatem posse moueri à Deo, quàm non posse moueri ab alio intrinseco principio; vnde ibi non ponit nouam motionem ex parte rei necessariam, sed illam quam dixerat esse necessariam ad primum voluntatis actum, probat non posse esse nisi à Deo, quia solus ipse est causa efficiens voluntatis, & solùm est vniuersale bonum, quod respicit voluntas. Ex qua doctrina solùm habetur, motionem illam quam ab extrinseco agente postulat voluntas, ex parte sua esse à solo Deo: qualis autem illa motio sit, inde non habetur, potestque optimè articulis ille intelligi de motione cooperatiua, quam probat prima ratio, quia potentia solùm ab illa causa pendet essentialiter in sua operatione, à qua pendet in suo esse, & esse. Vel etiam posset intelligi de motione remota per inclinationem naturalem datam ab authore naturæ, quam secunda ratio probat. Sed quia doctrina illius articuli videtur referri ad doctrinam articuli quarti, magis inferiùs explicabitur. Nunc satis nobis sit in toto illo discursu nihil D. Thomam dicere, nec insinuare de præuio concursu præmouente voluntatem, determinando illam; cùm tamen, vt dixi, ad illum maximè locum pertinuisse videatur. Verumtamen in solut. ad 3. apertè excludit necessitatem illius præmotionis, dicens, Deus mouet voluntatem sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem se determinat ad ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum: & inde addit exceptionem de motibus gratiæ, quam infrà de illa tractanda expendemus. Nunc ex his verbis solum haberi volumus ex D. Thomæ sententia voluntatem ex se de indifferentem non semper indigere extrinseco determinante, sed illam se determinare in multis actibus, ac subinde illam prædeterminationem non esse necessariam potentiæ liberæ ex vi generalis concursus, quidquid sit si in alio titulo interdū detur, & quomodo tunc intelligēda sit, quod postea videbimus.

4. Confirmatur tradita explicatio.

Et confirmatur hoc argumentum ad hominem, contra eos, qui ex hoc loco colligunt in operibus gratiæ Deum prædeterminare physicè hominis voluntatem: nam cùm D. Thomas negat in aliis actionibus humanis dari voluntati talem determinationem, siue ad bonum, siue ad malum determinetur, rectè concluditur illam prædeterminationem non esse per se necessariam, nec ex vi generalis concursus. Et quamuis verius sit, cùm dicit, *Deum mouere interdum aliquos ad aliquid determinare volendum, quod est bonum, sicut in his mouet per gratiam*, non loqui de motione determinante, sed excitante voluntatem, vt lib. 5. dicemus, nihilominus in prioribus quæ allegauimus, simul ait, & hanc Dei motionem non esse per se necessariam in aliis electionibus, & voluntatem, se mouendo per rationem, se etiam determinare, vtique sine motione prædeterminante, aliàs nec satisfaceret argumento, nec declararet quomodo voluntas se possit determinare, cùm de se indeterminata sit. Denique in quæst. 3. de Malo art. 3. ad 5. hoc expressis verbis declarat, & soluit fundamentum contrariæ sententiæ, quoad hanc partem; sic enim in argumento obiecerat. *Omne quod se habet ad vtrumlibet, indiget aliquo determinante, ad hoc quod exeat in actum, sed liberum arbitrium hominis ad vtrumlibet se habet; ergo. Respondet autem dicendum, quòd voluntas cùm sit ad vtrumlibet, per aliquid determinatur ad vnum, nec oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecum.*

Tertiò hæc sententia D. Thomæ valde confirmatur ex aliis verbis eius in 12. quæst. 80. art. 1. vbi in corpore dicit Deum non inclinare voluntatem ad actum peccati, quod in capite sequenti latiùs ponderabimus. Et in solut. ad 3. sic ait. *Deus est vniuersale principium omnis interioris motus humani, sed quòd determinetur ad malum consilium voluntas, hoc directè quidem est ex voluntate humana, & è Diabolo per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis.* Ex quibus verbis considerata simul doctrina articuli, apertè constat D. Thomam non tribuere Deo determinationem voluntatis ad talem particularem actum directè, vel indirectè, sed voluntas directè, & dæmoni indirectè, & sufficienter, quamuis Deo tribua illum motum voluntatis tamquam vniuersali principio omnis motus voluntatis concurrenti vtique cum illa. Vnde constat secundum D. Thomam posse Deum concurrere ad aliquem motum, vt vniuersale principium, & nihilominus non inclinare directè ad illum; & à fortiori nec determinare: nam plus est determinare, quàm inclinare. Item constat voluntatem de se indifferentem non indigere prædeterminatore, vt ad alteram partem determinet, nam ad malos actus ipsa sola se determinat, quamuis non sine generali concursu primæ causæ: & eadem ratione idem potest facere in nobis, per se loquendo; vt in priori loco D. Thomas testatus est.

Locus ex 1. 2. q. 9. art. 6.

Quartò est aliud notandum eiusdem Doctoris sancti testimonium in 1. 2. quæst. 10. art. 4. vbi etiam ex professo tractat quæstionem de modo, quo Deus mouet voluntatem, & ad explicandum non mouere ei necessitatem imponendo sumit illud principium Dionysij c. præcedenti à nobis tractatum. Ad prouidentiam Dei non pertinet naturas rerum corrumpere, sed seruare. Vnde sub infert in fine corporis articuli. *Quia igitur voluntas est actuum principium non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa: sic Deus ipsam mouet, quod non ex necessitate ad vnum determinat, sed manet motus eius contingens, & non necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter mouetur.* At verò quod mirabile est, etiam hunc locum contra nos obiiciunt alij auctores: nam quia D. Thomas non dixit absolutè non ad vnum determinat, sed non ex necessitate ad vnam determinat: aiunt insinuasse Deum quidem determinare ad vnum voluntatem, sed non ex necessitate. Vnde distinguunt duplicem determinationem voluntatis, vnam ex necessitate, & aliam sine illa: & priorem negare D. Thomam, hanc verò posteriorem supponere docent. Verum distinctionem hanc de duplici prædeterminatione voluntatis ad vnum ab extrinseco agente, quæ in hoc quidem conueniant, vt vtraque ita determinet voluntatem ad vnum actum & exercitium eius, & voluntas non possit ei resistere, & nihilominus differant, quia vna infert necessitatē, & non alia. Hanc (inquam) distinctionem numquā D. Thomas insinuauit, sed potius multa docuit, quæ illam euertunt, vt ex aliis locis statim allegandis constabit; & nos nec explicari posse arbitramur, nec consistere, vt in lib. 5. latiùs ostendam. Et ideo longè probabilius credimus illa duo verba posita esse à D. Thoma, vt num per aliud explicaret. Nam quia quæritur an Deus ex necessitate moueat voluntatem, & in propriis terminis respondeat quæsito, dixit, Deum mouere voluntatem, non tamen ex necessitate: vt verò explicaret quid sit non mouere ex necessitate, addit non ad vnum determinum, & vt id magis explicaret, addit, sic Deum mouere voluntatem vt motus eius maneat constringens, non obstante motione Dei, quod sanè in præuio concursu intelligi non potest, si ille

si ille talis est vt impossibile omnino sit illo posito actum voluntatis non sequi, vt ipsi dicunt.

Quintò præcedens testimonium, eius expositio ex alio simili eiusdem sancti Doctoris confirmatur: nam in quæst. 7. de potent. art. 7. ad 13. obiecerat non posse esse actum in dominio voluntatis humanæ, si absque Dei operatione fieri non possit, cùm voluntas humana non sit domina diuinæ operationis, & respondit. *Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia non ita agit in voluntatem, vt illam ex necessitate ad vnum determinet, sicut determinat naturam*; vt autem declaret tunc voluntatem non ex necessitate determinari ad vnum quando physicè prædeterminatur, subiungit. *Et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis.* quod profectò non esset verum, si per actionem Dei, voluntas hominum prædeterminaretur physicè ad vnum, licèt non ex necessitate, vt illi Doctores distinguunt. nam quocumq; modo illi imprimatur determinatio ab alio, non relinquitur in eius potestate. Nam determinationē relinqui in potestate hominis, non est tantùm posse actum determinatum producere, hoc enim modo etiam determinari ad calefactionem est in potestate ignis, quia potest illam actionem in particulari efficere. Cùm ergo dicitur determinatio relinqui in potestate non tantùm physica, sed etiam morali, & denominatiua, qua potest ad hoc vel illud determinari, quomodo dixit Augustinus illud esse in potestate nostra, quòd si volumus facimus, si non volumus, non facimus. Hoc autem modo nō relinquitur determinatio in potestate voluntatis physicæ prædeterminatæ, cum nullo modo possit vel aliam actionem facere præter illam, aliquam prædeterminata est, vel illammet non efficere, cùm non possit prædeterminationi resistere.

Eandemq; expositionem confirmant egregiè verba D. Thomæ in quæst. 6. de Malo art. vnic. in corp. vbi cùm dixisset Deum mouere voluntatem ad primum eius actum, ita id declarat. Deus mouet voluntatem secundùm eius conditionem, non ex necessitate, sed vt indeterminatè sese habentem ad multa. Vbi nunc solùm considero illa duo tamquā immediatè se habentia, ponere, mouere non vt ex necessitate, sed vt indeterminatè se habentem, id est, relinquendo indeterminatam potentiam motam, saltem quoad exercitium. Et ideò statim infert. Potest ergo quòd si consideretur motus voluntatis ex parte exercitij actus, non mouetur ex necessitate, vtique quia semper mouetur, vt indeterminatè se habens; ergo è contrario si moueatur ita vt determinetur ad exercitium, ex necessitate mouebitur. Atque ita semper D. Thomas illa ponit vt conuertibilia moueri determinatè, vtique efficienter ad exercitium, & moueri ex necessitate. Et è conuerso indifferentiam libertatis opponit determinationi ad vnum, vt quæst. 22. de verit. art. ad 3. posterioris ordinis, vbi ait voluntatem vt rationalem si habere ad oppositā, naturam verè determinari ad vnum.

Sextò quòd voluntas ratione suæ indifferentiæ non solùm non postulet prædeterminationem, sed potiùs postulet non habere determinationem ab alio, apertè docuit D. Thomas in 2. dist. 25. art. 1. in corpor. vbi sic inquit. *Iudicium de actione propria est solùm in habentibus intellectum, quàsi in potestate eorum constitutum sit eligere hanc actionem, vel illam, vnde dominum, sui actus habere dicuntur, & propter hoc in solis intellectum habentibus liberum arbitrium inuenitur, non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed quibusdam aliis causis prioribus.* Vbi duo expendo. Vnum est D. Thomam agentia illa reputare libera habere in potestate sua electionem actionum suarum: postea explicat per indeterminationem suarum actionum. Vnde sicut electio non potest esse ab intrinseco agente, ita neque determinatio. Aliud est D. Thomam ibi apertè sentire, determinari à prioribus causis pertinere ad agentia non libera, quæ vel ab authore naturæ determinata sunt ad vnum, vel si aliquam imperfectam indeterminationem habeant determinatur ab aliis causis, vel materialibus, vel efficientibus: proprium autem esse agentium liberorum non prædeterminari ab alio, sed à seipso. Et inde in solut. ad 1. concludit, Deum esse liberum, quod se ad opera sua determinat: vnde ad dominium actus manifestè requirit quod determinatio actus non sit ab alio, sed à seipso. Quod in solutione ad 3. his verbis apertissimè declarat. *Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in vnoquoque secundum eius conditionem*; vnde in rebus naturalibus operatur, sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem. *In libero autem arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat, sed tamen determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constituitur: vnde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut primo agenti.* vbi maximè notanda sunt illa verba, *In libero arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agendi sibi ministret; & ipso operante liberum arbitrium agat.* Nam hæc verba generalia valde sunt, & omnia auxilia gratiæ, non tantùm cooperantis, sed etiam operantis comprehendere possunt, & nihilominus generaliter etiam, & sine limitatione ait D. Thom. non obstante hac Dei operatione determinationem actionis in potestate liberi arbitrij constitui.

Septimò in eodem libro d. 28. art. 1. generatim pronuntiat. *Non esset homo liberi arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret.* & q. 22. de verit. art. 6. ad 1. dicit animam habere esse determinatum ab alio, *sed ipsa* (inquit) *determinat sibi suum velle, & ideo quamuis esse sit immutabile, tamen velle indeterminatum est, ac per hoc in diuersa flexibile.* Tantum ergo abest, vt senserit D. Thom. voluntatem, quia ex natura sua non est determiata ad vnam, sed indifferens non posse seipsam ad vnam actionem determinare, vt potiùs affirmet, ideo per illam indifferentiam potestatis constitui voluntatem liberam, quia ad eam determinatio sui actus pertinet; ergo vt eandem libertatem in vsu conseruet, non debet prius illo iure se determinandi priuari; hoc enim, & libero vsui & proprietati talis potentiæ repugnat. Vnde inferius addit liberum arbitrium supposita facultate naturali, vel gratuita, iuxta varietatem actuum per se posse ad quosliber determinari, statim vero declarans particulam *per se*, addit. *Ita quòd non excludit diuinam causalitatem, secundum quòd Deus in omnibus operatur vt vniuersalis causa bona*; iuxta illud Isai. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*; sed excludit habitum aliquem creatum naturalibus superadditum, vbi solum simultaneum concursum requirit ad talem determinationem, quia (vt suprà visum est,) ex vi illorum verborum tantùm concomitans significatur: neque alio titulo postulatur à D. Thoma ad determinationem liberæ voluntatis, quàm ad omnes alias actiones causarum secundarum. Quod autem D. Thom. solùm dixerit per illam particulam excludi habitum creatum, existimo inde ortum esse, quod ex necessitate habitus gratiæ specialiter tractabat, & illius necessitatem non ponebat in prædeterminatione, sed in eleuatione potentiæ ad altiorem modum operandi. Vnde in omni genere liberarum operationum supponit determinationem esse à voluntate cum concursu simultaneo proportionato, &, vt opinor, de virtute operatiua

media

7. Locus ex q. 7. de potentia art. 7. ad 13.

8. q. 6. de malo art. vnic. confirmat locum superiorem.

9. Locus in 2. d. 25. art. 1.

10. Locus in 2. dist. 28. art. 1. & q. 22. de verit. art. 6. ad 1.

media inter habitum, & operationem, & distincta à concursu simultaneo ne cogitauit quidem.

11. Locus ex q. 2. de verit. art. 14. ad 5.

Octauò addere possumus alium D. Thomæ locum in q. 2. de verit. art. 14. ad 5. ex quo colligunt Thomistæ, quòd licèt causa prima ageret ex necessitate naturæ, nihilominus homo ageret liberè, vt videre licet in Caietano 1. p. q. 14. art. 13. & q. 19. art. 8. Ferrar. lib. 3. contra gent. c. 67. circa rationem 5. quos etiam moderni nonnulli sequuti sunt; quamuis alij contradicant. Sed quidquid sit de illa absoluta controuersia, quæ in multiplici sensu tractari potest, & vanè de illa iudicari, vt in Metaphysica dixi, loquendo tamen solùm ex duplici suppositione, scilicet, quòd non obstante modo agendi primæ causæ, voluntas hominis haberet eandem potestatem intrinsecam agendi, quam non habet, & quòd Deus non maiorem concursum, vel influxum illi præberet, quàm nunc conferat. His (inquam positis verissimè diciter actum voluntatis futurum fuisse liberum, etiamsi voluntas diuina ex necessitate produxisset omnia, & præberet concursum, quem modo præbet, quia tunc non magis necessitaret voluntatem, quàm nunc necessitet, quia non plus ageret in illam, quàm modò agit, vt supponitur, neque ex voluntate magis efficaci, licèt magis determinata ex parte Dei, quod nihil refert ad mutandum connaturalem modum agendi causæ secundæ, si in effectum, vel actionem, vel potentiam eius, nihil magis influat. Et in hoc sensu rectè sumitur hæc sententia ex citato loco D. Thomæ de verit. quatenus dicit, *quia ad esse effectus requiritur causa prima, & secunda, ideo quacunque illarum ponatur contingens, potest esse contingens, non si altera tantùm sit necessaria, effectus erit necessarius, propter hoc quod ad esse effectus vtraque causa requiritur.* Et quia obiiciebatur causam primam vehementius influere, quàm secundam, respondet, hoc nihil obstare quominus ex modo agendi causæ secundæ sit defectibilitas, aut contingentia in effectu. Et similiter in dicto cap. 67. lib. 1. contra gent. ration. 5. dicit, si causa proxima sit contingens, effectum esse contingentem, etiamsi remota necessaria sit. Idemque repetit lib. 3. cap. 83. ration. 2. dicens, à causa remota necessariò agente non sequi effectum necessarium, si causa proxima sit contingens.

Ferrar.

12. Ex loco citato colligitur veritas assertionis.

Ex hoc ergo principio adeò recepto in schola D. Thomæ colligimus illum non posuisse in voluntate liberè operante concursum præuium, & prædeterminationem à prima causa in ea productam, quia cùm tali concursu prouio omnibus modis esset impossibile intelligere contingentiam in actu voluntatis creatæ, si causa prima ex necessitate naturæ ageret. Probatur, quia tunc talis actus non haberet contingentiam, vel indifferentiam à causa prima, quia ipsa ex necessitate naturæ daret illum impulsum causæ secundæ, neq; etiam haberet contingentiam ab ipsomet impulsu, quia illa etiam mouere dicitur tanta necessitate sibi intrinseca, vt nec Deus ipse possit impedire, quominus illo posito non sequatur effectus eius; & consequenter nec à voluntate creata posset actus habere contingentiam, cùm illa non moueatur, nisi effecta illo impulsu, nec possit illi resistere quominus illi cooperetur: impossibile ergo esset intelligere libertatem in tali actu, quia nullum haberet principium, vnde illam participare potuisset: actus autem non determinatur liberè nisi per habitudinem ad principium, seu causam aliquam à qua procedit. Ergo vt possit saluari libertas actus humani in eo casu, quòd Deus ex necessitate naturæ ageret, necessarium est dicere, tunc Deum non fuisse daturum voluntati concursum prouium, quo illam ad vnum determinaret; ergo idem maiori ratione dicendum nunc est. Vel certè si tunc Deus per eundem illum concursum, quem nunc dat, necessitaret humanam voluntatem, etiam nunc necessitabit illam. Nam quòd ille concursus prævius prædeterminans procedat à Deo naturaliter, vel liberè conferet quidem, vt respectu Dei effectus quem ad extra facit, sit illi liber, vel necessarius tamen respectu hominis nō erit actus ipsi liber si motio Dei est de se efficax ad determinandam voluntatem hominis ad vnum, & efficiens ad necessitandam illam, si à Deo ex necessitate naturæ fieret.

His tamen accedit, quòd cùm hæc testimonia sint satis vrgentia, & ferè expressa, & in eis D. Thomas in particulari, & specificè de determinatione, & indeterminatione voluntatis loquatur, nullum in contrarium affertur, in quo vel punctum in contrarium attingat, vel in particulari aliquid pro præuia determinatione, seu prædeterminatione voluntatis dicat, sed afferuntur solùm variæ generales locutiones, quæ ad præuiam illam motionem accommodantur, cùm verba D. Thomæ generalia sint, & facilè possint de aliis motionibus intelligi, & sæpe ab eodem D. Thomæ in aliis locis ita exponantur. quod breui discursu ostendam attingendo solùm ea loca, quę communia sunt omnibus actibus liberis voluntatis, nam quæ pertinent ad actus supernaturales, & auxilium efficax ad illos necessarium, in librum 5. reseruo. Deinde ex prioribus locis omitto etiam illa, quæ omnibus causis secundis etiam naturalibus communia sunt: nam de his satis dictum iam est. Et huc spectant omnia, quæ de necessitate auxilij, seu motionis primi mouentis tradit D. Thomas 1. 2. q. 109. per totam, & 1. p. q. 205. art. 5. Nam in superioribus non solùm hæc loca exposuimus, sed etiam oppositam doctrinam ex illis deduximus, & hic applicari potest, quia etiam in voluntate solum vnicum simplicem concursum Dei ad actus liberos D. Thomas requirit, neque propter determinationem voluntatis aliam præuiam motionem in illo postulauit.

13. Testimonia aquæ grauiora in materia obiicuntur.

14. Explicatur 1. 2. q. 109.

Potest tamen quis hærere in quibusdam verbis D. Thomæ in eadem q. 105. art. 1. ad 3. sic enim ait. *Hoc ipsum quòd causa secunda determinatur ad determinatos effectus, est ab illa a Deo.* Verumtamen hæc verba generalia sunt de omnibus causis secundis etiam naturaliter agentibus, in quibus etiam authores fatentur non esse necessarium præuium concursum propter determinationem earum: possunt ergo illa verba per se spectata optimè intelligi ratione concursus concomitantis; nam sicut causis secundis ipsum agere est à Deo, quia non solum virtutem agendi ab illo habent, sed etiam ipsam actionem fine actuali & imediato eius influxu habere non possunt, ita determinatio ad definitos effectus, est illis à Deo, quia ab illo habent non solùm virtutem, aut ex se determinatam, aut voluntatem se determinare: sed etiam determinationem ipsam in actu secundo fine actuali eius influxu habere non possunt, quia quatenus illa determinatio aliquid est, à causa secunda fieri non potest fine actuali, & cooperante influxu Dei. quæ doctrina est quidem in se verissima, illi tamen loco non necessaria, quia si attentè consideretur, non loquitur ibi D. Thomas de causis secundis, sed de naturalibus, quę possunt materiam ad determinatam formam immutare. Quærit enim ibi an Deus possit se solo id facere, & obiecerat non posse, quia determinatio effectus pendet ex causa determinata. Et respondet Deum non pendere in hac determinatione à causa secunda, quia ipse præbuit determinatas formas causis secundis, & determinationem earum, vnde optimè poterit fine illis immutare materiam ad determinatam formam prout voluerit, quia nimirum in illo eminenter exstitit tota virtus causarum secundarum. Vnde constat etiam quod causas secundas natu-

naturaliter agentes non tractare D. Thomam, de determinatione addita, vel addenda per concursum Dei, sed de illa, quam habent ex naturali virtute, & conditione suarum formarum, nam illa etiam à Deo habet, vt constat.

5. Explicatur 2.1. ad 2. q. 82. Omissis ergo his, quæ generalia sunt omnibus causis secundis, attingemus aliqua, quæ de modo operandi Dei in causis liberis D. Thomas interdum docet. Et quoniam in fundamento contrariæ sententiæ duo testimonia D. Thom. quibus iuniores maximè nituntur, adduximus, illis respondendo in c. 46. satisfaciemus. Vltra illa verò allegatur in 1. p. q. 83. art. 1. ad 2. vbi exponens verba Pauli ad Rom. 9. *Non est volentis*, &c. ait non esse dicta, quia homo non velit libero arbitrio, sed quia ad id non sufficit, nisi *iuuetur, & moueatur a Deo*. Sed non potuit D. Thomas breuius explicare gratiam excitantem, & adiuuantem, semperque in his allegationibus continetur illa defectuosa illatio, *Deus mouet voluntatem, ergo determinat*. Simileque est argumentum, quod ex solut. ad 3. eiusdem articuli sumitur. vbi Sanctus Doctor sic inquit, *Deus est prima causa mouens, & naturales causas, & liberas, & sicut causis naturalibus mouendo eas non aufert, quin actus earum sint naturales, ita mouendo voluntarias causas, non aufert quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in eis facit, operatur enim in vnoquoque secundum eius proprietatem*. In quibus verbis volunt D. Thomam loqui de motione præuia prædeterminante, quia de illa (inquit quidem) procedebat argumentum. Sed vnde id probet, non video, nam in argum. 3. D. Thomas solum subsumpsit Deum mouere voluntatem, quod probat duobus testimoniis, Prouerb. 21. *Cor regis in manu Dei est*, &c. & Philipp. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle*, &c. In quibus non est sermo de prædeterminatione physica voluntatis, sed de excitatione, & inductione morali cum physica cooperatione, vt in lib. 5. latius exponemus. Et in ipsa solutione apertè loquitur D. Thom. de motione quam Deus exhibet omnibus causis secundis, quam esse cooperationem suprà probauimus, & hanc dicit esse in vnaquaque causa secunda modo illi accommodato, quod verissimum est, & inde nos inferimus in causa libera non esse cum antecedente determinatione ad vnum, quia hoc non est consentaneum naturæ talis causæ.

16. Confirmatur explicatio. Et si quis attentè consideret prima verba illius solutionis, intelliget Doctorem sanctum responsionem suam inchoare, nostram asserendo sententiam, argumentatus enim fuerat voluntatem moueri ab alio, & ideo non posse esse sui iuris, id est, domina sui actus, ac proinde necliberam, & ideo respondendo incipit, dicens, quòd *liberum arbitrium seipsum mouet ad agendum*. Vbi expendo non tantùm dicere liberum arbitrium agere, sed etiam se mouere ad agendum, quod certè non est aliud quàm se applicare, & se determinare ad actionem suam; si ab alio solo prædeterminaretur, moueretur quidem ad agendum, sed non se moueret ad agendum. Deinde verò respondet ad argumentum, licèt hoc modo liberum arbitrium sit dominus sui actus, non excludere superiorem Dominum à quo in motione sua pendeat, & hoc est quod ait, *Non est de necessitate libertatis, vt sit prima causa sui id, quod liberum est; nam Deus est prima causa mouens*, &c. Vt autem liberum arbitrium creatum non sit prima causa sui motus, non est necesse vt prædeterminetur ab alia, sed satis est, quod in sua prædeterminatione essentialiter pendeat à prima causa modo iam sæpe explicato. Atque eodem modo nos dicimus, vt liberum arbitrium se determinet, non oportere, vt sit prima causa suæ determinationis: nam in illa etiam à Deo pendet, tanquam à primo agente determinationem ipsam. Illa ergo solutio D. Thomæ, & nostram sententiam in prioribus verbis confirmat, & in aliis nihil repugnat, imò tacitè soluit quod friuolè obiici solet, quia si voluntas se determinat, non prius determinata erit primum principium liberum, respondet enim D. Thomas, voluntas se mouens, seu determinans ad agendum non sit prima causa, & consequenter nec primum liberum satis esse, quod à priori libero in sua determinatione pendeat.

17. Explicatur ex 1. 2. q. 6. art. 1. ad 3. Secundò affertur D. Thom. in 1. 2. q. 6. art. 1. ad 3. estque hic locus similis præcedenti, & ideo nihil illi addere oportet, sed solum verba notare. Argumentum enim fuerat non posse hominem agere voluntariè, quia qui voluntariè agit, per se agere potest, quod homini non conuenit, dicitur enim Ioan. 15. *Sine me nihil potestis agere. Responsio autem est, quòd Deus mouet hominem ad agendum, non solum sicut proponens sensui appetibile, vel sicut immutans corpus, vel etiam sicut mouens ipsam voluntatem*. vtique propriè, & effectiuè, ac physicè agendo in ipsam. quod nos etiam fatemur. Hinc verò colligunt etiam mouere concursu præuio, & prædeterminatione, quam illationem nos iterum atque iterum negamus, quia est à genere ad speciem affirmatiuè, & ex puris particularibus: mouet enim Deus, & præmouet voluntatem efficiendo physicè, & immediatè in ipsam, non per concursum præuium, sed per aliquem bonum effectum indeliberatum, non prædeterminantem illam ad consensum, sed inclinantem, & allicientem. Deinde mouet Deus voluntatem ad agendum physicè, propriè, & immediatè cooperando cum illa se mouente ad agendum sine præuia determinatione. Et de hoc modo motionis loquitur ibi apertè D. Thom. sicut illum intellexit ibi Conrad. explicans hunc locum, per alia q. 109. Et probat ex ratione, quam D. Thom. subiungit, *Quia omnis motus tam voluntatis, quàm naturæ ab ipso procedit tanquam à primo mouente*, vtique immediatè, & principaliter. quod per se, & intrinsecè verum est ratione concursus simultanei, in quo essentialiter pendet omnis motus voluntatis, vel naturæ à primo mouente, non ratione concursus præuij, quia neque per se necessarius est, neque ratione illius potest dici motus causæ secundæ pendere immediatè, & essentialiter à Deo. Vnde statim declarat eundem actum voluntarium, qui est à Deo, esse etiam necessariò à principio intrinseco; ab vtroque ergo est simul, & non prius à solo Deo, quod æquè de ipsa determinatione voluntatis procedit: aut enim dicendum est non esse voluntariam hominis, quod est valdè absurdum, aut asserendum est esse ab ipsa voluntate cooperante Deo: hæc ergo est D. Thomæ doctrina:

Conrad.

18. Explicatur ex 1. 2. q. 9. art. 4. ad 1. Tertius locus similis allegatur ex 1. 2. q. 9. art. 4. ad 1. vbi D. Thom. ait, *licet de ratione voluntarij sit, quòd principium eius sit intra, sed non oportet quod hoc principium sit primum principium non motum ab alio*. quod verissimum est ratione dependentiæ essentialis voluntatis creatæ à Deo, ratione cuius idem motus voluntarius qui est immediatè à voluntate, vt à principio proximo intrinseco, est etiam à Deo vt à primo principio extrinseco. Et ita simul voluntas mouet seipsam proximè, & mouetur à Deo primò, & principaliter, eodem vtique motu, quo seipsam mouet: etiamsi nullus aliud à solo Deo antecedat: hoc enim est per se ex vi essentialis dependentiæ necessarium, licèt aliis rationibus possit interdum Deus præmouere voluntatem absque physica prædeterminatione, vt sæpe est dictum, & D. Thomæ doctrina statim explicabitur.

19. Explicatur ex 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. Quartò additur ex eadem 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. quod D. Thomas ait. *Si Deus mouet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quòd voluntas ad illud non moueatur*,

ueatur, non tamen est impossibile simpliciter, & ideo non consequitur, quòd voluntas à Deo ex necessitate moueatur. quem locum volunt etiam iuniores intelligi de motu præuio facto in voluntate à solo Deo, & ita ex hoc loco colligunt necessitatem in sensu composito, etiamsi suppositio sit antecedens, & ex sola voluntate Dei producta non esse contrariam libertati. Sed nos in Prologom. 1. ex sententia Anselmi & eiusdem D. Thomæ ostendimus talem sensum compositum repugnare libertati, ideoque hunc locum intelligimus, de suppositione concomitante: nam, vt in prioribus testimoniis diximus, Deus dicitur mouere voluntatem eodem motu, quo ipsa se mouet, & ideo si supponatur Deus mouere voluntatem, simul supponitur voluntatem ipsam se mouere, & ideo est suppositio consequens, seu comitans, & ideo necessitas, quæ ex illa sequitur, non repugnat libertati, quia iam supponit vsum libertatis quam expositionem probamus primò, quia est propriissima, & consentanea verbis, & ad solicitatem, & facultatem doctrinæ necessaria. Secundò, quia habet consecutionem cum corpore articuli, in quo clarè D. Thom. docuerat, Deum ita mouere voluntatem, vt non determinet illam ad vnum ex necessitate, id est, ex sola extrinseca vi, sed illam contingenter, & indifferenter operari sinat, vt suprà latè declarauimus. Tertiò, quia in locis proximè allegatis, & vbique, docet D. Thom. de ratione illius motus, quo Deus mouet voluntatem, esse, vt sit à principio intrinseco, vt patet ex locis suprà citatis q. 6. & 9. Ergo dum supponit hìc Deum mouere voluntatem, supponit etiam voluntatē mouere se, & ita est suppositio comitans, seu necessitas consequens, quę res dum est, dicitur necessariò esse: & eodem modo dici potest, si voluntas se mouet, necessario illam mouet Deus, quia in suppositione illa, motio Dei includitur: idem ergo est è conuerso. Denique obiter aduerto nunquam apud D. Thom. inueniri Deum agere propriè physicè ac directè in voluntatem, nisi infundendo habitus, vel efficiendo in voluntate ipsa aliquem motum vitalem eius, omnisq; alia motio vitalis est, medio intellectu, vt ex sequenti puncto patebit. Et ita nunquam inuenio apud D. Thom. quòd Deus moueat voluntatem se solo efficiendo in illa aliquid medium inter habitum, & vitalem actum eius, qualis prædeterminatio, seu concursus præuius esse fingitur.

20. Obiicitur ex 1. 2. q. 9. art. 3. & 4.

Vltimò retorquetur contra nos doctrina D. Thomæ in dicta q. 9. 12. art. 3. & 4. quatenus in illa dicit licèt voluntas se moueat per consilium ad electionem mediorū ad primam intentionē finis non se mouere, sed à Deo moueri. Et ita in voluntate etiā defendit illud principium. *Omne quod mouetur, ab alio mouetur*, quia voluntas se mouet ad media ex intentione finis, ad ipsam verò intentionem mouetur ab alio, scilicet ab authore suo sic enim ait in eadem q. 9. art. 6. esse proprium Dei mouere voluntatem, efficiendo in illa inclinationē ad vniuersale bonū. Vbi videtur loqui de inclinatione non tantùm innata, sed etiam vitali, & actuali; & magis explicat 1. p. q. 105. art. 4. vbi eandē habet doctrinam, & addit, *Velle nihil aliud est, quam inclinatio quædam in obiectum voluntatis, quod est vniuersale bonum.* & similia habet 3. contra gent. cap. 89. ration. 6. & sæpe alias. Ex qua doctrina colligi videtur saltem ad primum actum suum indigere voluntatem diuinā motione prædeterminante.

21. Explicatur ista doctrina.

Veruntamen licèt hoc totum concederemus, inde nihil probaretur de concursu præuio prædeterminante, & essentialiter necessario ad actus voluntatis, vel propter essentialem dependentiam à prima causa, vel propter indeterminationem suum. Nam (vt suprà dicebam) etiam post intentionem finis est voluntas de se indeterminata ad media, & in omnibus actibus suis pendet à prima causa, vt à primo mouente. Quocirca etiam si demus primam finis volitionem esse peculiari modo à Deo, nam id esse propter præuiam motionem distinctam ab illa volitione prima, & prædeterminantem voluntatem ad illam. Sed quia Deus immediatè, & per se aliquo peculiari modo facit talem actum in voluntate. Vnde Capreolus dixit Deum solum efficere in voluntate primam illam volitionem finis sine concursu actiuo ipsius potentiæ, quod improbabile est, vt in Metaphys. disp. 19. sect. 7. dixi; & ideo ab omnibus reicitur: tamen ex illo etiam falsò opinandi modo colligimus non intellexisse Capreolum primam volitionem finis esse à Deo propter præuium concursum, sed quia est effectus solius Dei.

Caietanus verò licèt concedat illam volitionem esse effectiuè à voluntate, attamen necessariam est. Caietanus se quoad exercitium, & ideo tribui Deo. In quo capitulo quidem falsum dicit, nam ille actus semper est liber quoad exercitium in hac vita, vt probaui contra Caietanum, etiam ex mente D. Thomæ in dicto loco Metaphysicæ. Quod verò Caietanus addit in dicta q. 9. art. 4. illum primum actum non esse voluntarium, est expressè contra D. Thomam in eodem articulo ad 1. vbi declarat, quomodo ille actus voluntarius esse possit, licèt sit à Deo. Et alibi in locis vniuersaliter dicit de ratione actus voluntatis esse, vt sit voluntarius, & inde colligit voluntatem non posse cogi 1. parte quæst. 82. art. 1. & 1. 2. q. 6. art. 3. Ratio enim est euidens, quia ille actus est à principio intrinseco vitali, quia est effectiuè à voluntate, vt ipse Caietanus admittit, & est cum cognitione præuia, est ergo voluntarius. Denique amor Dei in patria est voluntarius, & motus primò primi nostræ voluntatis sunt voluntarij; ergo quòd ille actus necessarius esset impertinens, est ad rationem voluntarij, & ad explicandum cur dixerit D. Thomas voluntatem non se mouere in primo actu, sed moueri à Deo. Ex illa verò explicatione etiam colligimus, non sensisse Caietanum D. Thomam fuisse ita loquutum propter præuium concursum, vel prædeterminationem voluntatis, quæ possit esse simul cum libertate actus.

11. Caietani capitulo tertium.

Aliter Ferrarien. 3. contra gent. cap. 89. sentit, illam primam volitionem esse necessariam quoad specificationem, & ideo non tribui voluntati, sed authori naturæ, *quantum ad id quod habet naturalitatis, & necessitatis.* Ita enim limitat assertionem, & rationem reddit, quia licèt fiat à voluntate, non fit, vt à principali causa, sed principaliter dicit esse à Deo vt ab agente; quod ab anima verò, & voluntate, vt à forma per quam agit Deus. Et ita etiam Ferrarien. non intelligit hunc locum D. Thomæ de concursu præuio, nec de determinatione voluntatis, quæ per illum fiat, sed de illa, quæ prouenit ex naturali inclinatione voluntatis: nihilominus tamen illa expositio nec rem generaliter declarat, nec in rigore veritatem continet.

12. Ferrariensis opinio.

Primum patet, quia illa necessitas quoad specificationem ad summum reperitur in volitione Beatitudinis formalis, seu boni in communi, vt in dicto loco Metaphysicæ declarauit. At ille actus non est ex necessitate primus in omni deliberatione & negotio; frequenter enim incipimus ab intentione finis particularis, vt sanitatis, scientiæ, vel similis; imò nec oportet actum illum esse primum, quem homo veniens ad vsum rationis habere potest, vt eodem loco probauit. D. Thomas autem

13. Contra primum illius.

autem non loquitur solùm de prima volitione totius vitæ, sed de prima intentione particularis finis, in quacunque serie electionum, vt patet exemplo, quod de intentione sanitatis, & electione medicinæ, seu curationis adhibet. At in intentionibus particularibus non inuenitur necessitas quoad specificationem, vt per se patet, quia ad bona particularia etiamsi propter se intendi possint, non necessitatur voluntas etiam quoad specificationem. Vnde talis intentio potest esse peccaminosa, non solùm in vno, vel alio negotio, sed etiam in prima intentione, quam homo habet cùm primum peruenit ad vsum rationis, vt fatetur D. Thom. 1. 2. q. 89. art. 6. Ergo prima volitio non tribuitur Deo propter necessitatem quoad specificationem.

25. Altera pars expositionis Ferrariensis refutatur.

Deinde probatur altera pars, quia etiam volitio beatitudinis, vel boni in communi, licèt sit necessaria quoad specificationem, est ab homine vt ab agente quod, & vt principaliter operante, ac se mouente per virtutem propriam; nam viuentia etiamsi operentur, ex inclinatione naturali, & non moueantur ab vno actu ad alium, sed simpliciter operari incipiant, verè, & propriè dicuntur operari, vt quod tanquam causæ principales proximæ; non minus quàm ignis dicitur calefacere, sic enim planta efficit mutationem suam, & visus visionem, & sic de aliis, & ita propriè se mouent, quia hoc est de intrinseca ratione actus vitalis. Ergo idem erit in voluntate circa primam intentionem finis, vel etiam boni in communi, quia ex virtute intrinseca, & tanquam sibi propria, illum actum elicit. Nec obest quòd eadem voluntas sit principium actiuum integrum, & receptiuum illius actus, quia simul est potentia actiua, & passiua sine repugnantia, quia est in potentia receptiua ad actum secundum, & est in actu primo, non per ipsum actum secundum, sed per eminentem virtutem suam, vt argumentatur Scotus in 2. d. 37. q. 1. §. *Ideo meritò*, & patet in appetitu sensitiuo, qui non elicit vnum actum per alium, neque habet aliud principium proximum agendi præter seipsum; suppono enim cognitionem phantasiæ non currere ad actus appetitus, & nihilominus elicit actus suos in seipso: vt principalis virtus actiua proxima, & in virtute animæ, & ideo illi sunt propriè actus vitales, per quos animal se ipsum mouet, & actu viuit; ergo idem est in primo actu voluntatis.

Scotus.

26. Benigniorum interpretatio D. Thom.

Propter quod qui benigniùs interpretantur D. Thom. dicunt illum loquutum fuisse moraliter, non physicè, nam loquendo physicè, sine dubio voluntas propriè se mouet quoad exercitium actus in prima intentione finis, etiamsi sit de bono in communi, quia verè efficit illum actum propria virtute vitali, imò & determinat se ad talem actum, quia cùm posset illum continere, voluntariè illum exercet. Nihilominus tamen moraliter dicitur voluntas non se mouere in illo actu, quia non per proprium consilium, nec per priorem voluntatem se applicat, & disponit ad talem actum eliciendum, sed ab alio præuenta quoad obiecti propositionem per cogitationem non voluntariam, sed aliunde immissam statim ex aliqua propensione naturali prodit in talem actum. Vnde idem D. Thomas 1. 2. q. 17. art. 5. ad 3. dixit, primum actum voluntatis non esse imperatum à ratione, quia non est ex ordinatione rationis, sed ex instinctu naturæ, aut superioris causæ.

27. Quæ aliqui reiiciuntur.

Alius verò hoc non satisfacit, volunt enim etiam moraliter se mouere voluntatem in illo actu, quia potest esse liber quoad exercitium, & specificationem, vt dictum est: esse autem morale incipit per esse liberum; imò in eo consistit; ergo in illo actu voluntatis moraliter operatur; ergo moraliter mouet. Imò etiam sola libertas quoad exercitium ad hoc sufficit, quia illa satis est, vt actus sit humanus, moralis, ac meritorius. Confirmatur primò quia idem D. Thomas 1. 2. q. 1. art. 2. generaliter pronuntiat voluntatem se mouere in finem quia est domina illius actus, quo tendit in finem. Confirmatur secundò, quia talis intentio finis semper non potest tribui Deo, sed solum homini tanquam moraliter operanti, nam semper illa prima voluntas est peccaminosa, vel in principio vitæ rationis, vt ex D. Thoma dixi; vel frequentius in quotidianis intentionibus; nam omnia peccata incipiunt ex prauo aliqua intentione finis.

D. Thom.

Verumtamen quoad hanc partem disputatio est de modo loquendi; & diuersis sensibus vterque potest esse verus. Nam si motio moralis generaliter dicatur omnis actio libera, sine dubio dici potest homo se mouere moraliter in prima volitione finis, vt probant, quæ adduximus. Loquendo tamen rigorosius, & quasi per antonomasiam de motione morali, quasi significat discursum moralem habentem principium in aliquo affectu, & impulsu ab ipsomet homine sibi comparato; dicitur homo moraliter moueri ad media potius quàm ad finem. Vnde dixit D. Thom. q. 3. de malo, art. 3. ad 5. voluntatem cùm sit ad vtrumlibet determinari ad vnum per consilium rationis. Nec oportet (ait) hoc esse per aliquod agens *extrinsecum*. Et ad hoc magis declarandum addidi in Metaphys. disp. 19. sect. 8. in omni intentione finis quatenus libera est, includi virtualiter aliquam electionem in quantum vel hic finis particularis alteri præfertur, vel quatenus hîc vel nunc exercitium talis actus volendi præfertur carentiæ eius. Et hinc fit vt quando in tali intentione interuenit culpa, non possit tribui authori naturæ, quia defectus ille non inuenitur in illo actu, vt est pura intentio ex inclinatione naturæ, sed vt participat aliquid de electione ex applicatione liberæ voluntatis. Quod secus est, quando intentio est bona, potest enim suo modo tribui absolutè authori naturæ, non quidem vt principali agenti proximo, vt Ferrariensis insinuabat, sed vt primæ causæ danti inclinationem ad illum finem, non tantùm vt absolutè spectatum, sed etiam vt comparatum ad finem, &c.

28. Disputatio reducitur ad modum loquendi.

D. Thom.

29. Co fatetur tandem obiectio allata n. 20.

Atque hinc tandem facilè refellitur obiectio quæ contra nos sumitur ex illa doctrina D. Thomæ, ob quam clariùs expediendam hæc obiter attingere oportuit. Illa enim doctrina, quod voluntas non se mouet ad primum actum circa finem, licèt aliàs suum difficultatem habeat, non fundatur in concursu prævio, nec in speciali prædeterminatione physica, quam Deus tribuat voluntati in prima volitione, seu intentione, & instinctu alicuius causæ superioris. quæ ratio locum habet, sine intentio finis sit ex motione prædeterminante, siue non sit, vt est verius, quia nec inclinatio naturalis, nec cogitatio prævia, seu instinctus est prævius concursus prædeterminans voluntatem vt per se notum est: vnde si talis intentio, vel volitio finis sit omnino necessaria etiam quoad exercitium, vt est in patria ad illam est satis determinata voluntas per innatam inclinationem suam & charitatis, si verò sit aliquo modo libera, eo ipso includit aliquam determinationem voluntatis se applicantis ad hanc partem potius quàm ad illam per aliquale consilium formale, vel virtuale, & ideo (vt D. Thomas dixit) necesse non est illam determinationem esse ab aliquo extrinseco agente.

CAPVT XLV.

Ex concursu Dei ad actus, qui sunt peccata, peculiari ratione superior doctrina comprobatur.

1. Status quæstionis.

SVpponimus actus peccatorum, prout actus sunt non minus dependere à generali concursu physico primæ causæ, quàm actus bonos, in quo defensores vtriusque sententiæ conueniunt. Ex quo vlteriùs infertur, si ad actus malos prout actus sunt (ita enim de illis tractamus ne sit necessarium declarationem semper repetere) non est necessaria præuia motio determinans Dei, nec ad alios actus liberos ordinis saltem naturalis esse necessariam. Quam etiam illationem necesse est omnes admittere, quia si causa secunda essentialiter postulat illam præuiam motionem ex generali ratione concursus ad omnem actionem realem causæ secundæ erit necessaria, siue defectum aliunde habeat adiunctum, siue non habeat, quia defectus concomitans entitatem actionis vt procedentis à voluntate, posterius quid est, & supponit in actione entitatem participatam, & consequenter essentialiter dependentem à prima causa. Quidquid ergo fuerit de intrinseca ratione huius essentialis dependentiæ inuenietur etiam in actione peccati; & è contrario illa motio Dei, sine qua talis actus fieri non potest, non est de essentia generalis concursus in cæteris actibus. Propter quam rationem ferè omnes moderni, qui præuium influxum in causam dicunt esse de ratione essentialis dependentiæ in agendo, quam causa secunda habet à prima, consequenter fatentur Deum præmouere, & prædeterminare voluntates humanas ad actiones peccatorum. Si qui autem eorum in aliis actionibus putant illam prædeterminationem esse necessariam ex vi generalis concursus, & negant illam in actibus malis, quoad eorum realitates, profectò consequenter non loquuntur. Vnde etiam Gregorius, & Capreolus, quia motionem illam requirunt ad actus bonos, & negant in malis, negant illam pertinere ad concursum generalem, sed ad speciale auxilium gratiæ in natura lapsa necessarium ad bene operandum, de quo in lib. 1. visum est.

Gregorius. Capreolus.

2. Prima ratio ad primam motionem & prædeterminationē tollendam.

Nos autem ex contrario principio sic argumentamur. Causa prima sufficienter concurrit cum causa secunda ad actus reales peccatorum; & tamen non præmouet determinando illam ad actum peccati; ergo talis motio non est de necessitate diuini concursus generalis, etiam respectu causæ liberæ, & consequenter quantum est ex parte Dei, etiam ad actus bonos poterit libera voluntas se determinare cum solo concursu simultaneo siue prænio. Minorem in qua est difficultas latè probaui in lib. 3. de Auxiliis. Postea verò moderni scriptores de eodem argumento omni conatu, & argumentorum genere conati sunt persuadere Deum præmouere homines ad actus peccatorum, eorum voluntates efficienter ad illos prædeterminando. Et ad nostra argumenta in summa respondent concedendo omnia quæ ex illo dogmate nos inferimus, vno excepto, nimirum Deum esse causam peccati: hoc enim negant sequi ex illa prædeterminatione, magis quam ex simultaneo concursu, putant eandem esse vtriusque rationem; quia actus materialis, seu realis voluntatis humanæ non habet quòd sit peccatum ex habitudine ad voluntatem Dei siue præmouentem, seu prædeterminantem, siue simultaneè concurrentem, sed ex habitudine ad voluntatem humanam deficientem, cuius defectus Deus non est causa, & ideo quomodocunque concurrat, vel præmoueat, nunquam est causa peccati. Et ita eludunt omnia testimonia Scripturæ & Patrum. Alia verò inconuenientia, quæ nos inferimus, facilè deuorant, vt quòd Deus faciat nos facere hæc opera, quòd absoluta voluntate voluerit ex æternitate nos velle illa, priusquam præuiderit determinationem nostram, & quòd talia opera sint per se intenta, ac proinde prædestinata à Deo. Quapropter nihil ferè nobis superest addendum, eadem autem repetere superuacaneum videri potest. Nihilominus tamen, quia res est grauissima, iudicio, ac definitione Ecclesiæ dignissima, non grauabor vim aliquarum rationum presiùs vrgere, & non nullas responsiones accuratiùs ponderare, vt vnusquisq; vir prudens, & doctus nullo affectu priuatæ opinionis præoccupatus, quid sit magis consentaneum diuinæ bonitati, & Scripturis sanctis, & communi Ecclesiæ sensui iudicare possit, dum infallibile Ecclesiæ iudicium non interponitur.

3. Explicatur quæstio si deliberans debeat peccato consentire.

Vt autem sensum meum, & rationem, qua conuincor, explicem, coram oculis mentis constituo hominem deliberantem an consentire debeat peccato, necne, & de se liberum & aptum ad consentiendum, vel ad hanc dispositionem sufficienti auxilio Dei actu præuentum. Et interrogo, an in illo puncto & momento, in quo voluntas hominis prius natura, quàm à Deo prædeterminetur, est ad vtrumque indifferens, debeatur illi determinatio ad consensum, magis quàm ad dissensum, eo vtique modo, quo generalis concursus est illi ad operandum debitus, id est, an ex se talis voluntas postulet magis determinari ad consensum, quàm ad dissensum, vel ad vtrumque prorsus sit indifferens. Primum enim non videtur verisimile, quia nulla ratio dari posse videtur, cur ad dissensum magis postulet, aut mereatur debitam sibi fieri determinationem ad consensum, quàm ad dissensum. Quia ex sola natura voluntatis liberæ hoc non postulatur; imò quia talis voluntas licèt sit indifferens, magis ac perfectius inclinatur ad honestum, quàm ad quodcunque aliud bonum repugnans honestati, quantum est ex se, magis quodammodo postulat determinationem ad dissentiendum illi; ergo ex vi solius innatæ inclinationis cum indifferentia nec debetur illi determinatio ad talem consensum prauum, nec de se illam postulat.

Si deliberans debeat peccato consentire, necne, & de se liberum & aptum ad consentiendum, vel ad hanc dispositionem sufficienti auxilio Dei actu præuentum. Et interrogo, an in illo puncto & momento, in quo voluntas hominis prius natura, quàm à Deo prædeterminetur, est ad vtrumque indifferens, debeatur illi determinatio ad consensum, magis quàm ad dissensum, eo vtique modo, quo generalis concursus est illi ad operandum debitus, id est, an ex se talis voluntas postulet magis determinari ad consensum, quàm ad dissensum, vel ad vtrumque prorsus sit indifferens. Primum enim non videtur verisimile, quia nulla ratio dari posse videtur, cur ad dissensum magis postulet, aut mereatur debitam sibi fieri determinationem ad consensum, quàm ad dissensum. Quia ex sola natura voluntatis liberæ hoc non postulatur; imò quia talis voluntas licèt sit indifferens, magis ac perfectius inclinatur ad honestum, quàm ad quodcunque aliud bonum repugnans honestati, quantum est ex se, magis quodammodo postulat determinationem ad dissentiendum illi; ergo ex vi solius innatæ inclinationis cum indifferentia nec debetur illi determinatio ad talem consensum prauum, nec de se illam postulat.

In illo momento non debetur illi determinatio ad consensum quia ad dissensum ex natura voluntatis.

4. Negatur aliquod inuitum per additum.

Deinde neque per aliquid additum huic naturali libertati, & inclinationi postulat homo, aut fecit si abi debitum talem determinationem, quia vel illud additum est aliqua culpa, vel est aliqua infirmitas, seu defectus aliquis quem homo patitur sine culpa: neutrum dici potest; ergo nullo modo potest reddi talis ratio ex parte hominis. Consequentia euidens est ex sufficienti partitione posita in Maiori per membra immediatè, & contradictoriè opposita. Minor autem quoad priorem partem etiam est certa, quia licèt homo peccando mereri possit priuationem diuini auxilij, aut aliam similem desertionem, nunquam tamen mereri potest, vt directè ad actum peccati à Deo ipso inducatur iuxta communem doctrinam Sanctorum, & Theologorum, quam nunc suppono. Et vt esset verum, aut tolerabile dicere, posse peccatorem id aliquando mereri, nihilominus certum est, etiam tunc illam motionem non pertinere ad generalem concursum debitum causæ liberæ, sed ad specialem pœnam quam Deus vellet in eo casu inferre. Vnde si qui Doctores videntur in aliquo casu id admittere, non dicunt illum

illum esse ordinarium modum operandi Dei cum peccatoribus, sed esse rarum, & extraordinarium, quando multa, & ingentia peccata præcesserunt. Vt autem sit res euidentior, & extra omnem controuersiam, loquamur de primo peccato, & de illo puncto in quo homo deliberat de illo vitando, vel committendo: nam tunc non potest ratio determinationis sumi ex priori culpa, cùm nulla præcesserit, nisi fortè quis dicat sumi ex peccato originali, quod per se improbabile est, præsertim vbi peccatum illud iam fuerit remissum. Veruntamen vt omne subterfugium tollatur, loquamur de primo peccato Adæ, vel Angeli, in illo enim fingi non potest quòd prædeterminatio ad talem consensum orta fuerit ex merito ratione prioris culpæ cùm nulla præcesserit.

5. Quod amplius probatur.

Superest videndum de altero membro fortè si dicatur, defectum aliquem præcedentem in homine prius natura, vel tempore immediato ante instans in quo peccat esse, rationem, ob quam homini debetur talis prædeterminatio ad consensum, potius quàm ad dissensum, vel saltem esse rationem ob quam homo, quantũ est ex se, magis illam determinatio postulet, quàm aliam. Nam in primis longè probabilius est voluntatem liberam quomodocunque toto tempore antecedente ad instans consensus affecta est nullam determinationem ab extrinseco agente postulare, quæ ordine causalitatis, & naturæ suam determinationem, efficientiam præcedat. Nam etiamsi demus, vel permittamus voluntatem esse capacem illius prædeterminationis, saluo vsu libertatis, & expectare illam à causa prima propter subordinationem, adhuc negari non potest, quin in illo instanti in quo voluntas consentit, prius natura, quàm operetur, non obstante quocunque defectu inuoluntario antecedente sit capax duplicis determinationis disiunctiuè, scilicet, vel ad consensum, vel ad dissensum, quia aliàs nullo modo esset tunc voluntas potens ad vtrumlibet actum sub disiunctione, quia æq; proximè, & per se sola esset potens ad aliquem illorum (neque remotè, & media prædeterminatione esset potens ad vtrumque, si vnius tantum prædeterminationis esset capax; necesse est ergo fateri esse in eo momento voluntatem capacem duplicis determinationis.

6. Explicatur magis non deberi hãc prædeterminationẽ illi voluntati.

Vnde vlterius sit in casu posito voluntatem non postulare determinationem ad consensum ab extrinseco accipiendam, vel ex debito, vel ex congruitate aliqua, quæ ob præcedentem defectum inculpabilem ex parte hominis considerari possit. Quia in primis debitum illud non potest esse morale, quia nullus vsus liber præcessit in quo fundetur moralitas, nec physicum, seu connaturalitatis prout debetur naturalis proprietas vnicuique rei, quia illa capacitas respectu prædeterminationis dãdi per prævium concursum solũ est potentia quædã receptiua vtriusque determinationis, & alterutram natura sua postulans; ergo neutra determinare est illi debita debito physico, seu connaturalitatis, nec defectus antecedens facit illam debitam, cum etiam posito illo defectu, & in sensu composito (vt sic dicam) adhuc maneat capacitas illa indifferens de se, vt probatum est. Item, quia aliàs imperfectio illa antecedens esset quasi dispositio vltima ipsius voluntatis limitans capacitatem eius ad talem prædeterminationem, & secundùm naturalem ordinem, ac secluso miraculo necessitans ad talem prædeterminationem recipiendam, potius, quàm aliam, sicut vltima dispositio corporis humani necessitat suo modo ad creationem animæ. Aliàs posita illa prædeterminatione cum illa etiam necessitat ad consensum, in sensu vtique imposito respectu illius consensus in peccato necessaria, & physica connexione causarum antecedentium omnem vsum libertatis præueniret, quod quantum denegat humanæ libertati, quantumque excusare valeat lapsus humanæ voluntatis, facilè intelliget, quicumque attenta mente, & puro affectu rem considerauerit. Igitur ex parte hominis nulla ratio debiti considerari potest, ob quam talis prædeterminatio prius quam alia debeatur. Nec etiam fingi potest cum fundamento ratio congruitatis, quia (vt dixit) potentia de se magis postulat, & naturaliter appetit, quod illi melius est. Aliunde vero imperfectio antecedens est inuoluntaria, & inculpabilis vt supponitur; ergo non inducit congruitatem moralem, nec etiam physicam, cùm illa perfectio non excludat perfectionem sufficientem ad vitandum illum consensum per dissensum, vel pensionem actus, cuius est etiam intrinsecè capax ipsa voluntas.

Dicitur fortasse hominem in eo instanti in quo consentit in obiectum prauum, licèt prius natura sit capax vtriusque determinationis, semper tamen supponi iam inclinatum, & magis propensum ad consensum, & ideo si non ex debito, saltem ex quadam congruitate ad cõsensum potius determinari, quàm ad dissensum. At hoc etiam facilè refutatur. Primò, quia gratis id dicitur, ac supponitur, quia licèt id contingat quando peccatur ex passione, vel consuetudine, tamen in peccatis merè spontaneis fieri potest, vt ante determinationem ad vtram partem non sit homo magis propensus ad alterutram, sed quasi pendens in vtramque, vt statim magis explicabitur. Secundò esto ita esset, quæ congruẽtia inde nascitur ob quam homo magis debeat determinari ad consensum, quàm ad dissensum? Imò verò cùm illa maior propensio, si qua est, oriatur vel ex infirmitate, vel ex inconsideratione nondum voluntaria, profectò congruentius est, vt iuuetur infirmitas, vel excitetur consideratio, quàm vt recipit voluntas per diuinam præmotionem.

7. Reiicitur instantia.

Vnde argumentor tertiò in hunc modum, quo ille defectus, qui antecedit consensum malum, vel est ex parte appetitus, aut praui habitus, & hæc accidentia sunt, & vt hæc de medio tollantur, loquamur de primo homine in statu innocentiæ, in quo ante peccatum nullus talis defectus præcesserit: vel est ex parte intellectus, vt si dicatur consistere in præuia cogitatione, vel consideratione praui obiecti, cùm remissa consideratione honestatis, vel in alio simili actu, vel eius omissione, & in hoc etiam nulla potest fundari congruitas, quia homo, vel Angelus sic dispositus adhuc erat de se æq; potens ad non consentiendũ, vèl directè dissentiendo, vel saltem applicando intellectum ad meliorem considerationem. Ergo ex illa dispositione nulla nascitur ratio, aut congruitas, ob quam Adam fuerit potius determinatus à Deo ad consensum, quàm ad dissensum, vel ad volendum melius de re sibi proposita considerare, & postea media consideratione deteminari od dissentiendum. Denique homo quando per suggestionem dæmonis habet viuam considerationem praui obiecti, nulla congruitas inde nascitur, vt Deus impediat voluntatem hominis ne intellectum ad contrariam, vel meliorem considerationem applicet, id enim esset partes dæmonis tenere, seu iuuare; ergo multo minus potest inde nasci congruitas, vt Deus prædeterminet statim voluntatem hominis, v. g. Adami sic à Dæmone tentati ad consensum, quia nullo efficaciori modo poterat meliorem considerationem impedire, quàm deiiciendo statim voluntatẽ in consensum.

8. Idem tertiò cõfirmatur.

Relinquitur ergo in huiusmodi euentu nullam rationem posse reddi ex parte hominis, ob quã magis prædeterminetur ad consensum, vel dissensum. ac proinde Deum pro sua sola voluntate id facere,

9. Ex his sequitur Deũ pro sua sola voluntate

determinare creaturâ ad consensum peccati.

non quia id exigat (vt sic dicam,) munus causæ primæ, nam æq; bene, vel melius illud expleret determinando voluntatẽ hominis ad dissensum, sed solùm pro suo beneplacito, quia vult tali modo illi homini prouidere; & non alio. Quod totum, vt opinor, facilè concedent contrariæ sententiæ defensores; nam ita loqui solent de prædeterminatione ad bonum, non tantùm supernaturale, sed etiam morale ordinis naturalis; consequenter autem idẽ est de prędeterminatione ad consensum in obiectũ prauum: nam est eadem ratio, vt declarauí. Illud autem dogma per se spectatũ sine aliis argumentis videtur nobis indignum diuina bonitate, & sapiẽtia. Nullus enim homo prudens, sapiens, ac bonus, qui possit alium hominem in eo discrimine constitutum ad honestum potius, quàm ad delectabile inclinate, eum in priorem partẽ moueret. Quis ergo credat Deum, qui ex vi vniuersalis muneris primæ causæ æquè potest prædeterminare illũ hominem ad dissensum, & consensum ex se, & nulla accepta occasione ex parte ipsius hominis potius ad delectabile obiectum, quàm honestum, non solùm inclinet, aut moueat, sed etiam prędeterminet, quibus verbis semper vtor, & nomen peccati fugio, ne occasionem præbeam eludendi rationem per vulgarem distinctionẽ de formali & materiali peccati, nũc enim nihil de formali malitia loquor, sed de subsstrato illius; necessariò autem est distinctè concipere, & explicare, quod sit illud subsstratum, seu materiale peccati, vt põderari possit, quàm sit dissentaneum diuinę sapientię & bonitati, ex se, & solo beneplacito suo eligere ac velle determinare voluntatem hominis ad volenda delectabilia, potius quàm honesta, sine occasione ex parte hominis, solùm suo arbitrio, & præter alia consilia voluntatis suæ, ac si essent Deo necessarij homines impij.

Caput XLVI.

Deducendo ad varia incommoda eadem doctrina comprobatur.

1. Absurdũ, nulla reddi potest ratio propter quam Deus peccatum potius permittat, quã impediat.

Possumus præterea falsitatem huius sententiæ multis modis, & absurdis, quę ex illa sequuntur, declarare. Primum sit, quia aliàs nullam rationem moralem possumus reddere, ob quam Deus peccatum potius permittat, quàm impediat. Sequelam declaro, quia licèt multæ rationes dari soleãt sumptis finibus extrinsecis (quia Deus ex peccatis sumit occasionem maiora bona faciendi,) omnes tamen supponunt vt fundamentalem rationem illam, quæ ex libertate sumitur; permittit enim Deus peccata ne libertatem tollat, aut vsum eius impediat, aut liget. Et hac ratione defendit innocentiam Dei in permittendis peccatis D. Thomas in 1. d. 47. q. 1. art. 2. ad 4. Et ibi Doctores communiter, & Caietanus 1. p. q. 22. art. 2. ad 2. estque necessariò supponenda, vt alia locum habeant, quia aliàs non vteretur Deus peccatis tamquam occasionibus benefaciendi, sed tanquam mediis per se volitis propter tales fines, quod est à diuina bonitate alienum: non enim sunt facienda mala, vt inde eueniant bona, teste Paulo. Illa enim ratio destruitur iuxta illam sententiam; quod ita ostendo, nam vel prædeterminatio tollit libertatem, vel non tollit. Primum non dicitur, & licet diceretur eo ipso permissio in prædeterminatione fundata non esset libertatis conseruatio, sed destructio. Si autem prædeterminatio non tollit libertatem, Deus prædeterminando semper voluntatem ad bonum prosequendum, & malum fugiendum, non magis tolleret eius libertatem, quàm prædeterminando illam ad malum volendum; ergo talis prædeterminatio, vel permissio in ea fundata non potest verè excusari, aut honestati ex ratione libertatis conseruandæ. Similéque argumentum sumitur ex ratione, quæ à munere causæ primæ cum omnibus concurrentis dari solet. Nam si concursus generalis incipit à prædeterminatione, æquè satisfaceret Deus suo muneri determinando voluntatem ad bonum; cur ergo determinat ad malum.

D. Thom.

Secundum inconueniens sit, quòd non minori voluntate, & efficacitate facere: Deus hominem liberè velle turpia, quàm honesta, sacrilega, quàm religiosa, iniusta, quam iusta, loquor semper de his solùm vt sunt conuertiones quædam, seu amores voluntatis ad talia obiecta, sub aliqua ratione boni honesti, aut delectabilis, vel vtilis, in quibus, vt sic præcisè spectatis, nondum aliqua malitia moralis consideratur. Sic ergo declaratæ illationes facilè nego. probantur iuxta contrariam sententiam; quia Deus dicitur facere vt velimus, & faciam⁹ honesta, quia per illum præuium concursum, sua sola libertate in nobis factũ determinat nostras voluntates ad volendas, & faciendas actiones honestas, sed simili voluntate, ac præuio influxu determinat nostras voluntates ad prosequenda bona tẽporalia, vel sensibilia propter quamcumque rationem inferioris boni ergo in re ipsa æque facit Deus, vt homines velint, & faciant turpia, ac honesta, & similia. Quod si ita est, non video qua efficaci ratione possimus persuadere peccatoribus ne his inferioribus bonis afficiantur, nec illa honestis, & altioribus præferant; cùm possint respondere, qui illa eligunt, non minus Deum velle, & facere, vt ea ipsi amẽt, & eligant, quàm in aliis faciat effectum ad res spirituales, & honestas. Et ideo meritò dixit Augustinus lib. 1. de liber. arbitr. cap. 11. *Regnant in mente, compotique virtutis, quidquid par, aut prælatum est, non eam facit seruam libidinis, propter iustitiam.* Sentiens hoc repugnare iustitiæ, ac proptere a Deum id non facere. At profectò si Deus faceret voluntatem nostram amare bonum delectabile sensui, maximè faceret eam seruam libidinis, vnde concludit, *Nulla res alia mentem cupiditatis comitem facit, nisi propria voluntas, & liberum arbitrium.* Et ex hoc principio lib. 3. cap. 1. rationem reddit, ob quam Deus non est causa peccati, vt infrà dicam.

2. Absurdũ, non minori voluntate, & efficacitate facere Deum hominem liberè velle turpia, quàm honesta, sacrilega, quàm religiosa, iniusta, quam iusta, loquor semper de his solùm vt sunt conuertiones quædam, seu amores voluntatis ad talia obiecta, sub aliqua ratione boni honesti, aut delectabilis, vel vtilis, in quibus, vt sic præcisè spectatis, nondum aliqua malitia moralis consideratur. Sic ergo declaratæ illationes facilè nego. probantur iuxta contrariam sententiam; quia Deus dicitur facere vt velimus, & faciam⁹ honesta, quia per illum præuium concursum, sua sola libertate in nobis factũ determinat nostras voluntates ad volendas, & faciendas actiones honestas, sed simili voluntate, ac præuio influxu determinat nostras voluntates ad prosequenda bona tẽporalia, vel sensibilia propter quamcumque rationem inferioris boni ergo in re ipsa æque facit Deus, vt homines velint, & faciant turpia, ac honesta, & similia. Quod si ita est, non video qua efficaci ratione possimus persuadere peccatoribus ne his inferioribus bonis afficiantur, nec illa honestis, & altioribus præferant; cùm possint respondere, qui illa eligunt, non minus Deum velle, & facere, vt ea ipsi amẽt, & eligant, quàm in aliis faciat effectum ad res spirituales, & honestas. Et ideo meritò dixit Augustinus lib. 1. de liber. arbitr. cap. 11. *Regnant in mente, compotique virtutis, quidquid par, aut prælatum est, non eam facit seruam libidinis, propter iustitiam.* Sentiens hoc repugnare iustitiæ, ac proptere a Deum id non facere. At profectò si Deus faceret voluntatem nostram amare bonum delectabile sensui, maximè faceret eam seruam libidinis, vnde concludit, *Nulla res alia mentem cupiditatis comitem facit, nisi propria voluntas, & liberum arbitrium.* Et ex hoc principio lib. 3. cap. 1. rationem reddit, ob quam Deus non est causa peccati, vt infrà dicam.

Augus.

Tertiò hoc ferè argumentum explicui in lib. 2. de Auxiliis, exemplo de sumpto ex Concilio Trident. nam sequitur efficaci voluntate Deum pręordinasse, ac decreuisse vt Iudas vellet vendere Christum, & efficaciter, & antecedenter feciſſe, vt id faceret, quod piæ aures audire recusant, & verbis Concilij repugnare videtur, vt paulo pòst referam. Respondet vir quidam pius, & doctus, & absolutè loquendo, Deum non voluisse vt Iudas venderet Christũ, & id vellet, sed solùm cum addito, considerando illam actionem in quantum erat actio, & sub ratione entitatis: sub hac autem ratione id voluisse Deũ, & sic etiam veram esse illam causalem, ideo Iudas voluit illam actionem, in quantum actio est, quia Deus voluit, vt illam vellet, in quantum ens est. Sed nos non de verbis contendimus, sed de re ipsa: nam si res vera est; ac Deum decens, non oportet verbis eam palliare, sed nudè, & apertè, prout ipsa est, eam confiteri: si autem erubescimus rem ipsam nudè fateri, non expedit de Deo sentire, quod pudet verbis apertè confiteri.

3. Adsentit Deum ęternè decreuisse vt Iudas vellet vendere Christum, & efficaciter, & antecedenter feciſſe, vt id faceret, quod piæ aures audire recusant, & verbis Concilij repugnare videtur, vt paulo pòst referam. Respondet vir quidam pius, & doctus, & absolutè loquendo, Deum non voluisse vt Iudas venderet Christũ, & id vellet, sed solùm cum addito, considerando illam actionem in quantum erat actio, & sub ratione entitatis: sub hac autem ratione id voluisse Deũ, & sic etiam veram esse illam causalem, ideo Iudas voluit illam actionem, in quantum actio est, quia Deus voluit, vt illam vellet, in quantum ens est. Sed nos non de verbis contendimus, sed de re ipsa: nam si res vera est; ac Deum decens, non oportet verbis eam palliare, sed nudè, & apertè, prout ipsa est, eam confiteri: si autem erubescimus rem ipsam nudè fateri, non expedit de Deo sentire, quod pudet verbis apertè confiteri.

Caiet. Dic.

Si ergo rem euoluamus, & penitiùs inspiciamus, si Deus præuoluit, & efficaciter præordinauit illã actionem Iudæ, non tantùm voluit illam, vt ens, vel vt actio est, sed voluit illam, vt talis actio est, & vt ad talem personam terminatur, & prout hìc & nunc liberè à Iuda efficiendum, tum quia nihil positiuum, & reale in actione illa inuenitur, quod Deus eodem modo non voluerit, & effecerit, v

4. Adsentit Deum ęternè decreuisse vt Iudas vellet vendere Christum, & efficaciter, & antecedenter feciſſe, vt id faceret, quod piæ aures audire recusant, & verbis Concilij repugnare videtur, vt paulo pòst referam. Respondet vir quidam pius, & doctus, & absolutè loquendo, Deum non voluisse vt Iudas venderet Christũ, & id vellet, sed solùm cum addito, considerando illam actionem in quantum erat actio, & sub ratione entitatis: sub hac autem ratione id voluisse Deũ, & sic etiam veram esse illam causalem, ideo Iudas voluit illam actionem, in quantum actio est, quia Deus voluit, vt illam vellet, in quantum ens est. Sed nos non de verbis contendimus, sed de re ipsa: nam si res vera est; ac Deum decens, non oportet verbis eam palliare, sed nudè, & apertè, prout ipsa est, eam confiteri: si autem erubescimus rem ipsam nudè fateri, non expedit de Deo sentire, quod pudet verbis apertè confiteri.

Id amplius explicatur.

5. Respondetur obiectioni.

6. Respondetur obiectioni communi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Idem authores maximè defendunt, tum etiã, quia (consequenter loquendo in eorum sententia) Deus non prædeterminauit voluntatem Iudæ ad actionem tantùm, vt actio est, sed vt talis actio, & tale ens cum omnibus conditionibus realibus, & respectibus, quos in reipsa habuit, seu erat habitura, quia quidquid Deus fecit in actione illa Iudæ, siue externæ venditionis siue internæ voluntatis, fecit prærordinando illud per absolutam voluntatem, & prædeterminando voluntatem Iudæ ad id volendum, & potentias reliquas ad id exequendum. Omne enim id, ad quod Deus concurrit per simultaneum concursum, prædeterminat efficaciter per præuium: concurrit autem cum Iuda ad actionem, qua vendidit Christum, non solùm vtens, vel actio est, sed etiam vt talis actio, atque ideò vt venditio Christi fuit; ergo eodem modo illam prærordinauit, prævoluit efficaciter, prædeterminauit, & fecit, vt Iudas illam faceret. Ergo sicut simpliciter verè dicimus, Deum concurrisse cum Iuda ad volendum vendere Christum, & ad volendum illum, ita simpliciter in illa sententia fatendum est, feciisse Deum vt Iudas vellet vendere Christum, & vt illum venderet; quod tam est absurdum, vt ipsimet illud admittere non audeant. Oportet igitur, vt non tantum verba recusent, sed multo magis rem ipsam abnegent.

4. Absurdũ, Deus absoluta voluntate vult hominum peccata.

Quarto hinc vlteriùs infero, ex illa sententia Deum simpliciter loquendo absoluta voluntate, & ex se velle hominum peccata, quod sine dubio viri Catholici non concedent. Probamus autem sequelam, quia vult aliquid, distinctè cognoscens quid illud sit, & quid necessariò cum illo coniunctum sit; totum illud simpliciter & absolutè vult: sed Deus absolutè vult vt Iudas, v. g. hîc & nunc habens de Christo talem cognitionem, & existimationem, illum liberè vendat, vt ex contraria sententia supponimus; ergo absolutè vult Deus totum illud obiectum cum omnibus suis circunstantiis realibus, & quidquid cum illa actione sic sumpta necessariò coniunctum est, sed cum illa actione sic facta necessariò est coniuncta malitia peccati, & quod is, qui illam facit, peccet, vt est per se notũ; ergo Deus absolutè vult peccatum, & vt Iudas peccet. Vis huius argumenti pẽdet ex propositione assumpta ad probandã sequelam, cætera enim euidenter cõsequuntur. Illa verò propositio nõ solùm in morali Philosophia, & Theologia, sed etiã in naturali Philosophia videtur per se nota: nam voluntas fertur in sibi rem propositam, prout in se est, si distinctè & prout in se est cognoscitur; ergo si proponitur vt habens tales proprietates inseparabiles, & absolutè vt in se est, placet, & amatur, non solùm res, sed etiam eius proprietates omnes amantur, vel liberè per voluntatem acceptantur. Nam licèt non æquè primò, & per se aliquis velit rei proprietates, & rem ipsam, nihilominus volendo non ipsam absolutè, & simpliciter, consequenter vult proprietates, & conditiones ab ipsa inseparabiles. Et ideo sicut in naturalibus dicitur, qui dat formam, dare consequentia ad formam, seu actionem, ita etiam dicendum est, velle quę illam consequuntur, vel cum illa necessariò coniuncta sunt, si illam non ignoret. Et in moralibus, qui vult alium facere aliquid, quod ille sine peccato facere non potest, consequenter vult peccatum eius.

6. Responsio communis confirmatur.

Responderi solet, licèt cum tali actu reali sic facto necessario coniuncta sit malitia, nihilominus non sequi, seu comitari actum, vt est à Deo volitum, seu prædefinitum, sed prout à proxima voluntate deficiente egreditur: nam sub eo respectu decidit à regula rationis, & ideo malitiam contrahit, & propterea non posse Deo tribui. Hæc vero responsio difficultatem rationis non euacuat, quia in illa nos non intulimus Deum peccare volendo peccatum hominis (cui illationi posset obuiare illa responsio, negando illam, quia actus ille non habet defectum in ordine ad diuinam voluntatem, sed ad humanam;) sed intulimus Deum velle efficaciter, vt in voluntate humana sit peccatum, & hæc illatio non euitatur ex eo, quòd malitia consurgat ex actu vt est à voluntate humana, quia totum hoc potest esse obiectum alterius voluntatis, & hoc dicimus sequi ex eo, quòd Deus ex se, & absoluto, ac præuenienti decreto velit hominem efficere actum aliquem voluntariè, ac liberè, qui necessario habet adiunctam malitiam, quatenus ab eadem deficiente voluntate manat. Sicut si vnus homo velit, vel gaudeat alterum efficere actum, cum illis circunstantiis, quæ ad peccandum sufficiunt, reuera vult peccatum eius, licèt talis actus habeat defectum, & malitiam per habitudinem ad voluntatem illius hominis, à quo proximè fit, & non alterius, qui de illo gaudet. Vnde ideri potest, vt peccatum illud proueniat tali homine fit, fit, v.g. peccatum iniustitiæ; & in voluntate alterius qui de illo gaudet, sit contra charitatem, vel aliquid simile. Optimè ergo intelligitur peccatum vnius voluntatis, quod vt ab illa nascitur, habet rationem peccati, esse obiectum volitum per aliam voluntatem, etiamsi peccati rationem non habeat per habitudinem ad illam. Sic ergo probat ratio facta, peccatum hominis esse obiectum diuinæ voluntatis, ab illa propriè, & efficaciter volitum: etiamsi malitiam peccati non habeat ex habitudine ad diuinam voluntatem, sed ad humanam. Sic potest Deus velle visionem, vt visio, & actus vitalis est, licèt visio non habeat, quòd sit actus vitalis ex habitudine ad Deum, sed ad intrinsecum principium proximum à quo manat. Vel sicut Deus scit peccatum hominis, quamuis non habeat rationem peccati, ex habitudine ad scientiam Dei, sed ad voluntatem humanam, nam hoc totum scit Deus. Ita ergo inferimus Deum velle peccatum hominis, licèt actus ille non sit peccatum, quia volitus à Deo, sed ab homine, quia hoc ipsum est, quod Deus vult, scilicet vt voluntas defectibilis hominis talem actum faciat, quem sine tali malitia facere non potest.

7. Absurd. Deus verè & propriè non permitteret peccatum.

Quintò ratio hæc ex alio incommodo declaratur, nam sequitur Deum verè, & propriè non permittere peccatum; ergo sequitur, vt velit illud, quia nihil in mundo fit nisi volente Deo, & permittente, vt est certissimum. Si ergo peccatum non fit permittente Deo, optimè concluditur, fieri ipso volente. Probatur ergo sequela, quia Deus non permisit vt Iudas vellet vendere Christum liberè, & cum talibus circunstantiis, quia iuxta illam sententiam, id efficaciter voluit, & prærordinauit, vt probatum est, ergo nec permisit malitiam annexam illi actui; ergo voluit illam saltem consequenter, & secundariò. Probatur prima consequentia, quia illud verè dicitur permitti, quod & à Deo permittente, & ab homine, cui fit permissio, vitari potest, & liberè non vitatur: suppositâ autem illa prærordinatione diuina, qua voluit efficaciter Iudam sic operari, non erat in potestate Dei, vel hominis impedire vt ad talem voluntatem Iudæ non sequeretur malitia, & deformitas peccati; ergo reuera non potest dici permissa. Maior ex vi ipsius verbi per se euidens videtur, & ex communi consensu Theologorum fit clarius; omnes enim ad permissionem potestatem vitandi, aut impediendi, id, quod permittitur, requirunt: ideoque diuinam permissionem per negationem declarant, scilicet, quia non vult impedire, licèt posset. quam negatio-

Scotus. Gregorius. nem aliqui ponunt in actu voluntatis Dei, qui nec vult actum fieri, nec impedire illum vult, per solam negationem actus, vt exponit Scotus in 2. d. 43. q. vnic. in fine & ibidem Gregor. § *Quamuis autem*. Alij verò negationem tantùm ponunt in obiecto, dicuntq; tantùm esse voluntatem non impediendi, vt significat D. Thomas 1. p. qu. 19. art. 9. ad 1. & art. 12. Caietanus qu. 22. art. 2. in fine, dicens permissionem (quam per negationem explicat) esse à Deo intentam, non autem actum permissum. Omnes autem supponunt in permittente potestatem impediendi effectum permissum, vt expressè dicunt Scotus, Gregorius, & Caietanus 1. p. q. 23. art. 5. in fine, & Durandus in 1. d. 47. q. 1. & alij in 1. d. 45. 46. & 47. Vnde frustrà alij Doctores respondent non obstante prædeterminatione, & præordinatione diuina de tali actu libero huius obiecti cum suis circumstantiis necessariò requiri, vt Deus permittat eius malitiam; contrarium enim probat ratio facta, quia ex actu sic prædeterminato, necessariò sequitur malitia, ita vt nec Deus possit illam impedire, & consequenter nec velle, vt non sequatur: ad quid ergo est necessaria noua permissio, quæ sit vera voluntas tantùm permissiua & ratione distincta à voluntate prædeterminante? Nam posita volitione Dei prædeterminante & præcisa omni alia voluntate circa malitiam, sequetur malitia, consummabiturq; peccatum: non est ergo necessaria, imò nec possibilis vera, & propria permissio; ergo nec peccatum potest dici verè permissum.

D Thom. Caietan.

Durand.

8. Cõfirmatur in humanis. Confirmatur, & declaratur ex humanis rebus, nam si ego petam ab alio id, quod ille sine peccato præstare non potest, non dicar permittere solum peccatum alterius, vel malitiam eius, sed consequenter etiam velle illam formaliter, vel virtualiter. Vnde tunc verè dicar permittere peccatum, quando ego peto ab alio actum, quem sine peccato præstare potest, quamuis sciam, illud id non facturum, nisi deficiendo à regula rationis. Ego enim tunc hunc defectum nec directè, nec indirectè peto, sed alter illum sua voluntate vltra petitionem adiungit. Ergo similiter si Deus mouet, & determinat me ad id, quod sine peccato præstare non possum, certè non me determinat tantùm ad actum, sed etiam ad lapsum, ac proinde non permittit tantum peccatum, in quo lapsus consistit; sed etiam illud vult. Vt ergo verè dicatur Deus solùm permittere peccatum, necesse est, vt ita hominem moueat, vel præmoueat ad actum, vt sit in potestate Dei facere vt actus fiat sine macula peccati, & consequenter sit in potestate hominis actum, ad quem mouetur sine peccato operari.

9. Saltē Deus non permittet actum quo homo peccat. Præterea saltem sequitur Deum non permittere actum ipsum, quo homo peccat, quod est satis magnum inconueniens; sequela patet, quia quod Deus directè vult dicere, & vt ab homine fiat, non potest dici permissum, vt ex dictis patet, sed iuxta illam sententiam Deus directè, & per se vult actum materialem peccati prout hic & nunc fit cum sufficienti circunstantiarum omnium permissione; ergo non permittit talem actum: hoc autem esse absurdum probatur, quia id Deus permittit quod prohibet; prohibet autem talem actum hic, & nunc circa obiectum bonum sensus, cum his circunstantiis, & cognitione fieri: non enim prohibet Deus per negatiuum præceptum solam malitiam, sed etiam actum, licèt prohibeat actum propter malitiam; nec enim prohibet cum malitia fieri talem actum, fiat, id enim impossibile est; prohibet ergo actum, quia inseparabilem habet malitiam, vel ex se saltem, quia prohibitus est; ergo eodem modo non vult, sed permittit tantum ipsum actum. Nam planè repugnat Deum de se, & pro sua tantùm libertate velle efficaciter, quòd verè & ex animo prohibet fieri, etiam propter duas diuersas rationes, quia in ipsis actibus ratione obiectorum, quasi materialium est repugnantia, & respectu diuinæ voluntatis magna indecentia.

Aliter etiam idem declaro, quia si Deus prædeterminat voluntatem hominis, ad eliciendum actum peccati, multo magis determinat intellectum ad illud iudicium, quo in eodem instanti cum tali aduertentia, & consideratione iudicat, hoc esse volendum, tum quia etiam intellectus est causa secunda, quæ non operatur, nisi præmota à Deo, tum etiam, quia in eo instanti in quo Deus prædeterminat voluntatem ad talem actum, supponit in intellectu totam cogitationem, & dispositionem cum qua voluntas operatura est; ergo prædeterminat voluntatem ad volendum sequi ductum illius iudicij rationis; sed in hoc magis intrinsecè includitur, vt voluntas velit, deficiendo à recta regula rationis, cùm illud iudicium non sit recta regula rationis; ergo necesse est, vt Deus sic prædeterminando voluntatem velit illam velle deficiendo à recta ratione quod est peccare. Nã certè, qui vult aliquid fieri simile nigredini, eo ipso vult fieri dissimile albedini, nisi sit ignorans, & nesciat, quid velit. Ita ergo si Deus vult humanam voluntatem confirmari tali iudicio rationis, quod est dissimile dictamini rectæ rationis, eo ipso vult discordare (vt sic dicam) à regula rectæ rationis, quod est peccare. Vnde sicut non permittit tantùm voluntatem sequi tale iudicium rationis, sed vult illud, ita non permittit tantùm peccatum, sed illud vult.

10. Cõfirmatur. Alterius Deitatis ratio.

Sextò inde vlteriùs inferimus vulgare inconueniens, nimirum sequi Deum esse causam peccati, verè, & simpliciter loquendo, quod viri catholici non concedunt. Ideoque respondent non magis hoc sequi ex præuia illa prædeterminatione, quàm ex simultaneo consensu. Vnde sicut nos fatemur, Deum sufficienter concurrere ad actum peccati, & ad omne illud, quod malè est in illo, & nihilominus negamus, Deum esse causam peccati: ita illi respondent de prædeterminatione, quod causet actum peccati, non peccatum. Est tamen longè diuersa ratio; quia nos non concedimus, Deum facere, vt homo faciat, & velit id, quod sine peccato facere non potest, sed solùm fatemur homine id faciente, Deum etiam cooperari pro suo munere causæ vniuersalis. At posita illa prædeterminatione, necessariò sequitur, Deum, qui illam immittit, etiam facere, vt homo faciat, & velit aliquid, quod sine peccato facere non potest, quia facit eum velle tale obiectum, & cum tali iudicio rationis, vt impossibile sit, id facere, aut velle sine peccato, vel ex natura rei, vel hic, vel nunc supposita obiecti prohibitione. Ex hoc ergo speciali modo operandi efficaciter videtur inferri, Deum esse causam peccati. Primò, quia voluntas efficax, & (vt sic dicam) executiua Dei est causa eorum, quæ simpliciter vult, sed Deus absolutè vult peccatum hominis, seu hominem peccare, quatenus absolutè vult eum facere, quod sine peccato facere non potest, vt explicatum est; ergo est causa peccati hominis. Item Deus est causa omnium, quæ facit facere, sed facit facere peccatum; ergo. Minor probatur, quia qui fecit efficaciter alium facere, opus, quod sine peccato facere non potest, profectò fecit eum peccare, nam qui fecit facere aliquod opus consequenter facit facere omnia sine quibus tale opus fieri non potest, seu quæ necessariò sunt coniuncta tali operi: nam sicut, qui dat formam, dat consequentia ad formam, ita qui facit

facit facere, dat consequentia ad tale facere; sed cum tali facere hominis necessariò est coniuncta malitia; ergo. Imò ipsemet homo, qui facit peccatum, non alia ratione est causa sui peccati, nisi quia voluntate sua se efficaciter determinat ad volendum id, quod sine malitia velle, aut facere non potest. Neque enim directè vult ipsam malitiam; imò sæpè nollet illam, tamen quia suo arbitrio, & voluntate elegit id, à quo non separatur malitia, virtualiter, ac moraliter vult illam, & hoc modo est propria causa peccati; ergo similiter Deus volendo & faciendo, vt alter faciat, quod sine peccato facere non potest, causat peccatum eius.

11. Responsio confirmatur. Nec vis huius rationis eluditur dicendo, Deum non peccare, volendo & faciendo, vt homo faciat, quod sine peccato facere non potest, quia hoc dato, licèt non concesso, nihilominùs esset causa peccati, faciendo hominem peccare. Vnde Caluinus, & similes, qui affirmant Deum esse causam peccati negant, Deum in eo peccare, quia reuera quæstiones sunt formaliter diuersæ, vnde aiunt, Deum non peccare in eo, quod facit, quia non deficit à regula suæ voluntatis quæ est, vel suamet scientia, & ratio, vel ipsamet voluntas eius, quæ est per se regula sui, & ita non potest à seipsa discordare; nihilominus tamen faciendo vt homo faciat, quod sine peccato facere non potest, esse causam peccati non sui, sed hominis. Nec etiam eiusdem rationis efficacia tollitur dicendo, actum hominis non habere rationem peccati, vt absolutè sit, sed vt deficienter sit, & Deum non velle, nec facere, vt actus ille deficienter fiat, sed tantum vt fiat. Contra hoc enim instatur ratione iam facta, quia actum illum deficienter fieri ab homine nihil est aliud, quàm fieri liberè cum tali aduertentia, & iudicio rationis, quod in re non est recta regula; sed hoc modo Deus est prima radix, & causa (vt ipsi expressè docent) quòd homo hîc, & nunc cum tali aduertentia rationis habeat volitionem circa hoc obiectum contrarium rationi; ergo impossibile est, Deum facere vt talis actus sic ab homine fiat, quin faciat, vt deficienter fiat, quia hæc vel sunt prorsus idem, & licèt ratione distingui velint, sunt prorsus inseparabilia.

12. Alia responsio ex Augustino. August. Sed instant, quia sim le argumentum obiiciebat Iulianus ad probandum non dari peccatum originale, vel si datur, Deum esse causam eius, & illud soluit Augustinus lib. 3. contra illum cap. 9. Idémque argumentum circa peccatum actuale ponit, & soluit lib. 2. de liber. arbitr. cap. 19. & 20. dicens, quidquid est bonitatis in actu peccati, esse ex Deo, defectum autem non esse ex Deo. Eodemque modo soluit argumentum D. Thomas 1. 2. quæst. 70. articulo 2. & quæst. 3. de Malo art. 2. & in d. 37. q. 2. art. 2. D. Thom.

14. Reiicitur. Respondemus vel obiectionem hæreticorum non processisse ex eisdem principiis, vel non fuisse rectè applicatam. Nam optimè fieri potest, vt idem argumentum malè obiiciant contra doctrinam fidei, & ideo facilè soluatur, optimè tamè inducatur contra falsam doctrinam, & ideo non posit illi eadem solutio argumenti accommodari. Quod in hac eadem materia sæpe accidisse in l. 5. tractando de auxilio efficaci, videbimus. Ita ergo in præsenti dicimus, non rectè dictos Patres allegari. quod breuiter ostendo. Nam Iulianus ex eo, quòd Deus facit humana corpora sexibus distincta cum aliis ad generationem necessariis, inferebat, si homo in peccato concipitur, authorem illius peccati esse Deum, quæ illatio facilè negatur ab Augustino, quia malum illud, quod inuenitur in prole concepta: *Non fructus* (inquit) *corporum sexuum, coniunctionum, sed originalis, veterisque peccati.* & iterum infrà, *Malum cum quo nascitur homo, non est fructus corporum, &c. quorum bonorum author est Deus; sed prima praua-ricationis, cuius author est diabolus.*

Non est ergo similis illatio; quia peccatum originale non sequitur intrinsecè; (vt sic dicam,) causaliter ex generatione naturali, sed coniungitur illi ex alio influxu morali prioris peccati Adæ in prolem seminali ratione ab ipso conceptam: neque enim fieri posset vllo modo, vt homo in originali peccato conciperetur, nisi actuale in parente præcessisset. At verò malitia actualis peccati sequitur intrinsecè, & causaliter ex actu ipso positiuo cum tali aduertentia; & circa talem materiam liberè elicito, & ideo verè est homo causa talis malitiæ, ex vi necessariæ consecutionis, licèt physicè non efficiat nisi actum ipsum materialem. Parens autem proximus non est causa peccati originalis prolis, etiamsi solum effectum positiuum naturæ physicè efficiat. Et ob eandem causam licèt daremus, Deum determinare voluntatem parentum ad generationem prolis, & facere, vt illam faciant, nihilominus, non esset causa originalis peccati, quia hoc malum omnino accidentarium est naturali generationi, & ab extrinseco malo morali venit, non ab ipsa generatione. Secus vero esset si Deus prædeterminaret voluntatem liberam ad actum, quem sine peccato ab ipsamet hominis voluntate prouenientè facere non posset; nam in hoc opere ipse actus hominis est vera causa malitiæ, & ideo qui ipsi homini esset author, & radix, imo & efficax motor determinans ad talem actū, excusari etiam non posset, quin esset author malitiæ, quæ ex illo intrinsecè sequitur. Quod discrimen ex alio genere causalitatis euidétius explicatur: nam si quis consulat, & procuret, vt homo generet hominem ex legitimo matrimonio, non censetur causa peccati originalis prolis, & ideo Deus ipse potest id consulere, vel præcipere. At vero si quis consulat homini vt talem actum liberum hîc, & nunc in hac materia faciat, qui sine malitia ab eo, cui datur consilium, fieri non potest, censebitur causa ipsius malitiæ, & peccati: & ideo non potest Deus illo modo præmouere hominem ad actum positiuum peccati. Est ergo euidens differentia inter peccatum originale, & actuale. Vnde obiter nouum argumentum nobis resultat, quod post completam responsionem huius instantiæ proponemus. 15. Continuatur confutatio, & quomodo parentes nō sint causa peccati originalis in prole, & Deus prædeterminās ad actū malum sit causa peccati.

In altero itaque loco Augustinus de actu peccati tractat, & non soluit obiectionem hæreticorum, sed quoniam dixerat hominem peccare cum voluntariè se auertit ab incommutabili bono, & ad commutabile se conuertit; *quæsit cùm voluntas faciat hoc motu suo, vnde iste motus existat: si enim motus iste, id est, auersio voluntatis a Deo, sine dubio peccatum est, num possumus authorem peccati Deum dicere? Non erit ergo iste motus ex Deo; vnde igitur erit?* Et in summa respondet motum illum auersionis, quod fatemur esse peccatum, ad Deum non pertinere, licèt actus ipse, quatenus aliquid entis est, seu formæ inchoatio aliquid bòni sit, ac proinde sit ex Deo. Ex qua responsione solum habetur, posse Deum afficere actum materialem peccati non causando peccatum, quod verissimum est, non tamen habetur posse Deum prædeterminare voluntatem humanam ad actum, qui sine malitia fieri non potest, & non esse authorem, & causam peccati. Nam illa duo valde diuersa sunt, & multo maior est influentia prædeterminans, & cooperans simul, quàm solum cooperans. 16. Explicatur Augustinus

Vnde idem Augustinus, quia eo loco breuibus, & generalibus verbis quæstionem expedierat statim in lib. 3. eam exactius declarare aggreditur, & totam rationem ob quā voluntas hominis est causa peccati, & non voluntas Dei, non eo ponit, quod antea in lib. 1. cap. 11 dixerat, & suprà à me allegatum 17. Confirmatur ex aliis Augustini verbis.

tum est, quia nulla re fit mens seruali libidinis, nisi propria voluntate, quia nec superiori, nec æquali voluntas potest ad hoc dedecus cogi; in rigore nostro scholastico positum non est, vt significat propriam violentiam contra internum appetitum; sed vt significat necessitatem, vel motionem ab extrinseco prouenientem, cui resisti non possit. Vnde paulo antea dixerat Augustinus, si natura, vel necessitate existeret talis motus, non fore culpabilem, vbi naturæ nomine indicat necessitatem ab intrinseco, nomine autem necessitatis illam, quæ est ab extrinseco. Vtramque ergo ab hoc motu excludit, vnde concludit. *Præstat igitur, vt eius sit proprius iste motus, quo fruendi voluntatem ad creaturam à creatore conuertit.* & infrà. *Præterea quid opus est quærere vnde iste motus existat, quo voluntas auertitur ab incommutabili bono, ad commutabile bonum, cum eum non nisi animi, & voluntarium,* (id est liberum,) *& propter hoc culpabilem esse fateamur?* In quo discursu adiunctis verbis suprà allegatis ex libro 1. cap. 11. satis profectò indicatur sensisse Augustinum, ideo non esse Deum causam peccati hominis, quia licèt faciat motum illum, quo homo peccat concurrendo cum homine, non tamen faciendo, vt homo illum faciat, aut velit, nec illum mouendo, sed sinendo, vt se moueat, offerendo illi concursum, quatenus ratio, & munus causæ primæ id postulat.

18. Cur Deus non sit peccati causa.

Tantum ergo abest, vt ex illa responsione Augustini ratio à nobis facta eneruetur; vt roboretur potiùs, & confirmetur. Nam reuera potissima ratio, & fortasse vnica, cur Deus concurrendo ad totum materiale peccati, nullo modo causat formale, est, quia ad illum actum, cui coniuncta est malitia, non impellit vllo modo humanam voluntatem, sed sinit illam se determinare, & ex parte sua solùm offert cõcursum modo quodam de se indifferente ex generali lege non subtrahendi causis secundis cooperationem necessariam, & suis naturalibus facultatibus consentaneam. Nam quia liberum arbitrium duplicis determinationis est capax in bonũ scilicet, & in malum, licèt Deus ex se bonam eius determinationem cupiat, nihilominus neutrũ dare voluit, generaliter loquendo, ne vsum naturalis libertatis impediret, ac propterea voluntati commisit, vt in quam vellet partem, se determinaret, & ad vtramq; determinationẽ concursum sufficientem obtulit, ideóq; licèt determinatio ad obiectum prohibitum non fiat sine concursu Dei, radix tamen eius & propria origo est voluntas creata, & ideo ipsa est causa illius mali quod ex tali actu sequitur, non Deus. Et ideo etiam Deus propriissimè dicitur illam malitiam permittere, quia illam non intendit, neq; aliquid ex quo illa necessariò sequatur, sed solùm sinit voluntatem, vt ipsa se quo voluerit determinet, neutram partem impediendo efficaciter, & hoc est propriissimè permittere. At verò si Deus esset prima radix, & causa faciens Voluntatem determinari ad obiectum, cui est vel intrinsecè, vel hîc, & nunc inseparabiliter coniuncta malitia, illi esset attribuendus lapsus tamquam impellenti in illum, & non posset dici solùm permittere illum, sed potiùs facere: neque haberet excusationem vllam, quia non ex vi generalis necessitatis causæ primæ, sed ex sua tantùm voluntate determinaret suum concursum ad hanc partẽ potiùs quàm ad illam: quod non ita est in concursu concomitante, quem negare non debet, neque impedire, quominus in particulari talis sit, qualis per liberi arbitrij concomitantiam fuerit determinatus. Nec aliter hanc rem explicare potuerunt antiqui Theologi Bonauentura, Scotus, Gabriel & alij cap. 19. allegati, nec D. Thomas aliter eamdem difficultatem resoluit, vt mox videbimus.

Septima ratio, quæ (vt suprà dixi,) ex præcedenti resultat, & eam confirmat, est, quia Deus ex parte rationis moueret voluntatem ad obiectum peccati consulendo illud, vel considerationem eius excitando aut augendo, quamuis non consuleret malitiam directè, esset nihilominus simpliciter causa peccati, & ideo repugnat bonitati Dei ita mouere ad actum peccati, etiam pro materiali; ergo multo magis erit Deus causa peccati, si efficaciter voluntatem impellat in talem actum, quem sine peccato facere non potest, magisque hoc bonitati Dei repugnat. Respondebunt fortasse diuersitatem aliquam rationis excogitando. Nam si Deus suadendo induceret ad actum peccati, esset causa moralis eius, & ideo esset causa malitiæ moralis, quia effectus vnius generis in causam eiusdẽ generis reducitur: at verò cùm mouet prædeterminando potentiâ, operatur vt causa physica, & ideo est causa entitatis physicæ, non malitiæ moralis. Sed hæc suasio facilè refellitur, quia causa denominatur moralis, vel ex modo operandi ex parte sua, scilicet liberè, vel ex modo influendi in effectum, quia non est directè, & per se illi dando esse, sed inducendo, vel inclinando causam priori modo moralem ad effectum. Prior causa licèt sit moralis, simul potest esse physica, sicut voluntas ipsa est causa moralis, & physica sui actus liberi; hoc autem modo Deus est etiam causa moralis, quia liberè agit, imò iã probaui, quòd si prædeterminat ad actum peccati hominis voluntatem summa efficacia pro sola sua libertate id facit, ergo licèt physicè etiã determinet, erit causa moralis, & physica: ergo erit multo magis causa peccati, quam si solum consuleret peccatum: sicut voluntas consentiens tentationi dæmonis, magis est causa sui peccati, quàm dæmon, licèt ipsa sit causa physica sui actus realis, & dæmon tantũ sit causa moralis. Vnde posterior modus causæ moralis, licèt sufficiat ad aliquem modum causandi peccatum, non est simpliciter necessarius, quia si cœlum, v.g. per impossibile determinaret voluntatẽ ad actum peccati per suum influxum, esset causa peccati, licèt non moralis, sed physica, & habitẽ vitij potest dici causa peccati, licèt non influat in actum modo morali sed physico, & quia suo pondere inclinat voluntatem ad actum potissimum peccati: Deus autem si inclinaret voluntatem ad actum peccati speciali modo excitando passionem in appetitu, diceretur causa peccati, quia illo modo induceret hominẽ ad peccatum, etiamsi passionem illam physicè causaret. Denique minus influit in actum causæ moralis, quàm physica; ergo si moralis causalitas sufficit, vt aliquis dicatur causa peccati, quamuis vt dicatur causa moralis, necessarium sit vt illam motionem physicam moraliter, id est, liberè tribuat, quod etiam in Deo inuenitur, vt dixi.

Vnde sumi potest octaua ratio, quia si Deus præmouet, applicat, & efficaciter determinat voluntatem hominis ad actum, qui peccaminosè fit, fiet aliter hîc, & nunc fieri potest, sequitur non solùm esse causam physicam, sed etiam moralem: consequens multo magis falsum est; ergo. Probatur sequela, quia Deus est nõ tantùm causa physica illius actus ad quem prædeterminat, & ipsiusmet prædeterminationis, sed etiam est causa moralis vtriusq; ergo est etiam causa moralis peccati. Probatur cõsequentia, quia dæmon tentans, & homo malè consulens, non alia ratione est causa peccati, nisi quia est moralis causa inducens hominẽ ad illum actũ: nam ad malitiam ipsam in se, & directè non inducit, sed solùm quatenus ad actum consequitur, ergo si Deus est causa moralis non solùm inducens, sed etiã impellens efficacissimè, est profectò causa moralis peccati. Quod autem Deus in illa actione sit causa moralis ex parte suæ libertatis, manifestũ est

est, nam Deus liberè mouet, & determinat voluntatem. Deinde quoad modum causalitatis, seu influxus in voluntatem, probatur, quia propter influxũ physicum habet etiam moralem, quia si Deus non tantùm prædeterminat voluntatem immediatè ad concursum, iuxta illam sententiam, sed etiã prędeterminat intellectum ad cogitandũ de tali obiecto, & ad tale iudicium de illo ferendũ. Et quando obiectum illud per alias causa secundas applicandum est, illas etiam ad illam applicationem prędeterminat, ac tandem etiam prædeterminat intellectũ ad tale iudicium de tali obiecto ferendum; ergo mediante tali cogitatione & iudicio est causa moralis inducens voluntatem ad talem consensum: non enim dæmon, vel malus homo alia ratione est causa moralis similis consensus, nisi quia medio aliquo obiecto, vel consilio moraliter mouet voluntatem.

11. Confirmatur hæc ratio.

Accedit quòd si Deus per deliberationem sufficientem ad consensum determinat voluntatem ad illum etiam ante perfectam deliberationem, existente in intellectu imperfecta cogitatione, determinabit voluntatem, & appetitum ad indeliberatos motus concupiscentiæ, & affectiones inclinantes ad consensum; ergo hac etiam ratione erit causa moralis talis consensus: nam hic etiam modus causandi, quo appetitus inferius excitat superiorem, & affectio indeliberata ad indeliberatum consensum inducit, moralis est, vt in superioribus de excitante gratia est declaratum: eadem enim est proportio in cæteris actibus. Sicut ergo Deus est causa moralis actuum perfectorum gratiæ, excitando voluntatem, non solùm medio intellectu, sed etiam per antecedentes affectiones eius bonas, ita erit causa moralis illius consensus realis, quo peccatur, inclinando voluntatem, tam per intellectum, quàm per prævios motus eiusdem voluntatis; nihil ergo deerit vt absolutè & simpliciter sit causa peccati. Potest autem quis obiicere, hoc argumentum eodem modo procedere contra concursum simultaneum Dei, quia per illum etiam efficit cogitationem, & iudicium intellectus, & omnes prævios motus concupiscentiæ. Respondemus autem esse longe diuersam rationem, supponendo, quòd Deus nullam causam præmoueat ad actionem suam, quia tunc solùm ad modum causæ naturalis cum singulis concurrit, non verò moraliter inducit, vt iu sequenti ratione ampliùs explicabo.

12. Abſurdũ Deus voluntate directa prædeterminabit ad peccatum quod eius bonitati repugnat.

Nonò confirmatur rationes factæ: nam sequitur Deum ex intentione directa, qua ex se decreuit vt voluntas hominis habeat talem actum, quem scit sine peccato eiusdem hominis fieri non posse, prædeterminare hominem ad ilium actum: hoc autem repugnare videtur diuinæ voluntati, & sapientiæ; ergo & prædeterminatio illa. Sequela probatur, quia qui ponunt Deum efficere in voluntate hominis illam prædeterminationem, consequenter dicunt, illam supponere in Deo voluntatem absolutam, & efficacem, qua vult vt homo hic, & nunc, & circa tale obiectum habeat talem consensum, & ab illa voluntate dicunt procedere prædeterminationem ad extra: illa autem voluntas Dei est efficax intentio talis effectus; ergo ex intentione absoluta eiusdem effectus, & propter illum dat Deus illam prædeterminationem. Atque ita videntur planè confiteri authores contrariæ sententiæ, dicent tamen non repugnare diuinæ bonitati, quia Deus non intendit malitiam illius actus, sed actum ipsum, quia naturaliter bonus est.

13. Reiicitur responsio affirmatiuam.

Nihilominus tamen hoc non euacuat difficultatem. Primò, quia non solùm est contra prudentiam, & integram bonitatem intendere malitiam actus, quod vix Dæmones faciunt; sed etiam intendere ex se, ex propria tantùm voluntate actũ alterius, à quo in illo malitia est inseparabilis, nam ex obiecto ipso, & ex terminis apparet in tali intentione quædam indecentia, & improportio, cum summa prudentia, & purissima bonitate. Deinde, quia homo prouocans alium ad cooperandum peccato suo, non intendit, vt ille cooperetur ad malitiam, sed solùm ad entitatem operis, sibi vtilis, vel delectabilis; tamen quia illi cooperationi politiuæ necessariò est coniuncta malitia, ideo illam intendere contra prudentiam, & bonitatem est; ergo multo magis repugnat bonitati diuinæ similis intentio. Nec refert, si dicas homini esse prohibitum inducere alterum ad sibi cooperandum in actu peccati, & ideo in eo peccare, Deum autem non peccare. Iam enim dixi nunc non tractari, an Deus peccet, nec ne, sed an illa sit intentio virtualis malitiæ, propter quam repugnet Deo, & quoad hoc videtur concludere exemplum à paritate rationis. Accedit, quòd in homine id non est malum, quia prohibitum: quod autem tale est, etiam repugnat Deo, non propter prohibitionem, sed propter intrinsecam bonitatem eius, sicut est mentiri, & similia. Nam certè non videtur minus aliena à diuina bonitate talis intentio, quàm mendacium, quam proportionem in sequenti ratione ampliùs explicabo.

14. Confirmatur.

Deniq; si Deus efficaciter intendit, vt homo habeat talem actum, certè ex vi illius intentionis efficit in illo talem cogitationem; imò & procurat, vt illa sit apta, & congrua ad illum concursum obtinendum; ergo inducit ad illum actum, vt propriissima causa moralis, quia & moraliter operatur ex intentione talis finis, & ex eadem intentione applicat media, quæ moraliter possint hominem mouere, & inducere ad talem actum, est ergo causa moralis talis actus cum omni proprietate. Verumtamen non deest author, qui non solùm hoc concedat, sed etiam doceat, Deum prædeterminare moraliter voluntatem hominis ad consensum, cui necessariò est coniuncta malitia. Ledesma enim art. 18. concl. 4. & 5. licèt certissimum esse dicat, Deum non prędeterminare moraliter voluntatem hominis ad actum, qui est peccatum, consulendo, vel præcipiendo illum; nihilominus addit esse certum Deum prædeterminare moraliter, & morali modo voluntatem hominis ad actum peccati, quoad substantiam eius, æquè & ad actum virtutis, tum prædeterminando immediatè voluntantem modo accommodato suæ naturæ, tum per cogitationem proponendo voluntati obiectum secundum quandam rationem boni, & conuenientis, fatetúrque hoc sequi ex alia sententia physicæ prædeterminationis.

Ledesmæ doctrina insolita Deo prædeterminationẽ moralem ad peccatũ consulendi.

15. Confirmatur.

At hoc ipsum nobis sufficere videtur ad euitandam, & fugiendam illam sententiam. Vnde non inuenio alium sectatorem illius assertionis de physica prædeterminatione, qui ausus fuerit, etiam prædeterminationem moralem ad actum peccati Deo tribuere. Et licèt fortè Ledesma magis consequenter vim illationis viderit, nimium tamen videtur excedere admittendo tale consequens, quia non apparet qua ratione negari consequenter possit, Deum esse causam moralem peccati, quia quod non intendat directè malitiam, non esse sufficiens ratio, vt sæpè probatum est: in reliquis autem habet omnia, quæ in quacumque causa peccati, extra ipsummet hominem peccantem inueniri, aut desiderari possint; sed ait, Deum ex parte intellectus solùm tribuere id, quod necessarium est ad determinandam moraliter voluntatem, vt liberè eliciat talem actum; vltra hoc verò non addere quidpiam aliud quo voluntatem alliciat ad talem actum,

vel

vel illum consultet. Et hoc satis esse putat vt Deus non causet peccatum, sed hoc improbatur efficaciter. Primò, quia ad absolutam rationem causæ non est necesse vt faciat superabundanti, aut excedenti motione (vt sic dicã,) sed satis est quòd faciat sufficienti, & efficaci, & hoc conceditur Deo respectu peccati, tam in genere causæ physicæ, quàm moralis; ergo in vtroque genere est causa peccati. Secundò, quia inde optimè demonstratur, vt Deus sit causa peccati, non esse necessaria illa directa intentio; ergo sic inducit sufficienter, & efficaciter ad actum habentem intrinsecè annexam malitiam, licèt illam non intendat, neque extraordinariam motionem præbeat, illa sufficiet, vt sit vera causa moralis, & physica peccati.

26. Præterea ad idem argumentor, quia illud iudicium, quod sufficit, & necessariò præcedere debet, vt voluntas peccet, est quoddam consilium, vel potiùs supponit illud, & est quasi consummatio consilij, iuxta doctrinam generalem de actibus humanis, ergo si Deus ita præmouet, & prædeterminat intellectum ad illam cogitationem, & consultationem. vt tandem perueniat ad tale iudicium, ideo dicitur determinare voluntatem moraliter; eadem ratione dicendus est mouere consulendo, quia illud consilium totum ex prædeterminatione Dei est, & ideo illi tribuendum est; est ergo Deus causa moralis illius actus, consulendo illum; ergo est in eodem genere morali causa peccati: nam si consuleret vehementiori, aut specialiori modo, licèt id faceret intentando solum actum sine intentione malitiæ, esset nihilominus causa malitiæ peccati; ergo etiam consulendo quantum sufficit, & efficax est ad prædeterminandum moraliter, erit causa malitiæ.

27. Ledesmæ responsio. Videtur autem dictus author tacitè ad hoc respondere quadam mirabili doctrina, videlicet iudicium, quod præcedit actum peccati, licèt in se sit vnum habere duplicem rationem, vnam secundùm quam indicat, verbi gratia actum dicendi falsum, hîc, & nunc esse conuenientem, & vtilem, ac proinde sub aliqua ratione bonum, aliam secundùm quam iudicat esse malum contra rectam rationem; & sub priori ratione dicit, iudicium illud esse à Deo, non autem sub posteriori ratione, *quia Deus* (ait) *non producit illud iudicium, quatenus dicta de ipso peccato vt sic.* quia tale iudicium est peccatum, & hac ratione videtur concludere Deum non esse causam moralem peccati; licèt sit causa moralis ipsius actus, qui est peccatum.

28. Confutatur Sed doctrina illa neque euacuat difficultatem, nam vel est sermo de iudicio intellectus, vt ordine naturæ antecedit consensum liberum voluntatis, vel vt subsequitur. Priori modo nulla ratione considerari potest sub qua non producatur à Deo, tum quia sub nulla ratione potest esse peccatum, cùm sit ante liberum consensum voluntatis, tum quia iudicium de actu peccati, vt malum est, & contra rationem; id est, quo iudicatur tale esse, verum est; ergo simpliciter bonum, & à Deo; imò etiam per se potest esse intentum, vt datum à Deo sub illa ratione, potius quàm sub alia, quia sub illa magis auertit voluntatem ad affectu, quàm inuitet illam. Iudicium autem de actu peccati, quòd sit delectabilis, vel alia inferiori ratione conueniens, licèt sit verum, & fiat concurrente Deo, cùm de se magis inclinet ad peccatum, seu actum peccati, non est sub ea ratione ab ea intentum, sed permissum. Iudicium verò practicum quod potest esse de actu peccati exercendo, vel per consensum amplectendum, licèt in quantum præfert bonum incommutabile commutabili, sit falsum, nihilominus à Deo producitur per concursum generalem, quia habitudo talis iudicij ad tale obiectum quid reale est, & ideo non potest esse sine efficacia Dei; ergo nullum est iudicium de actu peccati, quod non producatur à Deo; ergo euanescit illa distinctio, ergo si Deus prædeterminat homini, vel procurat hæc duo posteriora iudicia, vt hominem ad materialem consensum circa materiam peccati inducit, non videtur posse negari, quia ad peccatum moraliter inducat, sicque vera causa eius, quod nec conceditur, nec concedi potest.

Hîc autem iterum occurrit euasio, quia simile argumentum fieri potest, licèt demus, Deum concurrere ad substantiam actus peccati per solum concursum simultaneum, quia hoc non obstante semper præcedit iudicium intellectus, quo voluntas moraliter mouetur, & inducitur, & Deus efficit illud iudicium; ergo per illud dicetur inducere moraliter voluntatem ad actum peccati, ac proinde esse causam moralem peccati. Respondemus esse longè dissimilem rationem: nam è medio sublata prædeterminatione physica, etiam ipsum iudicium fit à Deo, physicè solum per concursum concomitantem, qui concursus non datur ex peculiari, & efficaci intentione inducendi voluntatem in talem consensum (in quo nos ponimus deformitatem causalitatis moralis, quæ ex contraria sententia sequitur, sed datur ex generali intentione concurrendi cum causis secundis iuxta exigentiam earum. Vnde determinatio ad tale iudicium, non est primariò ex Deo, sed ex concursu causarum secundarum, & ideo non potest dici Deus moraliter influere in tale iudicium, sed physicè, licèt illummet influxum liberè ac subinde moraliter quoad modum agendi ex parte Dei tribuat. Alunde verò licèt iudicium illud semel factum, & existens in intellectu moraliter inducat hominem, nihilominus illa inductio vt moralis non tribuatur Deo, quia neque à Deo intenta, neque fit per nouam actionem, sed per solam metaphoricam motionem, & quasi per formalem cognitionem, quam præbet ipsum iudicium, ideòque nullo modo potest tribui Deo, vt moraliter mouenti, seu inducenti voluntatem.

Nec enim necesse est vt omnis effectus formæ efficienter à Deo productæ refundatur in Deum in eodem genere causæ: nam licèt forma det formaliter suum effectum, Deus non dat formaliter, sed effectiuè; sic ergo licèt illud iudicium moraliter, seu metaphoricè moueat voluntatem, Deus non mouet illam, moraliter inducendo illam; quia nec Deus illam inductionem intendit neque ad illam aliquid ex parte sua adhibet præter physicum consensum ad entitatem ipsius iudicij. Longè autem diuersa ratio est, si omnes hi actus ex prædeterminatione, & primaria Dei intentione fiant; sic enim Deus præordinat, & quasi vtitur intellectu, & eius iudicio ad inducendam moraliter voluntatem in talem actum; per quam intentionem, & ordinationem, motionem illam moralem suam facit, atque ita ipse est prima causa moralis, & efficacissima illius actus. Item, quia consequenter dicendum erit, Deum obseruare occasiones, & disponere causas excitantes talem cogitationem tali modo, & oportunitate, vt effectum illum consequatur. Et licèt de solo actu materiali admittatur, est satis magnum absurdum, & indignum diuina bonitate. quòd suo solo arbitrio, & prouidentia physica, & morali procurauerit Deus, vt essent in humano genere innumeri penè actus, à quibus est insuperabilis malitia, præterquam quòd illo posito vitari non potest, quin Deus sit causa

causa moralis peccati, & ipsius malitiæ, vt satis probatum est.

CAPVT XLVII.

Sententia superioris capitis ex Scriptura, & Conciliis colligitur.

1. Deum non determinare ad actum peccati ostenditur ex Scriptura

EX his rationibus, quibus veritatem nostræ sententiæ, eiusq; pietatem ostendimus, colligimus vlterius, quàm sit contraria sententia aliena à modo, quo Scriptura loquitur de affectu Dei erga peccatum, & eos, qui illud committunt. Nam de peccato dicit Sapient 14. *Odio Deo sunt impius, & impietas eius*, Respondebunt hoc dictum esse de peccato, vt peccatum est, & de malitia eius. Et est quidem hoc verum, sed non infringit vim testimonij. Nam quomodo credibile est, vt qui malitiam non ficto, sed verò, & ingenti odio prosequitur, actus ipsos, à quibus est inseparabilis malitia, tanto amore prosequatur, vt absoluta voluntate primaria, & solius sui beneplaciti ex æternitate, tot actus similes fieri, disposuerit que eos in tempore efficaci prædeterminatione faciat, vt à voluntatibus humanis fiant? Certè hoc non esset odij indicium, sed magnum argumentum amoris erga malitiam, quæ tales actus comitatur: quod absit de Deo sentire, eodemque modo induci possunt verba Abac. 1. *Mundi sunt oculi tui ne videant malum, & ad iniquitatem respicere non potes.* Si enim Deus voluntate beneplaciti vult, & facit facere actus peccatorum, approbat illos, & libenter videt, acrespicit approbationis scientia, continenturque sub illis verbis: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Qui ergo fieri potest, vt qui ita odit malitiam, vt in illam respicere non possit, ita approbet, sciat, & velit actus, sine quibus illa malitia non esset, neque ipsi possunt esse, quin illa sequatur? Certè hæc duo non cohærent cum prudenti dispositione, & mundissima voluntate.

Cap. 1.

2. Alia loca Scripturæ.

Præterea ad peccatorem dicitur Ecclesiast. 15. *Ne dicas per Deum abest, ille me implanauit*, cuius testimonij priora verba in libro sequenti sæpe repetemus ad colligendum ex illis auxilium sufficiens ex parte Dei ad non peccandum. Vnde à fortiore sumitur argumentum: nam illa excusatio carentiæ auxilij sufficientis, si vera esset, sufficiens esset, vt ibi ostendemus; ergo multo magis erit iustissima excusatio peccatoris, si possit dicere, Deum prædeterminasse voluntatem suam ad actum peccati; quid enim poterat ipse facere, ne talem determinationem reciperet, vel ne illa recepta consentiret? Item in hac excusatione reuera includitur altera de negatione auxilij sufficientis, quia illa prædeterminatio est efficacissima motio ad consentiendum, seu volendum bonum delectabile, vel vtile propositum; ergo qui non habet auxilium ad cauendam illam necessitatem, vel resistendum illi non potest dici habere auxilium sufficiens ad non habendum illum consensum, vel actum volendi, & multo minus habet potestatem ad habendum illum sine peccato; ergo non habet auxilium sufficiens ad non peccandum, præterquam quòd nec ad dissentiendum habet necessarium auxilium, quia non habet prædeterminationem, sine qua impossibile est habere actum dissentiendi: quod argumentum in lib. 5. latiùs tractandum est.

10. Continetur doctrina de illis.

13. Vegetur idem locus.

Posteriora autem verba illius testimonij videntur pro causa præsenti satis expressa, quid enim est *peccatorem implanare*, nisi vel decipere, vel inducere, vt legit Augustinus de Grat. & lib. arbitr. cap. 2.

Vtrumque actum facit Deus si ad actus, quibus homines peccant, eos prædeterminat, quia, vt ostendimus, si Deus præuenit voluntatem, vt velit obiectum prauum, multo magis præuenit intellectum, vt iudicet illud esse volendum; cum autem Sapiens dicat: errant, qui operantur malum, illud iudicium semper includit practicam deceptionem; ergo si Deus illam per concursum præuium immittit, non sine causa dicere potest peccator, ille me implanauit. Secundò probatur, quia ille, qui impellit ad actum cum quo peccatur, & sine quo non peccaretur, in eundem maximè inducit, ita verò se habet Deus erga hominem peccatorem, si illum prædeterminat, quia prædeterminatio illa est quidam vehemens impulsus, non solum inducens, sed quasi etiam præcipitans peccatorem in talem actum. Cum ergo miser homo iure non dicat, ille me implanauit?

4. Confirmatur.

Cum ergo Sapiens talem excusationem, vt friuolam reiciat, satis certè includit talem de Deo opinionem, quod prædeterminet homines ad actus, quibus peccata committuntur. Nam quòd Sapiens loquatur non solum de malitia actuum, sed etiam de ipsis actibus, ratio, quam subiungit, manifestat, dicens, *Ne dicas, ille me implanauit, non enim necessarij sunt illi homines impij.* Qui enim aliam in peccatum inducit, non solet id facere, quia indiget eius malitia, sed quia necessariam sibi reputat eius actionem, vel ad suam delectationem, vel ad vtilitatem, vel ad explendum aliud desiderium suum. Sic ergo ait Sapiens, non esse Deo necessarios homines impios, quia non indiget ad fines prouidentiæ suæ actiombus quibus ipsi fiunt impij. Vnde etiam colligitur, Deum ex se non præordinare, aut velle, vt tales actiones fiant, sed permittere tantùm illas, non negando necessarium concursum, & postquam præuidet futuras, illas ad pœnam ordinare, vel occasionem maius aliquod bonum faciendi ex eis sumere.

5. Alia loca Scripturæ. *Iacob. 1.*

Atque ad eumdem modum confirmari potest eadem veritas ex aliis locis Scripturæ, in quibus dicitur, *Deum neminem tentare*, Iacob. 1. vtique ad malum, siue vt malum est, siue vt est actus, à quo non separatur à malitia. Hunc enim sensum præcedentia, & subsequentia verba manifestè postulant: ait enim Iacob, *Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur.* At non dicuntur homines tentari, quomodo inducuntur, vel sollicitantur ad malitiam, vel ad peccatum formaliter, vix enim, aut nunquam talis tentatio accidit, sed tentantur, quando sollicitantur, vel inducuntur, vt faciant talem, vel talem actum cui coniuncta est malitia; hoc ergo modo prohibetur vnusquisque dicere, quoniam à Deo tentatur; eodem ergo modo dicitur Deus neminem tentare. Item additur ibi, *sed vnusquisque tentatur à concupiscentia sua*, At concupiscentia non tentat inducendo ad malitiam formaliter vt est per se notum: quia malitia non cadit sub sensum, sed inclinando voluntatem ad bonum sensibile, quæ inclinatio de se non est ad malum cum naturalis sit; ergo eodem modo non tentat Deus: ergo multo minus voluntatem ad tale bonum amandum determinat. Probatur hæc vltima consequentia, quia multo maior, & efficacior esset talis motio, quam quælibet alia tentatio, quæ ab homine, vel dæmone fieri solet: imò etiam, quàm tentatio ipsiusmet Dei, si per impossibile per quancumque aliam motionem præuiam, vel excitationem ex parte obiecti, vel voluntatis à Deo fieret, nulla enim tam efficax esset sicut prædeterminatio.

6. Euasio reiicitur.

Sed fortè quis eludet testimonium, dicendo, illam prædeterminationem non esse tentationem; qui tentationi resisti potest: illi autem prædeterminationi resisti non potest. Ad hoc est

tantùm voce ludere, & maius absurdum in re concedere. Nam si turpe est, & Deo indignum ita nos præmouere ad tales actus materiales, vt & resistere possimus, profectò turpius, & deformius est, ita præmouere nos ad eosdem actus, vt illi non possimus resistere præter alia multa absurda, quæ inde sequuntur, nimirum, quòd vim quandam inferat Deus voluntati humanæ, vt eam facere faciat huiusmodi actus, & nihilominus eam puniat, vel quia non resistit, vel propter malitiam, quæ inde necessariò resultat. Item reuera quòd Deus sit prima radix perditionis hominum, contra illud Oseæ 13. *Perditio tua Israel ex te.* Et sequela patet, nam perditio hominis consistit in auersione à Deo, proxima autem radix auersionis à Deo est conuersio ad commutabile bonum; huius autem conuersionis prima radix est efficax Dei voluntas, & prædeterminatio humanæ voluntatis ad tale obiectum, quam Deus sola sua voluntate facit; ergo ad illam vt ad primam radicem hominis perditio reuocatur, quod abest. Quartum, ergo illa sententia est à Scripturæ locutionibus aliena, tantùm nostra est illis conformis.

7. Auctoritas Concilior. Idem est dis. *Trident.*

Secundò ex dictis colligitur idem dicendum esse de authoritate Conciliorum, & in primis Concilij Trident. sess. 6. Can. 6. damnantis, dicentes, *Non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita vt bona Deum operari; non permissiuè solùm, sed etiam propriè, & per se, adeò vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli.* quæ verba *Diotaleuius* doctissimè expendit Diotaleuius in cap. 7. 1. partis libri sui; notatque tres propositiones à Concilio damnatas, quibus respondent tres definitæ. Prima definita est esse in potestate hominis vias suas malas facere, in qua in primis aduerto, per *vias* non posse intelligi nisi actus morales hominis, quia illi sunt viæ salutis, aut perditionis, vnde statim explicantur per bona, vel mala opera. Dicuntur autem esse in hominis potestate, vtique libera, non præcisè quoad malitiam, sed quoad ipsos materiales actus (vt sic dicam,) imo malitia ipsa propriè, & per se non est in hominis potestate, nisi mediante actu, quia si homo faciat talem actum moralem hîc, & nunc, non est in noua eius potestate facere, vt sit malus, aut bonus; ergo malitia ipsa, vel actus vt malus, non est in potestate voluntatis, nisi in quantum actus ipse realis ad quem malitia sequitur, est in eius potestate. Definit ergo Concilium actus ipsos reales, quibus homo efficitur malus, esse in hominis potestate; hoc autem non videtur posse cum prædeterminatione subsistere, quia non habet in sua potestate prædeterminationem ad bonum actum, nec etiam potest impedire quin recipiat prædeterminationem ad actum, qui sit malus, si Deus velit illam dare, neque illa posita est in potestate eius facere, quin malitia sequatur actum; quando ergo, vel quomodo est in potestate liberâ hominis vias suas malas facere?

Diotaleuius

Prima propositio definita à Concilio.

8. Secunda propositio definita à Conc.

Secunda propositio à Concilio definita est, *Deum non operari mala propriè, & per se, sed permissiuè solum.* Contrarium autem videtur sequi ex prædeterminatione ad actus, qui sunt peccata. Iam enim suprà ostensum est expositone illius determinationis sequi, peccatum non esse permissum, sed factum aut volitum; ergo multo minus subsistere poterit, quod Concilium cum exclusiua ait, *fieri permissiue solum.* Dices loqui Concilium de actu vt malo, seu de malitia ipsa, non de actu ipso materiali, aliàs falsa esset exclusiua, quia materialis actus, non tantùm permissiuè, sed etiam propriè, & efficienter necesse est à Deo fieri per generalem concursum. Sed contrà, quia da eodem actu malo dicit Concilium fieri à Deo tantùm permissiuè, de quo dixerat esse in potestate hominis, sed illud priùs dixerat de ipso actu, qui per se ac realiter fit in voluntate hominis; ergo de illo etiam dixit Concilium fieri à Deo permissiuè solùm. Ac proinde sicut malitia non est in potestate hominis, nisi in quantum actus ad quem illa sequitur, est in hominis potestate, ita etiam malitia est tantùm permissiuè à Deo, quia actus ad quem illa sequitur, non est à Deo propriè, ac per se, sed permissiuè solùm; ergo è conuerso si actus ipse non est à Deo permissiuè solùm, sed propriè ac per se, etiam peccatum, seu malitia non est tantùm permissiuè à Deo, sed per se, & ex intentione Dei, saltem virtualiter, seu fundamentaliter. Et confirmatur, nam Concilium in illo canone, præcipuè intendit sententiam Caluini damnare. Caluini autem sententia fuit, Deum esse causam per se peccatorum, quia est causa per se, & efficaciter inducens homines in illos actus reales, quibus peccant, quibusque est intrinsecè annexa malitia peccati; ergo etiam Concilium loquitur de ipsis actibus, aliàs non sufficienter damnasset Caluini sententiam. Vnde idem Caluinus in Antidoto circa illum canonem, licèt expresisè fateatur, malitiam non esse opus Dei, nihilominus sentit hanc definitionem Concilij Tridentini sibi contrariam, & idcirco contra illam obiicit varia Scripturæ, & Augustini testimonia malè intellecta, quæ in lib. 2. de Auxiliis latè tractaui, & infrà attingam.

Aug.

Nec huic definitioni sic intellectæ obstat, quòd Deus concurrat effectiuè per concursum simultaneum ad actum peccati, quia illa particula exclusiua *solùm*, non excludit concomitantia: in ipso autem conceptu, & significatione verbi permittendi in tali materia includitur, quòd Deus quantum est ex se, offerat libero arbitrio concursum simultaneum, & in manu eius vsum illius constituat, & consequenter quòd ex certa lege cum ipso libero arbitrio se determinante concurrat. Cùm ergo Concilium dicit solùm permissiuè, non excludit hunc concursum, sed excludit omnia, quæ vltra puram permissionem Caluinus diuinæ voluntati tribuebat, quale est prærordinare, & prædeterminare voluntatem hominis ad actum peccati, & per se intendere actus reales peccatorum, etiamsi inseparabiles habeant malitias, & in hoc sensu damnat Concilium dicentes, Deum operari propriè, & per se mala opera, vtique illa procurando, & libetrum arbitrium ad ea determinando, & per se illa intentendo, non propter malitiam, sed propter aliam naturalem bonitatem, quam habent; sic enim homo peccans per se, & propriè facit actum malum, etiamsi malitiam non per se intendat, sed delectationem, vel aliquid huiusmodi; ergo si Deus per se ac directè intendit actum malum, & ad illum voluntates nostras determinat, per se, & propriè operatur illum, quod est contra Concilium.

10. Propositio definita à Concil.

Quod magis explicuit Concilium addendo tertiam propositionem, nimirum, *non ita esse proprium opus Dei proditionem Iudæ, sicut vocationem Pauli*, & contrarium asserentes anathemate ferit. Videtur autem illud dogma contrarium ex physica prædeterminatione, sequi, loquendo de ipsis actibus realibus, vt iam ostendimus, loqui Concilium, & in prædictis verbis expressiùs declarat, agens de ipsis actionibus externis. Bonum ergo opus dicitur proprium Dei, quia

quia & illud intendit, & faciat, & vt nos faciamus efficaciter, operatur: at iuxta illam sententiam eodem modo intendit Deus per se, & facit proditionem Iudæ, nam vt Iudas vellet vendere, & actu venderet Christum, Deus ipse fecit, vt suprà probatum est contra illam sententiam; ergo fuit tam opus Dei, sicut quodlibet opus bonum. Item sicut homo accipit à Deo opus bonum, tam propriè recipit ab illo opus malum, & sicut Paulus quoad bona opera vnicuique dicit, *Quis enim te discernit?* ita cum eadem veritate, & proprietate id dicere possumus, iuxta illam sententiam de operante malum, quia illud prius intelligunt dictum esse à Paulo propter prædeterminationem præuiam efficacem; ergo si eamdem dat Deus ad malum opus, ipse est, qui discernit malè operantem à cæteris; ergo æquè propriè operatur Deus in homine malum opus, ac bonum. Vnde sicut benè operanti dicitur, *Quid gloriaris, quasi non acceperis?* ita malè operanti dici potest, quid accusaris quasi non acceperis.

Dicent fortè esse differentiam, quòd ad opus bonum Deus concurrit moraliter consulendo, non verò ad malum. Sed hæc differentia nec iuuat, nec est vera in aliorum sententia; si consequenter loquuntur; tum quia dicunt moralem causalitatem esse impropriam, & metaphoricam, & ideo cum Deo tribuuntur nostra opera vt propriæ causæ efficienti propter physicam efficientiam, & prædeterminationem esse intelligendum, non propter moralem; ergo si in illa effectione, & prædeterminatione physica est æqualitas, illa satis est, vt malum opus dicatur, tam proprium opus Dei, sicut bonum, tum etiam, quia suprà ostensum est, Deum iuxta illam sententiam non tantùm physicè, sed etiam moraliter efficere opera mala, & vt illa fiant, operari, quia non solùm voluntatem, sed etiam intellectum prædeterminat ad tale iudicium, & præcipitando voluntatem impedit meliorem boni considerationem, etsi qui sunt suasores ad malum, ipse illos incitat, & prædeterminat, vt ita suadeant; ergo in vtroque genere est malum opus proprium Dei, non minus ac bonum.

Quòd si dicant differentiam esse, quia Deus per se influit bonitatem actus, non autem malitiam. Respondemus in primis Concilium non solùm loqui de effectione operis mali, vt malum est, sed etiam vt tale opus est, & realiter, ac verè fieri potest. Et in hoc sensu damnat dicentes, non minus esse opus Dei propriè proditionem Iudæ, quàm vocationem Pauli, vt ostendi. Deinde esto vt malitia non per se fiat à Deo, quia à nemine potest per se fieri, vt docet D. Thomas 1. p. quæst. 15. articul. 1. satis est, quòd eo modo quo fieri potest, æquè fiat à Deo ac bonitas seruata proportione, quia sicut Deus facit nos velle obiecta honesta, vnde nostri actus habent directè bonitatem (vt sic dicam;) ita nos facit velle obiecta delectabilia habentia annexam turpitudinem, à quibus nostri actus habent inseparabilem malitiam. Sicut homo qui inducit alium hominem ad actum peccati, non minus propriè dicetur operari peccatum alterius, quamuis, qui consulit opus honestum, opus virtutis operatur. At denique licèt in physico influxu in ipsam bonitatem, & malitiam intercedat aliqua diuersitas, illa nullius considerationis esse potest, aut debet in re morali. Nam, moraliter loquendo, si Deus æquè nostras voluntates determinat ad opera quæ sunt mala, sicut ad bona, tum propriè operatur peccatum in nobis, sicut opus bonum: nam si quid minus influit in malitiam, ideo est, quia illa non est capax maioris influxus, non quia proprissimè non faciat, quidquid necessarium est, vt illa sicut potest fieri, ita fiat.

11. Occurritur euasioni.

12. Altera euasio obstruitur.

D. Thom.

Huc accedunt verba eiusdem Concilij canone 17. *Nullos esse homines diuina potestate prædestinatos ad malum.* Et similia ferè verba habentur in Concilio Arausicano II. cap. 25. possuntq; intelligi, vel de malo pœnæ, vel de malo culpæ, in vtroque habent verum sensum præsenti causæ deseruientem, nam relata ad malum pœnæ, intelligi debent illa verba de prædestinatione, quæ secundùm rationem antecedat præscientiam absolutam culpæ futuræ, nam post præscientiam culpæ sine dubio prædestinat Deus ad malum pœnæ, & est nota ex Prospero ad 15. obiectionem Gallorum, & aliis. Hæc autem prædestinatio ad malum pœnæ, cùm sit ex præscientia culpæ, est ex iustitia, & ideo dici non potest esse ex absoluta Dei potestate, quod Concilia damnant. Si autem definitio illa de malo culpæ intelligatur, non est intelligenda solùm de prædestinatione ad malum, vt malum est, de hoc enim nulla fuit vmquam controuersia, neque aliqui hæretici hoc asseruerunt. In hoc enim sensu tempore Concilij Arausicani, dixerunt aliqui Deum prædestinare aliquos ad malè operandum, vel ad non credendum, & similia, vt suprà in vltimo Prolegomeno notauimus, & sumitur ex Prospero ad obiectum Gallorum, & Vincentij, &c. Et eodem modo hæretici huius temporis ponunt prædestinationem ad malè operandum; ergo in eodem sensu reprobant Concilia illam propositionem. Si autem Deus in tempore prædeterminat voluntas ad mala opera dicto modo, profectò, ex æternitate prædestinauit illas ad malum, id est, ad opera, quæ sine malitia facere non possunt, nam illa duo, scilicet prædeterminare, & prædestinare ad malum actum, sese consequuntur, vel sicut idem, vt aduersarij volunt: & ex eorum sententiis apertè sequitur.

13. Alia verba Trident. expenduntur & Arausicani 2.

14. Conc. Arausic. testi monium.

Denique si opera hæc, quæ semper malè fiunt, per se spectata adeò placent Deo, vt absoluta voluntate ex se, & ante omnem præscientiam illa præfiniat, & si facit vt ab homine fiant, non video, quomodo verum esse possit; quod idem Concilium Arausicanum cap. 23. dicit, homines cùm hæc agunt, suam voluntatem facere, non Dei, quia id agunt, quod Deo displicet, nam reuera faciunt quod Deo placet, quando faciunt, quod Deus eos facit facere, & volunt quod Deus vult eos velle. Nec aliter volunt, aut faciunt malitiam, quàm ipse Deus, non enim per se illam volunt, aut intendunt, sed solùm quatenus volunt actus, seu obiecta, ex quibus illa resultat: at hoc modo etiam Deus vult, & operatur malitiam, vt sæpè ostensum est; ergo illo etiam modo, quo homini placet malitia (si tamen placet saltem interpretatiuè,) placet etiam Deo; ergo cùm homo aliquid tale agit; nihil agit, quod Deo displiceat, vel certè si per aliam voluntatem Deo displicet, ipse etiam Deus agit, quod sibi displicet, præterquam quòd si homines ad has voluntates, seu volitiones per diuinam voluntatem, & motionem efficacem prædeterminantur, profectò magis Dei voluntatem, quàm suam facere dicendi sunt. Igitur omnibus his modis satis, vt existimo, declaratur, quantum illa doctrina à Conciliorum sententiis ac definitionibus aliena sit.

CAPVT XLVIII.

Ex Patribus eadem doctrina confirmatur.

1. PP. testimonia non eludi communi destinatione peccati formalis, & materialis.

QVod sententia docens, Deum ex se prædefinire, & prædeterminare actus malos, iuxta Patrum doctrinam, non subsistere variis testimoniis confirmari lib. 2. de Auxiliis cap. 2. quæ nouiores Scriptores parui pendunt, dicentes, Patres esse loquutos de peccatis formaliter, non de actibus materialibus, seu realibus peccatorum. Si autem considerentur rationes factæ, quibus probatum est respectu physicæ prædeterminationis non posse illa duo separari, profectò testimonia Patrum vrgentissima sunt, & notanda in primis sunt quæ dicunt, *Deum non impellere ad furta, adulteria,* & similia vitia. Nam licèt demus illas voces significare peccata formalia, nihilominus homo non impellitur ad illa, nisi quatenus ad materiales actus impellitur, multo autem magis est prædeterminari, quàm impelli. Et simili modo efficacia sunt testimonia Patrum, qui negant Deum inducere, aut trahere hominem ad peccandum, nam, vt hæc sint vera de peccato formali, oportet etiam, vt de actibus ipsis, quibus peccamus, vera sint, quia inductio, & tractio ad peccandum, non fit inducendo, & trahendo ad formalem malitiam, sed ad ipsum peccatum.

Damascen. Vnde Damascenus dixit, *hominem fieri malum propria animi, & voluntatis suæ inductione,* vtique non Dei, sic enim docent originem malorum actuum, non in Deum, sed in ipsum hominem vltimatè reduci, quod verum non esset, si origo prima, & causa faciens non facere tales actus esset Deus, quia nos non facimus peccata, nisi faciendo tales actus, &

Niceni. ita sunt optima verba Gregorij Niceni in orat. catech. cap. 30. vbi postquam ostenderat vocationem Dei ad bonum de se generalem esse, concludit. *Nec enim par erat vi gratia in commune proposita, is qui voluntariè ab ea abscesserit, non sibi, sed alij malam suam sortem adscriberet.* Sic etiam dixit Cyrillus, *non cadere hominem*

Cyrillus. *inexpugnabili Dei iudicio.* & Theodoret. *neque enim Deus Caim fecit homicidam.* Et ad hunc modum cætera ibi allegata satis, vt opinor, efficaciter induci possunt.

Addam vero nunc duo, vel tria testimonia. Vnum est Tertulliani lib. de exhortat. castitat. c. 2. dicentis, *Non est bonæ, ac solidæ fidei sic omnia ad Dei voluntatem referre, & ita adulari ad vnumquemque dicendo, nihil fieri sine iussione eius, vt non intelligamus aliquid esse nobis ipsis. Cetera rum excusabitur omne delictum, si continuerimus, nihil fieri à nobis sine Dei voluntate.* Quæ posteriora verba valdè notanda sunt: nam loquendo propriè nihil fit à peccatore, cùm peccat, nisi actus realis, malitia enim non propriè fit, sed consequitur: si autem homo non facit talem actum, nisi prædeterminatus à Deo, profectò nihil ab homine fit sine efficaci Deo voluntate beneplaciti, & prædeterminante; ergo excusabitur omne delictum. Vnde concludit nobis relictam esse voluntatem eligendi alterum, & inducit locum Ecclesiast. 15. & adiungit, *Et ideo non debemus quod nostro expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem, quos vult ipse, & velle, qui malum non vult. Ita nostra est voluntas cùm malum volumus contra Dei voluntatem, qui bonum vult. Porrò si quæris vnde veniat ista voluntas, qua quid voluntas aduersùs Dei voluntatem, vt breuiter dicam ex nobis ipsis.* Et infrà, *per voluntatis libertatem volens deuergis in id, quod Deus noluit.* Per quæ omnia ostendit ipsam etiam

2. Tertulliani testimonia vrgetur.

determinationem talis actus non esse Deo adscribendam, sed libertati creatæ voluntatis, cui consonant optimè verba Bernardi lib. de Grat. & lib. arbitr. *Vt esset liberum arbitrium, creans gratia fecit, vt proficiat, seruans gratia fecit, vt deficiat, ipsum se deiecit.*

Alter locus est Ambrosij lib. 1. Exaëmer. cap. 8. *Non igitur ab extraneis est nobis, quam a nobis ipsis manu periculum. Intus est aduersarius, intus author erroris, intus, inquam, clausus in nobismetipsis. Propositum tuum speculare, habitum tuæ mentis explora, excubias attende aduersum mentis tuæ cogitationes, & animi cupiditates. Tu ipse es causa improbitatis, tu ipse dux flagitiorum tuorum, atque insertor criminum. Quid alienam naturam accersis ad excusationem tuorum lapsuum? vtinam teipsum non impellures, vtinam non præcipitares, vtinam non corrueres, aut studiis immoderatioribus, aut indignatione, aut cupiditatibus, quæ nos innexos velut quibusdam ratibus tenent.* In quibus multa expendi possunt. Primum quod ait, *non ab extraneis, &c.* nam certè si à Dei prædeterminatione incipit, lapsus profectò ab extra venit, saltem quoad primum initium est necessarium, & efficax. Vnde non haberet locum, quod subdit, *Quid alienam naturam accersis ad tuam excusationem?* Quæ enim rationabilior excusatio, quàm quæ ex Dei prædeterminatione sumeretur, si vera esset? Vnde quod subdit, *Vtinam teipsum non impelleres*, profectò supponit à Deo non impelli, nam si homo à Deo impulsus se impelleret, quid mirum? aut cur excusabilis non est? vt ajebam præimpelli, quàm prædeterminari, nam impulsui resisti posset, non autem prædeterminationi. Et ideo etiam ait, hominem se præcipitare, vtique solùm, & non ab alio. Item dicit, *Tu tibi es dux flagitiorum tuorum*, vtique quoad ipsos actus reales concupiscentiæ, & similes, quod inferiùs magis declarat, dicens, *Illa cauenda, quæ ex nostra voluntate prodeunt delicta inuentutis, & irrationabiles passiones corporis.* Quorum igitur nos sumus digni, horum principia extrinsecus non requiramus, nec deriuemus in alios, sed agnoscamus ea, quæ propriè nostra sunt, quod enim possumus facere, si nolumus, huius electionem mali nobis potius debemus, quàm aliis adscribere.

3. Ambrosij verba.

Iam verò quoniam aduersarij de Augustini authoritate ita confidunt, vt suam sententiam expressam Augustini esse dicant; breuiter ostendamus, illum apertè cum cæteris Patribus, in hac veritate asserenda consentire, & immeritò aliqua eius verba in contrarium sensum detorqueri. Primum satis apertè colligitur ex lib. 1. de liber. arbit. cap. 11. vbi docet, mentem nostram non fieri seruam libidinis à superiori mente præter iustitiam, neque ab inferiori, propter infirmitatem, seu impotentiam eius. Vnde concludit, *Nulla res alia mentem cupiditatis comitem facit, quam propria, & voluntas, & liberum arbitrium.* Certè non fit mens serua libidinis, aut cupiditatis comes, nisi per actum ipsum realem, & inde in eo resultat malitia moralis; ergo de illo met actu docet Augustinus, Deum qui per antonomasiam superior mens dici potest, non reducere nos in illam seruitutem, quod certè faceret si hominum voluntatem ad amorem delectabilium, prædeterminaret. Vnde in lib. 3. cap. 2. ex eodem principio infert. Restat igitur vt eius (id est, humanæ voluntatis) sit proprius iste motus, quo fruendi voluntatem à creatore ad creaturam conuertit: qui motus si culpæ deputatur, non est vtiq; naturalis, sed voluntarius, vbi illum motum, de quo dixerat non esse ex motione superioris mentis à culpæ formalitate, manifestè distinguit, cùm illum ad culpã imputari dicit. Vnde infrà concludit.

4. Augustini sententia aduersariis.

Quid

Quid opus est quærere vnde iste motus existat, cùm illum non nisi animi voluntarium, & ob id culpabilem esse fateamur? per quæ non concludit concursum Dei simultaneum ad talem actum, sed excludit talem influxum causæ superioris, ratione cuius, potius illi, quàm soli libertati voluntatis adscribi possit talis motus. Et in eodem sensu dixit lib. 12. Confession. cap. 11. motum voluntatis, qui est delictum, & peccatum, à Deo non esse.

5. Eiusdem alia loca.

Hinc aliis locis docet Augustinus, nefas esse dicere malas voluntates ad Deum tamquam ad auctorem esse referendas; ita habet lib. 2. de peccator. merit. cap. 18. vbi tractat locum Pauli 1. Corinth. 4. *Quid habes quod non recepisti?* & refert expositionem Pelagianorum dicentium, ideo dictum esse à Paulo, quia ipsum esse hominis, & liberum arbitrium à quo sunt bona opera, & donum, & beneficium Dei, quam expositionem ipse reprobat, quia aliàs etiam mala opera in Deum, vt auctorem essent referenda, & propterea etiam dici potest homini, *Quid habes quod non accepisti?* quod profectò intelligit Augustinus non solùm de actibus malis, vt mali sunt, sed etiam vt tales actus reales sunt, aliàs non satis gratiam Dei defenderet, nec Pelagio contradiceret. Igitur etiam de illis actibus prout effectus reales sunt, absurdum putat Augustinus primam radicem, & causam in Deum referre, siue tribuere, quod nos facit illos facere, aut velle. Vnde cap. 19. subiungit: *Extolli in superbiam propriæ voluntatis est hominum, non operis Dei, nec enim ad hoc eos compellit, aut adiuuat Deus.* Similem doctrinam habet lib. de Grat. Christi cap. 17. & sequentibus, vbi contra Pelagium dicentem bona opera tribui Deo solùm, quia dedit potestatem bene operandi, infert similiter mala opera tribuenda Deo, potestatem autem deficiendi à se habet, quia est ex nihilo, vt in aliis locis passim docet idem Augustinus. Vnde non satis contradiceret Pelagio, nisi de ipsis actibus realibus, qui sunt mali, doceret, non posse ita tribui Deo sicut bonos. Et similem doctrinam habet lib. de spirit. & liter. cap. 34. vbi ad reddendam rationem, ob quam de bonis actibus rectè dicitur, *Quid habes quod non accepisti?* & non de malis constituit discrimen, quod in bonis Deus agit vt velimus, non verò in malis. Quod ipse quidem declarat per gratiam excitantem, vt infrà videbimus. Nunc autem contra eos, qui putant illa verba, ac similia dici propter physicam prædeterminationem, apertè conuincimus iuxta mentem Augustini talem prædeterminationem non posse in actibus malis constitui, aliàs etiam in illis ageret Deus, vt velimus, quod Augustinus negat. vbi etiam obiter noto, Augustinum reputasse necessarium, Deum non negare, vt velimus, & ei non posse attribui peccatum.

6. Augustini vera doctrina in hac controuersia.

Quapropter in eodem sensu accipiendum est, quod aliis locis Augustinus docet, Deum non esse auctorem omnium voluntatum, quamuis omniũ potestatum auctor sit, sic ait lib. de spirit. & liter. c. 31. *Numquam legimus in Scripturis: Non est voluntas nisi à Deo, & rectè non scriptum est, quia verum non est, alioqui peccatorum etiam, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas nisi ab illo,* quo in loco dici non potest Augustinum loqui tantum de voluntate mala formaliter, vt mala est, sed etiam de ipso reali actu voluntatis, quem malitia comitatur; distinguit enim voluntatem à peccato, & ex eo, quòd Deus non est auctor peccatorum, confert, non omnem voluntatem esse à Deo; ergo neq; idem per idem probet necesse est, vt ab actibus voluntatis, vt reales actus sunt, ad peccata argumentetur. Ait ergo non omnes voluntates esse à Deo, quia Deus non immittit omnes voluntatis actus, nec facit eos facere physicè prædeterminando voluntatem, aliàs esset auctor peccatorum, quæ per tales actus committuntur. Hæc ergo est mens, & argumentatio Augustini, vt solida sit. Item cùm de potestate, & voluntate loquatur, oportet cum proportione de illis loqui, loquitur autem de potestate faciendi, sic enim omnis potestas est à Deo: nam quatenus est ex nihilo, vt idem Augustinus libris de lib. arbitr. & sæpe aliàs docet, & exponit optimè D. Thomas in 2. dist. 37. quæst. 2. a. 1. ad 2. Ergo simili modo loquitur Augustinus de voluntate, quatenus est volitio aliquid faciendi, vel aliquid faciens, & sic dicit, non omnem voluntatem esse à Deo, vtique vt primo auctore mouente ad illam, quia aliàs, inquit, esset Deus auctor peccatorum. D. Thom.

7. Differentia inter potestatem, & voluntatẽ quoad malitiæ originem.

Est enim notanda differentia, inter potestatem, & voluntatem, id est, volitionem, quod ad potestatem non necessariò sequitur malitia, sed potest sequi, non ex Deo, sed ex defectu hominis, ideo licèt Deus sit primus auctor potestatis, non sequitur esse auctorem malitiæ. Ex volitione autem aliqua ineuitabiliter sequitur malitia, & ideo si Deus esset auctor talis voluntatis, consequenter etiam esset auctor peccati. Et hæc differentia aliter etiam notari potest, inter concursum generalem concomitantem, & præuiam determinationem: nam prior, quatenus ex parte Dei offertur, est tamquam potestas, & de se sufficiens ad bonum: vnde licèt ex defectu hominis illo etiam posset vti ad malum, tamen ex vi modi, quo à Deo offertur, non habet necessariò adiunctam malitiam, ideoq; licèt per talem concursum Deus ad actum realem concurrat, non est auctor peccati, quia ex se non determinat arbitrium ad talem voluntatem: si autem vltra illum concursum priùs determinat voluntatem ad actũ, qui sine peccato fieri non potest, & hoc modo omnis voluntas esset à Deo, planè etiam peccata à Deo essent, vt optimè colligit Augustinus, qui eamdem habet doctrinam lib. 15. de Ciuit. cap. 9. vbi ait, *Deum esse datorem omnium potestatum, non voluntatum,* & reddit rationem, quia aliquæ voluntates *contra naturam sunt*, quod verum est non solùm de actibus voluntatis vt mali sunt, sed etiam vt actus tales sunt, non dantur à Deo vt à primo determinante voluntatem ad illos, licèt sine concursu illius non fiant. Et optimè hoc confirmat quod ait lib. 3. de l. arbitr. cap. 4. *Deus omnia, quorum ipse auctor est, præsciit, nec tamen omnium, quæ præscit, auctor est.* quod dicit propter præscientiam peccatorum, & verum non esset, si Deus prædeterminaret voluntatem ad actus peccatorum, quia tunc sicut præsciret illos actus esse futuros, ita esset auctor illorum, & in illis necessariò præsciret malitiam, quæ ab illis inseparabilis est, & sicut illa in ipso actu futuro præsciret esse futuram, ita illius auctor existeret, quia per consecutionem ad actum, cuius ipse auctor est, etiam illius auctor existeret.

8. Alia loca Augustini.

Præterea eiusdem est argumentum, quod ex eodem Augustino sumitur lib. 83. quæst. q. 3. vbi ait. *Deo auctore neminem deteriorem fieri, quod probat, quia nullo sapiente auctore fit homo deterior, sed Deus est summè sapiens; ergo ipso auctore nullus fit deterior.* At certè si Deus est qui in momento humanæ deliberationis voluntatem hominis ad actum, quo infallibiter peccat, prædeterminat, nullus negare potest, quin Deo auctore fiat homo deterior, quia Deo auctore, & primo motore determinatur ad actum, quo necesse est deteriorem fieri. Vnde statim in qu. 4. quærens Augustinus, quæ sit causa vnde homo fit deterior, solum voluntati propriæ obediendo id esse dicit, quia Deus illi nullam vim infert, vt tamen bonorum causa est, vtique præmouendo, & instigando. Quælibet autem alia causa exterior ad summum potest hominem suadere, suasio autem non agit initium.

Vnde concludit, *Ad eamdem hominis voluntatem causa deprauationis eius reddit.* Sentit ergo determinationem voluntatis ad volendum illud obiectum in quo deprauatur, non Deo, sed soli voluntati esse tribuendam.

9. Excutiuntur loca Augustini ab aduersariis allata.

Denique nullibi Augustinus aliud de diuina operatione in cordibus peccatorum significauit; solent enim in contrarium allegari aliqua Augustini loca, in quibus interdum dicit, Deum operari in cordibus hominum non solùm bonas, sed etiam malas voluntates. Et lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 20. & sequentibus, & lib. 5. contra Iulian. cap. 3. vbi etiam ait, Deum non solùm per patientiam, sed etiam per potentiam interdum malos indurare; sed his & similibus locis, quæ satis vulgaria sunt, abutitur etiam Caluinus ad suam hæresim suadendam, immeritoq; à Catholicis in præsenti causa afferuntur. Primò, quia Augustinus, nec de omnibus peccatis, nec de generali modo, quo Deus influit in actus omnium peccatorum, loquitur, sed de quibusdam peccatis, & effectibus eorum, quæ dicuntur esse pœnæ aliorum peccatorum, vt sunt illa, quæ recenset Paulus ad Roman. 1. *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum*, &c. & alia vulgaria de induratione, obcæcatione, & deceptione peccatorum, quæ Augustinus ibi copiosè allegat. Secundò, quia modus ille causandi tales effectus malos, quatenus positiuus esse potest, non est determinando voluntatem ex parte illius, sed ex parte obiecti, & mediante intellectu, vt est euidens, tam in Scriptura, quàm in Augustino. Vnde fit tertiò, vt non possint illa loca intelligi de propria, & directa inductione ex parte Dei, aliàs Deus esset suasor, & prouocator ad malum ex parte obiecti, quod viri catholici non admittunt.

10. Communis expositio illorum locorum defenditur.

Est ergo communis, & trita expositio, hæc omnia intelligi posse vel permissiuè, seu negatiuè, vel aliquid positiuè operando, vel mixtum. Primo modo, dicitur Deus tradere hominem in reprobum sensum, vel indurare, &c. quia præuidens lapsurum, nisi subueniat, negat auxilium hic, & nunc tali homini necessarium secundùm Dei præscientiam; & quia hoc facit Deus certo iudicio, & in pœnam, illamet permissio solet in Scriptura vocari præceptum, vel operatio Dei. Secundo modo dicitur Deus aliqua positiuè operari bona, etiam conferendo, quibus præuidet hominem deteriorem reddendum, non impulsu, aut occasione data ex parte Dei; sed sumpta ex malitia peccatoris; & quia non obstante hac præscientia, Deus operari, ac benefacere non desistit, dicitur quodammodo positiuè obdurare hominem, sicut exponit Augustinus ibi illud Psalm 104. *Conuertit* (scilicet Deus) *cor eorum, vt odirent populum eius*, vtique benefaciendo populo suo: nam inde prouocati Chananæi ad inuidiam, conuersi sunt in odium in populum Dei. Tertiò interdum permittit Deus, dæmones grauissimè tentare, & decipere homines, & tunc inductio ad peccatum ex parte dæmonis est positiua, & moralis, ex parte verò Dei tantùm est permissiua, & ideo voco illam mixtam. Solet tamen Deo per exaggerationem tribui, quia posset impedire dæmonem, & non facit, in vindictam peccatorum, iuxtà illud Psalm. 77. *Misit in eos iram indignationis suæ, immissiones per angelos malos.* quæ omnia sampta sunt ex eisdem locis Augustini, & lib. 20. de ciuit. cap. 19. & lib. 8. quæstion. quæstion. 68. & lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. & epist. 105. *Augustin.*

11. Cõfirmatur ex aliis P P. *Damascen.*

Et confirmari potest ex multis Patribus eodem modo similes Scripturæ locutiones exponentibus, præsertim Damasceno lib. 4. Fid. cap. 20. vbi regulam ponit, morem esse Scripturæ, vt Dei permissionem ipsius actionem interdum appellet, quod multis exemplis demonstrat, & de eadem regula videri potest Gregor. lib. 25. Moral. cap. 9. aliàs 12. homil. 11. in Ezechiel. & Chrysostomus homil. 67. in Ioan. & Origen. lib. 3. Periarch. cap. 1. & homil. 2. in lib. Iudicum. Multa etiam in eamdem sententiam tradit Prosper in lib. ad obiectiones Vincentianas, vbi specialiter in 16. notanda sunt illa verba. *Qui à pietate deficiunt, nec impelluntur, vt cadant, nec eiiciuntur, vt deserant, casum tamen & recessuri ab eo, qui falli non potest, præscinuntur. Quamdiu ita in oratione Dominica dicunt, fiat voluntas tua, non hoc contra se petunt, quod Deus nullo modo vlla ratione facturus est, id est, vt cadant, & ruant, hoc enim ipsorum nequitia, ipsorum est consummatura libertas.* Et ad 13. *Nefas est* (inquit) *Deo adscribere causas talium ruinarum, qui etsi ex æterna scientia præcognitum habet, quid vnicuiusque meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc, quod falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi.* Et infrà concludit. *Nec in tali negotio quidquam diuinæ voluntatis interuenit, cuius ope scimus multos, ne laberentur, reuocatos, nullos autem vt laberentur, impulsos.* quæ omnia, & alia multa, quæ tam in illo libro, quàm respondendo ad Gallos, & Genuenses dicit, nec mi rigore vera esse possent, nec obiectionibus satisfacerent, si Deus ad actum peccati, à quo malitia inseparabilis est, voluntatem prædeterminat, autsi voluntate absoluta ante omnem præscientiam futurorum huiusmodi actus prædefiniisset. Sic enim peccata futura Deus in sua prædefinitione, seu prædestinatione cognouisset, quod reprobat idem Prosper ad obiectiones Gallorum cap... & sentit. 15. vbi ait posse esse præscientiam sine prædestinatione, quamuis prædestinatio sine præscientia esse non possit, nam prædestinat Deus, *quæ ipso auctore erant facienda, vel qua malis meritis iusto erant iudicio retribuenda, non verò, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura.* Gregor. Chrysost. Origen. Prosper.

Quartò ex dictis colligi facilè potest, quid in hoc puncto D. Thomas senserit, nam de illo, sic vt de Augustino, P. Aluarez dixit suam sententiam esse expressam S. Thomæ.

Caput XLIX.

Quid de concursu prævio ac prædeterminante ad actum peccati D. Thomas senserit.

Asserunt huius prædeterminationis defensores, sententiam illam esse expressam S. Thomæ, & manifestissimis eius testimoniis probari. Et in primis inducunt illa, quæ generaliter de concursu Dei cum causis secundis loquuntur, de quibus iam suprà dictum est. Deinde adduntilla, de quibus in causa peccati in particulari tractant, & inter ea potissimum refert P. Aluarez integrum articulum 2. in 2. d. 37. q. 2. vbi dicit clarissimè D. Thomam docere suam sententiam, & tamen nullum verbum de prædeterminatione physica, imò nec de præuio influxu Dei in voluntatem prius natura, quàm actum peccati eliciat, in toto illo articulo inuenitur: sed solùm quòd *quidquid est entitatis, & boni, in actu præcidit mediante voluntate.* Quod nemo est, qui neget, cùm ad id concursus generalis, & simultaneus suffi-

sufficiat. Sed instat, quia per illum concursum non influit Deus mediante voluntate, vsus enim illud verbum mediante voluntate perinde valere, ac influendo prius in ipsam voluntatem, & præmouendo illam, sed hoc voluntarium est, & sine fundamento, nihil enim aliud illo verbo significare voluit D. Thomas, quàm quod communiter dicunt omnes, Deum operari mediis causis secundis effectus earum, quod verum est, vt supra dixi, non quia in illas agat, aut quia non immediatius, quàm illæ, sed quia cum illis, eásque iuuando operatur. Quia verò D. Thomas in solut. ad 2. & 3. ait, Deum in concursu ad actum peccati influere agenti posse, & agere, & quidquid perfectionis *in eo est*. Infert influere prædeterminando, quia aliàs non influere, *agere*. Sed hæc etiam illatio nullius momenti est, quia, vt suprà etiam probaui, Deus per ipsum concursum simultaneum influit agere, & licèt daret concursum præuium per illum, non per se influeret agere, sed principium aliquod, vel conditionem præuiam ad agendum. Nec sunt dissimilia alia loca, quæ dictus author allegat, ex quibus contrarium argumentum sumendum est, vel negatiuum, quia si rem tam grauem, támque creditu difficilem docere voluisset, illam aliquando expressisset, vel saltem indicasset, vbi de causalitate Dei circa actum peccati tractat, nunquam autem quidpiam insinuauit, vt ex dicto loco, qui dicitur esse potissimus, manifestum est. Vel etiam sumimus argumentum positiuum, non vnum, sed plura, vt iam ostendimus.

1. D. Thom. 1. 2. q. 79. art. 1.

Primò ergo exponendo doctrinam D. Thomæ 1. 2. q. 79. art. 1. vbi quærens, an Deus sit causa peccati, distinguit duos modos, quibus homo potest esse causa peccati sui, vel alterius, scilicet, *vel directè inclinando voluntatem suam, vel alterius ad peccandum, vel indirectè, &c.* & vtroque modo Deum non esse posse causam peccati. Omisso autem posteriori modo, de quo non est controuersia, in priori considero, vocare D. Thomam directam causam peccati eam, quæ inclinat voluntatem suam, vel alterius ad peccandum. Certum est autem hominem non inclinare voluntatem suam, vel alterius directè ad peccatum, vt peccatum est, sed ad illum actum humanum, & realem, & sub aliqua ratione bonum, quia non intendit per se, ac principaliter ipsam malitiam, seu auersionem, vt in 2. d. 37. in eadem quæst. 2. art. 2. ad 2. idem D. Thomas docuit. Idemque latè docuerat quæst. 75. art. 1. & q. 3. de Lalo art. 2. ad 1. Ergo dicitur homo à D. Thoma directa causa peccati, quia directè inclinat voluntatem suam ad actum, qui talis est, vt in re non possit sine peccato fieri. Cùm ergo subdit Deum non esse causam directam peccati, quia non inclinat hominem ad peccandum, euidenter docet, Deum non inclinare hominem ad actum illum realem, quo peccat, & consequenter etiam docet, si ita inclinaret Deus voluntatem hominis ad peccandum, rectè sequi, illum esse causam directam peccati. Ad prædeterminare voluntatem ad talem actum, est directè inclinare illam, vel aliquid ampliùs; ergo si non inclinat multo, minus prædeterminat.

3. Euasio excluditur.

Neque dici potest loqui D. Thomam de inclinatione morali, vel ex parte obiecti, quia quando homo inclinat voluntatem suam ad peccandum directè, non solùm ex parte obiecti, sed maximè ex parte voluntatis ad actum peccati illam determinat; præsertim, vt suprà dicebam, maior, & efficacior inclinatio est, determinatio ex parte potentiæ, quàm motio ex parte obiecti. Vnde concludit argumentum, quia qui se determinat ad actum peccati directè est causa sui peccati, & inclinando voluntatem alterius hominis esset directè causa peccati eius, iuxta discursum D. Thomæ; ergo si Deus prædeterminaret voluntatem hominis ad actum peccati, esset directa causa peccati; ergo à contrario cum D. Thomas colligit, non esse Deum causam peccati directè, quia non inclinat voluntatem hominis ad peccatum, planè sentit non inclinare, nec præmouere ad actum peccati, ac subinde multo minus prædeterminare. Et hoc etiam concludit ratio D. Thomæ, quia Deus omnia conuertit ad se tanquam in vltimum finem, & ideo impossibile est, quòd si homini causa discedendi ab ordine, qui est in ipsum, homo enim non discedit à Deo, nisi conuertendo se ad commutabile bonum, ergo impossibile est, quòd Deus sit causa talis conuersionis, inducendo, inclinando, vel prædeterminando voluntatem hominis ad illam. Accedit quòd ibidem in solut. ad 1. locutiones Augustini, & Scripturæ, quæ significant, Deum aliquando inclinare corda hominum ad malum; exponit intelligendas esse negatiuè, quatenus non impedit similes actiones, & eodem modo exponit excæcationem, vel obdurationem, & in articulo 3. vbi directè quærit, an sit Deus causa peccati, dicit quidem esse causam, quoad generalem concursum, de prædeterminatione autem nec verbum, aut iudicium apud illum inuenitur.

Locus ex 1. 2. q. 80. art. 1.

Atque hanc fuisse mentem suam, declarauit idem D. Thomas quæst. 80. art. 1. vbi vt probet, Dæmonem non posse esse causam directam peccati hominis, sed tantùm ex parte obiecti per modum persuadentis, vel proponentis appetibile, sic inquit. *Peccatum actus quidem est, vnde hoc modo potest esse aliquis directa causa peccati, per quem modum aliquis potest esse directa causa alicuius actus: quod quidem non contingit, nisi per hoc, quod proprium principium illius actus mouet ad agendum. Proprium autem principium actus peccati est voluntas, vnde nihil potest esse directè causa peccati, nisi quod potest mouere voluntatem ad agendum.* Sub quo principio sumit Dæmonem non posse interius mouere voluntatem ad peccandum, & inde concludit non posse esse directam causam peccati, sed solùm hominis voluntatem; nam de Deo supponit non esse, neque esse posse, quia licèt interius possit inclinare voluntatem ad volendum, non tamen ad talem actum. In quo toto discursu distinguit D. Thomas inter peccatum, & actum eius, & illum dicit esse causam peccati directè, qui interius inclinat voluntatem hominis ad talem actum, quam inclinationem soli voluntati tribuit, & negant Dæmoni propter impotentiam eius, & Deo propter bonitatem eius: inclinatio autem qua voluntas seipsam interius inclinat ad actum peccati, non est, nisi determinatio eius. Hanc ergo D. Thomas concedit voluntati, & negat Deo: ergo à fortiori negat Deo prædeterminationem, nam illa esset maxima inclinatio; imò, vt infrà videbimus, auctores contrariæ sententiæ nomine inclinationis prædeterminationem quasi per antonomasiam interpretari solent. Accedit quòd in solut. ad eiusdem articuli sic D. Thomas ait. *Deus est vniuersale principium interioris motus hominis, scilicet quòd determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directè quidem est ex voluntate humana, & à diabolo per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis.* Nullo ergo modo tribuit D. Thomas Deo determinationem voluntatis humanæ, sed soli voluntati, & Dæmoni diuersis modis, & generibus causarum. Deo autem tribuit esse vniuersale principium, non verò esse præmotorem, aut determinatorem, quia sine tali præmotione consistere potest generalis concursus primæ causæ.

5. Locus ex q. 3. de malo art. 1.

Possumus tertiò hoc amplius persuadere ex

q. 3. de Malo. art. 1. in corpore, vbi docet Deum non esse causam peccati, quia non potest facere alterum peccare; ergo consequenter docet non posse facere efficaciter, vt homo faciat actum, quo peccat, quia non aliter potest vnus facere alterum peccare, nisi faciendo vt faciat talem actum; nam licèt possit etiam facere, vt omittat bonum actum debitum, id tamen, & perinde est, & moraliter non fit, nisi faciendo vt eliciat voluntatem omittendi. Si ergo non faciat Deus hominem peccare, profectò nec facit facere tales actus. Id autem probat D. Thomas, quia Deus non auertit voluntatem hominis, quod ideo verum est, quia Deus non conuertit voluntatem hominis ad aliquid Deo repugnans, sed ad se tantùm. At si faceret hominem facere actum quo peccat, iam conuerteret hominem ad obiectum Deo repugnans, & ita faceret vt homo à Deo auerteretur. Vnde in solut. ad 1. exponendo Scripturam dicit, Deum non trahere hominem in reprobum sensum, vel inclinare voluntatem in malum, agendo, mouendo, sed potiùs deserendo, vel non impediendo. Et idem repetit in solut. ad 6. vbi certum est, cùm D. Thom. loquitur de inclinatione ad malum, non intelligere de inclinatione ad malum, vt malum est, sic enim nemo inclinat, vel inclinatur ad malum; loquitur ergo de inclinatione ad malum materialiter, id est, ad infirmum bonum, cui est inordinatio adiuncta, sicut ponit exemplum ibi D. Thomas de intentione inanis gloriæ. Sic ergo ait Deum non inclinare hominem ad malum agendo, vel mouendo; ergo multo minus inclinat prædeterminando voluntatem hominis ad amanda infima bona rationi contraria, hoc enim esset inclinare ad malum agendo, & mouendo.

6. Art. 2. eiusdem q. expenditur.

In art. verò 2. eiusdem quæstionis, qui in contrarium allegatur, tam in corpore, quàm in solut. ad 4. solum dicit Deum esse principium illius motus, quo peccator se mouet, cùm peccat, non tamen dicit, Deum esse principium præmouens, vel prædeterminans ad illum motum, per concursum autem simultaneum est principium vniuersale illius motus, sicut in 1. 2. dixerat; imò ibidem ait quòd à voluntate prodeant actiones praui, potius quàm bonæ, non prouenire ex motione primi mouentis, sed ex defectu, & dispositione proximæ causæ: contrarium autem verum est si Deus voluntatem ad vnamquamque actionem in particulari prædeterminat, tunc enim ex tali præmotione Dei proueniet, quòd voluntas faceret talem actionem, quam sine defectu facere non potest.

Præterea sumitur eadem ex D. Thoma in 2. dist.

7. Locus 2. d 37. q. 2. art. 1 ad 1.

37. quæst. 2. art. 1. ad 1. vbi sic ait, *Deus non eodem modo inclinat voluntatem in bonum & in malum, nam ad bonum inclinat directè mouendo, sed ad malum dicitur inclinare, in quantum gratiam, per quam quis à malo retraheretur, non præbet, & non quod directè voluntatem in malum ordinet.* vbi, vt iam ostendi, non intelligit de malo sub ratione mali, sed de actu, vel obiecto illo, quod malum est. Huc accedunt alia testimonia suprà allegata, in quibus determinationem liberam generaliter D. Thomas tribuit ipsi voluntati, sentiens prædeterminationem ab alio repugnare voluntati. Quibus omnibus addi possunt antiqui Thomistæ, qui ita D. Thomam intellexerunt, Capreol. Conrad. & Caietanus, quos suprà allegaui. Et in particulari in causa peccati id explicuit Conradus 1. 2. q. 79. art. 1. in fine articuli proximè ante solut. ad 1. vbi dicit ideo non tribui Deo defectum rectitudinis existentis in actu peccati, quia Deus non determinat de se suum concursum ad talem actum, sed paratus est dare actum rectum, si voluntas concurrere velit, & ita de se, & in actu primo, seu antecedenter offert concursum indifferentem, seu multiplicem tam ad bonum, quàm ad malum actum: voluntas autem pro sua libertate ad deteriorem flectitur, & eam comitatur Dei concursus quasi ab illa determinatus. Et ideo in art. 2. dicit quòd Deus nec per se, nec per accidens, seu consequenter vult malitiam, sicut ipse homo peccans vult illam, quia scilicet, Deus non vult absolutè hominem velle, neque ad talem actum hominem efficaciter præmouet. In eadem sententia fuit Caietanus auferendo præuiam motionem, vt suprà vidimus. Vnde in 1. p. q. 22. art. 2. agens de peccato solùm ait, potuisse quidem Deum illos actus non permittere, tamen ad suauem, & sapientissimam Dei prouidentiam pertinuisse illos non impedire, quia (ait) tuuis dispositio liberi arbitrij creati hoc non exigit, sed magis vt ex sua vi seipsum agat.

Antiqui Thomistæ idem sentiunt. *Caprool. Conrad. Caiet.*

Idem docuit expresè Capreolus in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 3. ad 12. nam licèt ad bonos actus putet esse necessariam præuiam motionem in natura lapsa, negat illam pertinere ad generalem concursum primæ causæ, & in particulari de actu malo dicit ad illum dare Deum concursum simultaneum, non præuium, nec facere vt voluntas illum faciat: quia propter alia verba, quæ ex illo citantur in eodem 2. dist. 37. quæst. 1. art. 3. ad 1. vbi de actione peccati dicit, actionem voluntatis creatæ esse posteriorem actione Dei, quia creatura non agit, nisi mota à Deo, & addit motionem Dei determinare voluntatem creatam. Hæc (inquam) verba, cùm sint posteriora, ita explicanda sunt, vt non sint prioribus contraria, ne dicamus in eodem libro, & post paucas distinctiones Capreolum contrarium docuisse: priora autem verba sunt negatiua, & tam expressa, vt nullam interpretationem admittant: hæc autem posteriora possunt facilè exponi de motione Dei cooperatiua, quæ dicitur esse prior dignitate, & independentia, & per eam determinatur voluntas, non sine sua simultanea determinatione, nec enim necessarium est; nec verissimè ibi loquutum fuisse Capreolum de præuia determinatione, quæ à solo Deo fiat, imò apertè sentit, totum id quod ibi à Deo fit, fieri à voluntate, & è conuerso licet diuerso modo.

1. Magist. Capreol.

Nec aliud docuit Soto, qui etiam in contrarium allegari solet, lib. 1. de natur. & Grat. cap. 18. nam in fine solùm dicit actionem peccati esse à Deo, Eo (inquit) *efficientiæ genere, quo cuncta ad suas actiones præmouet.* Quia ergo dicit *præmouet*, trahitur eius sententia ad præuiam motionem, de qua certè nihil cogitauit, sed vulgari modo loquendi vsus est. Alioqui verò in toto discursu capitis docet, Deum tantùm permissiuè, & *per se directè neminem inducere ad malum, sed potiùs ita sinere liberè agere voluntatem, vt sit paratissimus manum porrigere, nisi per hominem steterit.* Et infrà ait. Longè distare inter permittere, & intenta actione facere, quæ omnia non stant cum physica prædeterminatione, & ex supradictis patet, neque aliud sentit Cano, qui etiam allegatur lib. 2. de locis, cap. 4. ad 7. nullum enim ibi verbum habet de præmotione Dei ad actum peccati, imò generaliter ait falsum esse dicere, *Deo volente, vel instigante peccata prouenire.* Ex modernioribus autem Thomistis nostram sententiam docuit Ioannes Vincent. nam, vt refert Ledesma art. 2. & 3. etiam ad actus bonos illam prædeterminationem necessariam esse negauit. At verò P. Cumel licèt in bonis actibus illam admittat, in actibus peccatorum illam negat, dicens, *non esse sanè doctrinæ consentaneum talem prædeterminationem ponere.* Ita habet 1. part. quæst. 22. art. 4. in noua appendice ad primum dubium, & 1. quæst. 79. art. 2. disp. 2. & 3. & nouissimè latè defendit hanc sententiam P. Lorca 1. 2. quæst.

2. Soto lib. 1. de natur. & Grat. cap. 18. multa addit. Fundamentalis ratio aduersus eum est, quia differt voluntarium sumpta ex Cano refutatur.

Cano. Modern. Thomist.

Lorca. 2. quæst. 79. art. 2. disp. 38. de peccatis, & disp. 20. de Gratia.

10. Scotus mens. Eamdem doctrinam in propriis & expressis terminis tradidit Scotus in 2.d. 37. §. Ad solutionem, vt latè suprà cap... retuli. Aliqui verò in contrariam sententiam illum trahere conantur, quia dicit, etiam peccata præscire à Deo in sua voluntate, vel necessariò fuisse euentura ex vi motionis Dei, si Deus ex necessitate naturæ ageret; sed quidquid sit, quomodo in hos Scotus loquutus fuerit consequenter, cùm egit in particulari de concursu Dei ad peccatum, euidenter docuit voluntatem habere in potestate sua determinare concursum Dei ad rectam vel deficientem actionem: quapropter in hoc puncto huic testimonio standum est; in aliis autem, vel consecutionem doctrinæ non animaduertit, vel, quod verisimilius est, in alio sensu est loquutus, quàm communiter intelligatur. Nam posita voluntate concurrendi ex parte Dei, licèt illa ex se indifferens sit, dixit determinationem voluntatis creatæ futuram præsciri à Deo, non quia illa voluntas Dei sit prædefinitiua, aut prædeterminatiua, sed fortè quia suppositit à Deo præscientiam futurorum sub conditione, vt in Prolegomeno 3. dicemus. Sic enim etiam aliqui moderni sententiam illam sequuntur, qui prædeterminationem non admittunt. Quod verò Scotus dixit futurum ex hypothesi, si Deus ageret ex necessitate naturæ, non est propter determinationem, sed quia tunc Deus vehementius moueret, quàm nunc, vt suprà tetigimus. Deniq; plures alios antiquos Doctores Scholasticos pro hac sententia retuli lib. 2. de Auxil. c. 7. quos hic iterum referre necessarium non est. Nouissimè autem sententiam hanc defendit, & ingeniosè ac efficaciter persuadet Franciscus Diotallenii. in lib. de concursu Dei ad actus liberos cap. 7. per totum. Quæ autem contra hanc sententiam obiici solent, non habetur peculiarem difficultatem, præter illam quæ communis est omnibus actibus liberis ordinis naturæ, & ideo in capite sequenti dissoluentur.

CAPVT L.

Fundamentis contrariæ sententiæ satis facit.

1. Fundamentalis ratio aduersariorum ex indifferentia voluntatis sumpta efficatur.

PRiusquam de concursu præuio ad supernaturales actus dicamus, necessarium est ad fundamenta contrariæ sententiæ respondere, quæ omnibus actibus liberis generalia sunt, & suprà cap... in septima ratione contrariæ opinionis cum suis confirmationibus illam breuiter comprehendimus. Principalis autem ratio sumebatur ex ipsa indifferentia voluntatis addito illo principio quòd à causa indeterminata nihil determinatè potest prodire. Iam verò à nobis ostensum est, vel ob hoc ipsum necessariam non esse illam præuiam motionem, quia oportet, vt ipsamet voluntas in actu primo indeterminata ad actum secundum se determinet, vt proprio, & connaturali modo operetur, alioqui non esset illa differentia actiua, sed passiua respectu determinationis, qualis est in potentia motiua manus ad mouendum, vel non mouendum; vel ad sursum, vel ad deorsum mouendum. Et sic dixit D. Thomas in 4. distinct. 49. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. art. 5. quòd voluntas potest in oppositum eorum, quæ ipsa sibi determinat, & multa alia in superioribus adduximus. Ad illud verò principium quod à causa indeterminata non prodidit determinatus effectus, respondet optimè Scotus in 2. dist. 25. quæst. vnic. ad vlt. illud esse verum in principiis, seu potentiis, quæ licèt aliquo modo vniuersalia sint; sunt tamen imperfecta quantum ad hoc, quod non habent dominium suæ actionis, & ideo indigent aliquo determinante ad alterutram partem. Alioqui, vt Aristot. art. 9. Metaphys. cap. 5. text. 10. si ex se, & sine alio determinante procederet in actum simul efficerent contraria, quia vtrumque possunt, & non esset maior ratio de vno, quàm de alio. Et hoc apertè patet in exemplo potentiæ motiuæ, & idem est de intellectu, & arte, & similibus. Secus verò est de voluntate, quæ est perfecta potentia cum dominio sui actus, & ideo licet sit potentia contrariorum, vel contradictoriorum, potest obiecto præsente ad vnam partem se determinare.

2. Quæ adeà rationem adducebãtur reiiciũtur. Primò ex D. Tho.

Neque obstant quæ ad probandum illud principium afferuntur. Primum est ex D. Thoma 1. p. 19. art. 3. ad 5. vbi admittit illud principium in omnibus causis creatis, solamque excipit diuinam voluntatem, & rationem reddit, *quia causa, quæ est ex se contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum ad quod habet habitudinem non necessariam.* Hoc autem discrimen applicatum ad voluntates creatas fundatur in hoc, quòd voluntas creata est ex se indeterminata, non solùm actiuè, sed etiam passiuè, ita vt non possit se determinare nisi aliquid in se agendo: voluntas autem diuina alteriori modo se determinat nihil in se recipiendo propter summam actualitatem, & necessitatem essendi, quam habet; & hinc fit vt voluntas creata per se sola non possit se determinare sine dependentia ab alio, quia sicut in suo esse dependet è Deo, ita etiam in sua determinatione, & in hoc sensu oportet, quòd ab aliquo exteriori determinetur, vbi expendo D. Thomam non dixisse *prædeterminetur*. quia non oportet, vt solus Deus faciat determinationem, sed satis est, vt cooperetur voluntati se determinanti.

3. Deinde ex ratione.

Ratio autem illa, quia non est cur causa indeterminata hunc magis, quàm illum effectum faciat, habet locum (vt cum Scoto dixi) in causis, & potentiis, quarum actiones non sunt intrinsecè voluntariæ, neque sub dominio illarum. In voluntate autem facilè redditur ratio, cur existens in actu primo indeterminata aliquid determinare velit, scilicet, quia vult, & eo ipso, quòd in obiecto proponitur sufficiens ratio volendi illud, est etiam ratio sufficiens volendi ipsummet velle. Neq; est verum voluntatem suppolita propositione talis obiecti non esse sufficienter constitutam in actu primo, tam ad eliciendum actum volitionis, quàm nolitionis, habet enim ad vtrumque sufficientem, & quasi eminentem virtutem, vt declaratum est. Intelligitur autem hoc absolutè loquendo de actibus proportionatis viribus voluntatis: nam si sint actus superioris ordinis, oportebit principium compleri per quid superius principium, non propter rationem generalis concursus, sed vt defectum virium ex parte causæ secundæ suppleat: postquam autem completa fuerit voluntas in ratione principii proximi, iam non indigebit concursu præuio, sed concomitante.

4. Instantia confutatur.

Cùm autem instatur, quia agens, quod quandoque est actus, quandoque in potentia debet prius moueri, quàm de potentia reducatur in actum, aperta fit æquiuocatio: nam illud principium est verum ab agente, quod interdum est in potentia passiua ad ipsum principium agendi, vel complementum eius, & quia aqua potest esse, & actu calida, & in potentia, ideo quando tantum est in potentia calida, non potest calefacere, quia prius

priùs ipsa calefiat, & quia visus potest esse interdum in actu, interdum tantum in potentia ad speciem visibilem, ideo quando est in potentia, oportet priùs reduci in actum speciei, quàm elicit visionem. Hoc autem non habet locum in potentia purè actiua, vt actiua est, id est, quatenus potest esse agens in actu secundo, vel tantum in actu primo, in quo statim dicitur etiam esse in potentia ad agendum: tunc enim si actus primus sit completus in suo ordine, vt reducatur de tali potentia ad actum, præuia motione, vel actualitate, sed vel nulla, vel subsequente. Vnde si agens solùm per transeuntem actionem reducatur in actum, in se non magis actuatur, si antea erat completum in virtute agendi, sed per solam denominationem extrinsecam dicitur constitui in actu secundo. Quia verò tale agens ex necessitate naturæ operatur, si supponatur esse completum in actu primo, quoad virtutem intrinsecam, non potest esse in potentia ad actionem nisi ex defectu alicuius conditionis requisitæ ad agendum, & ideo necessarium erit præcedere aliquam mutationem per quam talis conditio compleatur: id autem sæpè fieri poterit sine mutatione agentis applicando passum, vel tollèdo impedimentum, &c. Si verò agens reducatur in actum per actionem immanentem, illud quidem mouetur quando se in actum reducit, non tamen mouetur, vt agens est, sed vt recipiens, neque mouetur, vt agat, sed mouetur, quia agit, & ideo secundùm talem motionem non præmouetur ab alio prius natura, quàm ipsum se moueat, sed simul cùm ipsum se mouet, mouetur à Deo per concursum simultaneum, ergo ex vi illius reductionis de potentia in actum non est necessarius concursus prœuius. Quòd si illa reductio de potentia in actum præcisè consideretur, vt est à potentia apta ad agendum in actionem, quam antea non eliciebat, tunc si actus primus supponatur completus, non est necessaria præuia mutatio ab extrinseco præueniens, sed intrinseca applicatio per voluntatem sufficit, nam ad illam pertinet huiusmodi potentias, & seipsam ad exercitium applicare.

5. Confirmationes ab aduersarijs in sua fundamentali adductæ reiciuntur. Prima quia alioquin omnes actiones liberæ essent Deo fortuitæ.

Prima confirmatio erat, quia aliàs determinationes liberæ essent fortuitò, & contingenter respectu Dei. quæ illatio videtur fundari in hoc principio, quia omnia, quæ non prædeterminantur à Deo, fortuitò veniunt respectu illius, quod manifestè falsum est: nam peccata, vt peccata, non prædeterminantur à Deo, & tamen non fortuitò eueniunt respectu illius. Respondebunt Deum prædeterminare actum, qui est peccatum, & in illa prædeterminatione præscire malitiam consequentem actum, & illam permittere, & ideo peccatum non fortuitò euenire. Quæ responsio falsum quidem supponit, quòd satis iam impugnatum, & nihilominùs tamen nobis occasionem præbet soluendi argumentum, seruata proportione, & seclusa illa prædeterminatione, quæ in actibus peccatorum habet absurditatem, in aliis verò saltem non est necessaria ad excludendum causam, seu fortunam ab actibus liberi arbitrij respectu Dei. Nam Deus voluntariè facit, & prouidet omnia prærequisita, vt voluntas hîc, & nunc liberè possit hoc, vel illud operari: præuidet etiam, quid sit operatura voluntas, si ipse suum concursum offerat, eamque operari sinat, & decernit eam sinere, vel permittendo actum, si malus futurus sit, vel illum acceptando, & volendo, si sit bonus, quod totum optimè intelligitur sine præuio concursu, aut prædeterminatione, & sufficit vt casus actu non eueniat, vel fortuito respectu Dei. Quis enim dicat casu alicui accidere, quod eo præsciente, & non impediente cùm posset, vel quod magis est, ipso admittente, & cooperante euenit?

6. Saltem certum est omnem malitiam esse præter intentionem Dei.

Dices illud saltem euenire præter intentionem, quod etiam est inconueniens in effectibus creatis respectu Dei. Respondeo in peccatis simpliciter dicendum esse euenire præter intentionem Dei, quod est maximè certum de peccatis, vt peccata sunt, cùm etiam sint contra voluntatem Dei; de ipsis verò quibus coniuncta est malitia, etiam est simpliciter verum, Deum neque intendere, neque velle, vt tales actus sint, quia hoc per se non est bonum, nec decens Deum: sed dicendum est, intendere, ac velle, Deum sinere, vt tales actus fiant volendo etiam concurrere ad illos, si voluntas creata illos operari velit. Et ad hoc insinuandum Augustin. in Enchiridion c. 95. sub distinctione dixit, *non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt faciat, vel ipse faciendo.* Actus autem simpliciter boni dici non possunt, præter intentionem Dei, quia licèt ad illos non det concursum prœuium, cupit illos fieri, & exhoc effectu prœbet omnia prærequisita ad tales actus, & offert concursum concomitantem, qui illos physicè efficit; ergo sunt ab illo per se intenti, siue illa intentio sit prædefinitiua & absoluta, siue tantùm antecedens, seu conditionata, neuter enim ex his duobus modis est determinatè necessarius ad debitum ordinem diuinæ prouidentiæ, & neuter etiam est impossibilis, imò vterque subsistere potest cum influ libertatis, & sine concursu prœuio, & cum sufficienti dependentia nostræ liberæ determinationis à voluntate, & prouidentia diuina, nam hæc dependentia non est in singulis actibus eiusdem modi, quoad diuinam intentionem, sed in solo concursu concomitante necessariò habentem eumdem dependentiæ modum, de qua relatiùs in lib. 5. dicturi sumus.

7. Confirmatio Decreta voluntatis non esse à Deo vt à causa prima, tamen est.

Secunda confirmatio erat, quia sequitur determinationem voluntatis non esse à Deo, vt à causa prima, quia erit à sola voluntate prius natura se applicante, & determinante, quam causa prima in illam determinationem influat. Respondetur tamen negando sequelam, quia determinatio voluntatis nihil est aliud, quàm actio eius; neque enim voluntas priùs natura se determinat ad eliciendum amorem, v. g. & deinde illum, neque illa duo inre sunt distincta, aliàs cum determinatio sit libera, ex alia determinatione voluntatis præcedet, & sic procedetur in infinitum. Sistendum est ergo in prima actione libera voluntatis, qualis est, v. g. actio amoris, & quælibet alia similis: nam sicut illa per seipsam intrinsecè voluntaria est, ita per illammet determinatur voluntas ad amandum; sicut ergo actio voluntatis, & cuiuscumque causæ secundæ, est à Deo, vt à prima causa influente per concursum simultaneum, etiamsi prœuius non antecedat, ita determinatio ipsa voluntatis est à Deo vt à causa prima ratione eiusdem concursus, & ideo illatio obiecta nullius est momenti. Quod etiam ad hominem potest fieri euidens, quia dato concursu prœuio, dicti authores non negant, voluntatem se determinare, ne libertatem omnino negent, & nihilominus negare non possunt, quin in illo signo, in quo voluntas se determinat, illa determinatio in actu secundo simul natura sit, non solùm à voluntate, & concursu prœuio, sed etiam ab ipsomet Deo, quia cùm illa determinatio sit aliquid creatum, non potest non pendere per se, & immediatè ab ipso Deo, imò per se, & propriè hac ratione pendet à Deo, vt à prima causa: nam alia dependentia mediante concursu prœuio respectu Dei, remota est mediata, & ideo quasi per accidens, ac propterea illa de medio sublata, subsistere potest essentialis dependentia determinationis voluntatis creatæ ab increata. Meritò ergo illatio illa reiicitur.

Cùm vero obiicitur, quia voluntas est, quæ primò se determinat, distinguenda est illa particula *primò*, nam dicere potest, vel modum causandi pri-

ma-

marium (vt sic dicam,) ita vt idem sit primò causare, quod principaliter, & independenter causare. Secundò dicere potest ordinem causandi secundùm durationem temporis. Tertiò potest dicere ordinem etiam causandi non temporis, sed naturę. In primo sensu falsa est assumptio; nemo enim dixit, primariam causam determinationis voluntatis esse ipsam voluntatem, quia in illamet determinatione se gerit vt causa secunda essentialiter pendens à prima, quæ sola est primaria causa, & independens, & primarias partes habens in efficacia illius determinationis. In secundo sensu etiam est propositio manifestè falsa, quia voluntas non prius tempore se determinat, quàm voluntas cum illa concurrat. De his ergo nulla est controuersia, nec potuit arguens cum aliqua probabilitate illam propositionem assumere in aliquo ex dictis sensibus tamquam à nobis concessam.

9. Tertius sensus, sub distinguitur primam membrum.

Tertius autem sensus subdistinguendus est, nam illa particula *primò* potest sumi negatiuè, & positiuè; in priori sensu solùm dicit negationem alterius causæ prius natura influentis, & sic verissima est propositio, nam suppositis omnibus prærequisitis ad agendum (in quibus multiplex Dei causalitas ordine naturæ præcedit,) in illo signo, in quo voluntas incipit elicere actum & actionem suam, nulla causa prius natura facit illam actionem quàm ipsa voluntas: nam licèt faciat illam etiam Deus, non tamen prius ordine causalitatis, nam illa actio dicit essentialem habitudinem ad voluntatem creatam, & ideo non potest prius emanare ab alia causa, quàm ab ipsa. Neque est bona illatio, emanat à prima causa; ergo priùs emanat: nam committitur æquiuocatio in vocibus *prima*, & *prius*, vt iam explicatum est, neque oportet, vt causa quæ est prima in independentia, & modo causandi in omni actione antecedat etiam in ordine causandi.

10. a Membrũ illius subdistinctionis.

In alio sensu particula *primò* positiuè sumpta dicit relationem prioritatis respectu alterius, & hoc modo admittunt aliqui voluntatem primò causare suam determinationem. Deum autem concurrere, quasi sequendo determinationem voluntatis; dicunt enim non posse intelligi concursum omnino simultaneum duarum voluntatum ad vnam actionẽ, quia oportet alterutram ab altera determinari, alias non coniungerentur per se, sed quasi per accidens, & casu. Sed illa sententia sine dubio falsa est, quia illa determinatio magis essentialiter pendet à voluntate diuina, quàm à creata; ergo in nullo signo potest intelligi vt procedens à sola voluntate creata, nam licèt abstractione præcisiua possint concipi vnus respectus, non concepto alio, abstractione tamen negatiua non potest intelligi quod ordine causalitatis procedat priùs à sola voluntate creata, & postea à Deo. Præterquam quòd si concursus Dei esset quasi subsequens ordine causalitatis, esset quasi superuacaneus: nam prior esse posset sine posteriori, & posteriori iterum faceret, quod iam esset sufficienter factum. de qua re multa in superioribus dicta sunt, & lib. 5. plura dicemus.

11. In quo sensu vera propositio.

Dico ergo propositionem in illo sensu esse falsam, & non sequi ex eo, quòd Deus concurrat per concursum simultaneum, quia ad hoc satis est, vt neutra causa prius influat, quàm alia in alio genere concursus, quod fateri debent etiam, qui ponunt concursum præuium, vtique quantum ad actionem, quæ ab ipso, & à voluntate manat, vt suprà etiam probaui. Nec oportet vt voluntas diuina, & humana quasi casu coniungantur ad influendum simul in eamdem determinationem voluntatis creatæ, quia, vt dixi, Deus ex certa scientia præuidens, quid voluntas creata sit operatura si concursum suum illi offerat, destinata voluntate decreuit cum illa concurrere ad talem actum, ipsa etiam se determinante, & ita non casu, sed ex vi huius decreti, in ipso momento, in quo determinatio fit, & in quocumque signo illius, influxus Dei coniungitur influxui voluntatis sine illo ordine causalitatis, seu prioritatis, quæ in illa fundetur.

Est tamen hìc notanda differentia inter vtramque voluntatem, nam voluntas creata, vt ordine naturæ supponitur, ad illam actionem est indifferens in actu primo ad agendum, vel non agendum, vel hoc, aut illud agendum: voluntas autem diuina prius non tantum natura, sed etiam æternitate, quâ exterius efficit illam actionem voluntatis creatæ, est in se, & interiùs determinata (nostro modo loquendi) in actu secundo respectu ipsius Dei per decretum, seu voluntatem concurrendi cum voluntate creata ad talem actum, tali tempore, & ita voluntas creata propriissimè dicitur se determinare, quia efficit illum actum, qui est immanens in illo, & ideo per illum voluntariè reducitur ex actu primo indifferente in actum secundum determinatum, nec per hoc excluditur concursus Dei ad eamdem determinationem, sed potiùs includitur, quia essentialiter imbibitur in omni actione creaturæ. Deus autem concurrendo cum voluntate ad illam determinationem, non dicitur determinare se, quia illa actio, quæ à voluntate creata fit, est solùm transiens respectu voluntatis Dei, & ad illam erat iam Deus ex se determinatus per decretum æternum. Neque etiam simpliciter dicendus est Deus determinare physicè voluntatem ad talem actum, quia verbum illud *determinandi* respectu causæ liberæ connotare videtur respectum ad ipsam causam proximam, vel etiam, ne videatur excludi cooperatio voluntatis, & soli Deo attribui illius determinatio. Ad tollendam ergo ambiguitatem propriissimè dicetur Deus condeterminare voluntatem creatam, vel coefficere determinationem eius, seu ad illam concurrere. Hæc autem intelligimus ex vi generalis concursus, nam de modo quo per auxilia præuenientia Deus est causa ipsiusmet cooperationis liberi arbitrij, & in superioribus dictum est, & in lib. 5. latiùs est dicendum.

12. Differentia inter voluntatem diuinam & creatam.

Tertia confirmatio fundebatur in hoc principio, quòd libertas creata ita subordinatur diuinæ, vt formaliter reducatur in diuinam voluntatem, & libertatem, tamquam in primam causam physicam, & in genere physico. Ex quo principio inferebatur, præuium concursum esse necessarium, vt ex libera præmotione Dei habeat voluntas creata voluntatem suæ determinationis. quæ ratio sumpta dicitur ex doctrina D. Thomæ, & communi Thomistarum 1. p. q. 29. art. 8. Ego verò apud D. Thomam ibi solam lego primam causam, & radicem effectuum contingentium, & liberorum esse diuinam voluntatem, & eius efficaciam. Nam volens Deus vt esset in vniuerso varietas effectuum naturalium contingentium, & liberorum, efficaciter etiam prouidet, vt essent in vniuerso causæ illis effectibus & modis agendi accommodatæ, simulq; voluit, ita cum omnibus, & singulis concurrere, vt eas suos motus, modo vnicuique accommodato agere fineret. Ex qua doctrina, quæ verissima est, solùm sequitur voluntatem Dei ipso primam causam efficiente voluntatis humanæ, ac libertatis eius, & ita etiam cum illa cooperari, vt vsum libertatis eius non impediat.

13. 3. Cõfirmatio, libertas creata formaliter reducitur in diuinam libertatem vt in primam causam physicam; confutatur. *D. Thom.*

14. Mês S. Thomæ & antiquorum Theologorum circa falsitates illius principij duplex sensus illius propositionis, & particulæ *formaliter* in illa.

Non legi autem in D. Thoma, nec apud aliquem ex antiquis, Thomistis me legisse memini, quod libertas humanæ voluntatis vel effectuum eius formaliter reducatur in diuinam voluntatem & li-

& libertatem. Neque video quomodo id possit intelligi, si particula illa *formaliter* aliquid addat vltra dictam efficaciam diuinam iam explicatam, vt videtur esse de mente arguentis; nam si illud formaliter nihil addat, sed significet tantum libertatem diuinæ voluntatis, quæ in Deo est formaliter, esse primam originem, & causam, à qua efficienter manat liberras humanæ voluntatis, & actus eius, sic antecedens verum est, sed consequentia de concursu prævio nullam habet connexionem cum illo antecedente. Nam quod attinet ad libertatem ipsius potentiæ voluntatis nostræ, illa non datur per aliquem concursum, sed concreatur cum anima, & voluntate. Si verò sit sermo de libertate actus, tantum abest, vt illa sumenda sit ex concursu prævio, vt vix, aut ne vix quidem stante illo non possit intelligi, vt ex dictis in Prolegomeno 1. & in discursu huius libri facilè potest legenti constare, & in lib. 5. pressiùs vrgebimus. Cum concursu autem comitante facilè intelligitur, & sufficientissimè declaratur, quomodo actualis libertas voluntatis humanæ radicaliter proueniat à libertate diuina, quatenus per illam suum concomitantem concursum ita accommodat, vt est actus voluntatis humanæ efficiat, & eius libertatem.

15. Alter sensus illius particulæ.

At verò si illa particula *formaliter* aliquid præter dictam Dei efficientiam addat, nihil aliud significare potest, nisi quod actus nostræ voluntatis formaliter constituatur liber per denominationem à libertate diuina, vel à concursu prævio ab illa sola pendente: vtrumque autem, & falsum est, & alienum ab omni vero sensu, nam meus actus non est in se, & formaliter liber, quia Deus liberè operatur, sed quia ego per facultatem formaliter liberam illum efficio, alioqui non ego essem dominus mei actus, sed solus Deus, nec propter illum essem dignus laude, nec actus voluntatis meæ esset magis liber, quàm intellectus, imò neque magis quàm actus brutorum: nam etiam cum his Deus liberè operatur, & concurrit. Item sicut Deus est prima causa libertatis, ita etiam est prima causa vitæ, & sicut concurrit cum potentia libera, ita etiam cum potentia vitali, modo vtique accommodato, & nihilominus actus vitalis creatus non habet formaliter, quòd vitalis sit ex emanatione à Deo, sed ex emanatione à proximo, & intrinseco principio vitæ, quamuis effectiuè totum suum esse recipiat à Deo vt à prima causa efficiente; ergo similiter actus liber, licèt effectiuè habeat primam, & principalem originem à Deo, nihilominus vt est actus hominis, non est formaliter libertate Dei, sed ex intrinseca hominis libertate, nam esse liberum, includit esse vitale, & addit voluntarium cum indifferentia, & dominio proximæ facultatis. In illo ergo sensu falsum est, quòd in ea confirmatione sumitur, ideo vel antecedens est falsum, vel consequentia nulla, vt explicatum est.

16. Vltima cõfirmatio quæ ex prima & secũda coincidit reiicitur

Vltima confirmatio coincidit ferè cum prima, & secunda, in quibus iam dictum est voluntatem humanam, neque solam se determinare, neque à sola voluntate diuina determinari, sed ipsam se determinare cooperante diuina voluntate, ideoq; in tali determinatione neutra voluntas prius quàm alia agit. Neque hoc est contra perfectionem diuinæ voluntatis, quia licèt non sit prior in causando, semper est prior in modo, & perfectione causandi, & quod in causando non præcedat, non est quia pendeat à voluntate creata, neque quia ab illius influxu in aliquo genere causæ determinetur, sed quia ipsa vult suam actionem, & concursum iuxta indigentiam talis causæ secundæ determinare. Vnde licèt respectu propriæ determinationis ad extra voluntas creata sit propria causa efficiens determinationem ipsam, & quasi determinans actionem ad talem speciem, tamen respectu diuinæ voluntatis solum se habet per modum occasionis, & quasi materiæ postulantis à suo primo auctore talem modum concursus, vel auxilij, & quasi trahentis, vel inuitantis diuinam voluntatem ad illud præstandum.

17. Cur diuina voluntas non sit cooperans.

Statim verò insurgit antiqua quæstio de ipsa diuina voluntate, quomodo per habitudinem ad illam non habeat efficientia Dei rationem concursus prævij, & prædeterminantis, nam licèt ille concursus prout ut ad extra, sit simul cum influxu voluntatis creatæ, nihilominus voluntas ipsa diuina quatenus ab æterno voluit, & decreuit talem actum facere in tempore, est causa prior, & antecedens ratione causandi, & alioqui est efficacissima; ergo præcedit etiam efficiendo, & consequenter etiam determinando voluntatem creatam. Qua difficultate superati antiqui hæretici arbitrij libertatem negabant, sicque argumentabantur, vt de Simone Mago disputante cum Petro refertur in Clem. lib. 3. Recognitionum sub nomine Clementis. *Si quod Deus vult esse, est, & si quod non vult esse, non est, quomodo in homine est potestas volendi & non volendi.* Cui post pauca ita ferè Petrus respondet. *Ignoras ô Simon quomodo in singulis quibusque voluntas sit Dei: quædam enim voluit, vt diximus, ita esse, vt aliud esse non possit, quàm id, quod ab ipso institutum sunt, & hus, neque præmia, neque supplicia statuit; quædam vero ita esse voluit, vt in sua potestate habeant agere, quod velint, & hus pro actibus ac voluntatibus suis statuit, vt aut remunerationes mereantur, aut pœnas. Cum ergo in duas, vt docui, diuidantur cuncta, quo mouentur secundùm eam distinctionem, quam supra diximus, omne, quod Deus vult est, & quod non vult, non est.* Hæc sunt verba Petri apud Clementem quæ si rectè inspiciantur, & doctrinam datam confirmant, & vulgarem difficultatem expediunt.

Solutio obiectionis Clementis.

Antecedit enim voluntas Dei respectu causarum secundarum, sed non eodem modo: nam causis naturalibus vult dare determinatum concursum, liberis etiam indifferentè, vt suprà etiam declarauimus: & ideo in prioribus facilè potest antecedere absoluta voluntas Dei de ipso effectu, in posterioribus verò non est necesse, vt talis voluntas antecedat, sed sufficit voluntas concurrendi, quæ includit conditionem, si voluntas creata consentiat. Et ideo licèt talis voluntas Dei antecedat in suo esse, & quasi in applicatione proxima ad influendum, quantum est de se, nihilominus nihil sola agit, ideoq; quantum ad actualem influentiam, non est antecedens, sed concomitans, ac propterea neque efficit prævium concursum, neque ex necessitate infert effectum, quia concursus quem offert, à libera concomitantia voluntatis creatæ pendere potest.

18. Ad Cur prædefinitio adhuc non sit tanta.

Dixi autem ad præstandum concursum causæ liberæ non esse necessarium, vt Deus actu absoluto prædefiniat futurum actum voluntatis creatæ, quia ex vi dependentiæ causæ secundæ, à prima sufficit voluntas concurrendi Dei, quam explicaui. Et quoad actus peccatorum etiam pro materiali, censeo non præcedere aliam Dei voluntatem, vt in lib. 2. de Auxiliis latè tractaui. An verò ad actus bonos præcedat talis voluntas Dei, quæ solet prædefinitio vocari, disputaui eodem loco, & in lib. 5. aliquid iterum de illo puncto dicam. In præsenti vero necessarium non est, quia licèt præcedat illa prædefinitio Dei volentis illo modo prouidere aliquos effectus suos; nunquam tamen erit illa voluntas necessaria ad concursum, neque est quasi proximum principium eius, nam est tantum voluntas prædestinatiua, non executiua. Et ideo nullum concursum prævium efficit in voluntate creata, quo illam prædeterminet ad actum prædestinatum à Deo, sed præuidet alium mo-

modum, quo prę quia excitatione morali, vel adiuncto concursu physico concomitante, voluntas humana liberè & ineffabiliter, efficit actum, quem diuina voluntas prædefinierat, seu prædestinauerat, quis autem hic modus sit, in l. 5. explicabimus.

CAPVT LI.

Ad actus supernaturales necessarium non esse auxilium præuium per modum concursus, sed simultaneum sufficere.

1. Connexio huius doctrinæ.

HÆc est conclusio principalis, propter quam eliciendam, ad omnia, quæ de concursu Dei in præcedentibus capitibus dicta sunt, necessitate compulsi digressi sumus, quia neque sine illo principio hæc assertio fundari poterat, nec illo principio stabilito alia probatio necessaria, quia est euidens consecutio, vt auctores contrariæ sententiæ etiam fatentur; nec enim ob aliud requirunt ad actus gratiæ, concursum præuium eiusdem ordinis, nisi quia putant esse per se necessarium ex generali ratione actionis creatæ, seu causæ secundæ. Sic igitur nos ex contrario principio ita concludimus. Actiones naturales siue necessariæ, siue liberæ, ex vi dependentiæ essentialis à prima causa, non requirunt concursum præuium in causa; ergo nec actiones supernaturales, & gratiæ illum necessariò postulant. Probatur consequentia. Tum quia eadem est ratio dependentiæ proportione seruata respectu Dei, vt est prima causa naturalis, vel supernaturalis; tum etiam, quia non minus potes est habitus, v.g. charitatis, aut lumen gloriæ respectu suarum actionum supernaturalium, quàm sit voluntas, vel intellectus in ordine ad actiones sibi connaturales; ergo sicut hæ potentiæ solum indigent concursu concomitante, ita etiam illæ virtutes. Tum denique, quia omnes actiones factæ de aliis causis tam naturalibus, quàm liberis seruata proportione hic locum habent.

Assertio. Actiones supernaturales non magis postulant concursum præuium, quàm naturales.

2. Probatur auctoritate S. Thomæ.

Vnde possumus assertionem hanc auctoritate D. Thomæ confirmare, nam in 1. 2. q. 109. non alium concursum Dei postulat ad supernaturaliter operandum supposito sufficienti principio interno gratiæ, nisi generalem illum, quem Deus præbet causis secundis vnicuique accommodatum, seu magis, vel minus perfectum, & inferioris, vel superioris ordinis, iuxta gradum, & perfectionem causæ. Sic in art. 4. dicit, hominem tam in statu naturę integræ, quàm lapsæ indigere gratia, id est, interno supernaturali principio operatiuo ad diligendum Deum ex charitate, & insuper in vtroque statu indigere *auxilio Dei mouentis*, per quod concursum simultaneum intelligit, vt suprà declaratum est. Et in art. 9. ad opera supernaturalia, duo dicit esse per se, & in vniuersum necessaria, scilicet, habitum gratiæ, & motionem illam Dei, quæ ex generali ratione dependentiæ omni rei creatæ à Deo necessaria est, quæ est tantum motio cooperatiua, licèt in statu naturæ corruptę ob alias rationes indigeat homo aliis auxiliis.

3. Item Augustini.

Possumus etiam ad conclusionem confirmandam Augustini authoritatem inducere, quatenus in multis locis dicit, esse in potestate hominis vocati, & sufficienter præparati habere operationem liberam, & supernaturalem si velit, & consequenter habiturum etiam concursum necessarium ex parte Dei, si per eum non stet: hæc enim subsistere non possunt, si præuius concursus vltra simultaneum esset in operibus gratiæ necessarius, quia talis præuius concursus cùm à solo Deo fiat, ab eius sola voluntate pendet, vt paulo antea de prædeterminatione ad actum peccati ostendimus. Est etiam eadem proportionalis ratio in præsenti, quia homo non potest se disponere ad illum concursum præuium: naturalis dispositio deberet esse supernaturalis, & ad illam esset necessarius concursus præuius, & sic procederetur in infinitum, & sic sistendum est in primo, qui à solo Dei arbitrio pendeat. Vnde è conuerso ex omnibus locis in quibus Augustinus docet posita vocatione, & principio sufficienti gratiæ, esse in nostra potestate velle aut nolle, & ad hanc aut illam partem determinari, apertè docet concursum Dei ad vtrumque necessarium esse nobis oblatum, & in nostra esse potestate, ac subinde non esse præuium, neque ad vnum determinatum, tale est illud Augustini, *Consentire, & dissentire, nostræ voluntatis est*, de Spirit. & liter. cap. 34. Quod velimus nostrum esse, licèt Dei sit vocando dicta q. 2. ad Simplicianum Deum esse offerre, & inchoare gratiam accipere esse in nobis, epist. 45. Denique posse hominem sibi tribuere, *quod venerit vocatus*, lib. 83. quæst. q. 68. Vnde eisdem locis carentiam consensus homini dicit esse tribuendam; quod certè intelligi non posset, nisi concursus esset in hominis potestate, quod proprium est concursus simultanei; sed hæc pluribus discutienda sunt, tractando inferiùs de auxilio efficaci, de quo ferè eadem est ratio.

4. Rationes ab inconuenienti sumptas ob quas in operibus gratiæ non potest talis concursus præuius esse necessarius.

Et ob eamdem causam omitto hìc duas fundamentales rationes ab inconuenienti sumptas, ob quas etiam in operibus gratiæ non potest talis concursus præuius esse necessarius. Vna est, quod si talis concursus præuius est necessarius & Dei arbitrio datur, quibus non datur ita sit impossibilis via salutis, vt non sit in potestate eorum habere id, sine quo non possunt viam illam ingredi, nedum in ea progredi, & eam consumere, id est, vt non sit in eorum potestate, velle credere, sperare, amare; quia hæc sine auxilio præuio fieri non possunt, & illud non habent, neque ad illud habendum quidquam facere possunt. Alia ratio est, quia opera facta impulsu talis concursus præuij non essent libera, quia talis concursus à solo Deo sit antecedenter in voluntate, cui illa resistere, aut dissentire non potest. Sed hæ rationes communes sunt ad omne auxilium de se efficax, ac prædeterminans sua vi voluntatem, & ideo illas pressius lib. 5. expendemus. Nunc duo aduerto. Vnum est dicta omnia facilè procedere respectu habituum infusorum, habere autem nonnullam difficultatem in actibus supernaturalibus, qui sine habitibus fiunt; nihilominus tamen in illis verasunt, quia licèt necessarium sit efficaciam habitus per aliud principium supernaturale, siue inhærens, siue assistens suppleri, nihilominus illud principium non datur per modum concursus præuij, sed per modum proximæ virtutis, seu adiutorij, quo posito solùm spectatur concursus simultaneus.

tantum & remissiæ in lib. seq.

5. Quomodo si intelligenda assertio.

Vnde aliud aduertendum est assertionem in vniuersum procedere, quando potentia hominis ex omni parte est sufficienter constituta in actu primo ad operandum supernaturaliter, ita vt virtutem per se effectiuam supernaturalis ordinis, & omnia ad operandum prærequisita ex parte principij habeat. Vnde maximè habet locum in potentia habitu supernaturali instructa, & in suo ordine sufficienter excitata. Ideóque cauendum est ne per æquiuocationem à necessitate auxilij præuenientis fiat transitus ad concursum præuium, plus enim, quàm cœlum à terra distant, nam concursus non locum habet, nisi postquam potentia necessariis auxiliis sufficienter præuenta est. Item quia præuenientia auxilia ad gratiam excitantem pertinent;

tinent, vt suprà visum est: concursus autem simultaneus imbibitur in actu gratiæ cooperantis, & si daretur præuius, non esset per modum excitationis, quæ est actus vitalis, sed per modum motionis non vitalis, & ab extrinseco agente tantum receptæ, & hanc dicimus etiam ad opera gratiæ per modum concursus prequij non requiri.

6. Fundamentum vnicũ aduersariorum initiũ salutis fore à nobis destruitur.

Atque hac vnica animaduersione facilè soluitur fundamentum contrariæ sententiæ, quatenus de his actibus supernaturalibus præcipuè loquitur, erat autem fundamentum cap... vltimo loco propositum, quia aliàs initium salutis, seu actus, v. g. fidei, vel amoris Dei super omnia, in quibus nostra salus consistit, esset ex nobis quod Scripturis sanctis, & Conciliis repugnat. Hoc ergo fundamentum dicimus solum nisi in equiuocatione verborum. Nam initium salutis, vel iustitiæ, aut boni operis in vsu Conciliorum, & Patrum, non significat actum ipsum liberum. prout à Deo, vel ab homine prius fit, sed significat actum aliquem priorem actu ipso libero, qui sit principium eius, & à quo salus hominis inchoetur. Hoc probamus apertè, primò ex Concilio Trident. sess. 6. dicente.

Conc. Trid. *Declarat sancta Synodus ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione.* Nunquid vocatio est præuius concursus ad consensum, quem potest tempore antecedere? Secundò idem initium vocauit Concilium præuenientem Spiritus sancti inspirationem in Can. 3. dum definit. Si quis sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, &c. illa enim duo auxilia ad omnes actus supernaturales requirit, & inspirationem præuenientem ponit, vt primam gratiam, quæ exordium salutis. Quàm enim in c... *vocationem* appellauerat, statim vocat *excitantem gratiam*, & hanc deinde vocat Spiritus sancti illuminationem, & inspirationem. Hoc ergo est initium salutis, & singulorum actuum fidei & spei, &c. Tertiò hoc ipsum satis probat illud ipsum Concilium, quod in contrarium allegatur Arausicanum II. nam in cap. 5. dum

Conc. Arausican. initium fidei in nobis fieri per gratiæ donum definit, ita exponit illud gratiæ donum, id est, *per inspirationem Spiritus sancti, corrigentem voluntatem nostram.* Et eodem modo loquitur in cap. 6. 7. & sequentibus, ac tandem in 25. vbi dicit, *hoc salubriter confitemur, quod in omni opere bono nos non inciptimus*, & statim declarat quomodo Deus incipiat, dicens, *sed ipse nobis nullis præcedentibus meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat.*

7. Quid sit diuinum salutis initium apud Aug.

Eademq; fuit sententia Augustini, semper enim salutis initium ad vocationem, vel sanctam cogitationem reducit, & ideo dicit omnem pium voluntatis motum Deo tribui, vt videre licet dicta q. 2. ad Simplicianum c. 9. vbi ait, ideo initium boni operis esse ex Deo, quia non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sentiens ex sancta cogitatione initium illud sumi. Et de eadem re est

Zosimus. egregium testimonium Zosimi Papæ, Cælestini, & Concilij Africani, & Prosperi authoritate firmatum in epist. Cælestini cap. 8. vbi hoc initium instinctus Dei appellatur, & illo mediante omnia bona ad Deum authorem suum referenda dicuntur. Idem confirmat aliis locis Prosper, præcipuè

Prosper. ad excepta Genuensium, & contra Collator. &

Fulgent. Fulgentius lib. 1. ad Monim. cap. 8. & lib. de Incarnat. & gratia cap. 17. & 19.

8. Confirmatur.

Hoc etiam probat quod cap. 1. & 2. huius libri diximus, excitationem esse primam gratiam, quia à sancta cogitatione incipere debet omnis sancta voluntas & operatio: in vnoquoque autem ordine id quod est primum, est initium totius rei; vnde quia gratia est causa salutis, primum auxilium gratiæ est initium salutis. Et præterea vsi sunt Patres illo modo loquendi contra Semipelagianos, cum quibus non erat disceptatio de modo concursus diuini, sed de primo auxilio. Nam Semipelagiani dicebant nullum esse, quia etiam vocatio datur ex humano merito, vt in Prolegomenis visum est. Partes autem vt gratiam defenderent, dixerunt, primum auxilium esse gratiæ, ac salutis initium, ac proinde esse prius omni humano merito, & libera cooperatione. In hoc ergo sensu loquioportet de initio salutis, vt sententias Conciliorum & Patrum à quibus istæ voces sumptæ sunt, intelligere possimus, alioqui si per nouas impositiones significatio reddatur incerta, etiam definitiones Patrum eludentur, & ad falsa dogmata probanda retorqueri poterunt.

Hinc ergo facilè intelligitur probationem illam parum rei præsenti deseruire: vt autem res euidentior fiat, formaliùs illi respondebimus. Nam cum in illo fundamento infertur, si voluntas affecta charitatis habitu, sine concursu præuio posset vti illo habitu ex innata libertate, primò incipere actum illum, distinguenda in primis est particula *primò*, nam ferè eodem modo, quo suprà illam distinximus, seruata proportione. nam potest dicere relationem ad priorem gratiam, & illam excludere, & sic negatur sequela, quia secundum sententiam nostram etiam potentia habitu infuso perfecta non potest operari sine præuia excitante gratia, & ita non ipsa potentia primò incipit actum, sed gratia, quæ illam excitat. Qui autem putant potentiam affectam habitu non indigere semper excitatione, etiam negabunt sequelam, vel quia ante habitum præcessit excitatio, quæ virtute manet, vel quia ipsemet habitus habet vim excitationis, hoc enim etiam ipse arguens alibi fatetur, quod tamen nullo modo nobis placet, vt supra cap. 1. & 2. diximus, & ideo verius est requiri proprias excitationes etiam ad actus procedentes ex habitu, imòlicèt dandus esset præuius concursus, adhuc præcederet excitans gratia. Ergo respectu illius nullum fundamentum habet illatio.

Potest autem aliter particula *primò* dicere relationem ad ipsummet charitatis habitum, & tunc potest illa particula vlteriùs poni ut sumi, aut negatiuè. Priori modo significat voluntatem prius efficere amoris opus, quàm charitatis habitum, & sic falsum est consequens & mala illatio. Nam licet voluntas sine præuio concursu vtatur habitu, non tamen vtitur illo sine influxu illius, neque prius elicit actum, quàm ipse habitus, nec se determinat, quin simul habitus determinationem efficiat. Nam licèt habitus charitatis dicatur determinari ad vsum, & exercitium à voluntate, in qua inest, quia libertas, & indifferentia, quæ est proxima radix illius determinationis, est à voluntate, nihilominus ibi non intercedit ordo prioritatis in causalitate, sed solùm specialis habitudo ad talem actionem propriam voluntatis, ratione cuius respectu illius peculiari modo denominatur determinato. Posteriori autem modo, scilicet, negatiuè verum est consequens, & optima illatio, quia habitus charitatis ordine causalitatis non prius influit in actum, quàm voluntas, vt per se notum est, & infra in lib. 6. ex professo dicetur.

Tertiò potest illa particula *primò* dicere relationem, seu comparationem ad Deum concurrentem cum voluntate, & eadem subdistinctione vtendum est, nam potest, & negatiuè, & positiuè intelligi. Positiuè significat liberum arbitrium prius operari, quàm Deus concurrat, & quia hoc falsum est, tam malè infertur: nam cùm dicamus concursum illum esse simultaneum, vnde inferri potest influxum liberi arbitrij esse priorem? imò ex illo antecedente contrarium apertè sequitur,

tum

tum quia simul; & priùs opponuntur, tum etiam, quia illa simultas est per essentialem dependentiam actionis causæ secundæ à prima, & ideo contradictionem implicat talem actionem esse prius ordine causalitatis à causa secunda, quàm à prima, quia repugnat rem esse prius, quàm suam essentiam habeat.

11. At verò negatiuè significat illam particulam Deum non prius efficere per se, & immediatè illum actum per suum concursum generalem, quàm liberum arbitrium per suum, & sic admittimus sequelam; nam & illatio optima est, & consequens verissimum, loquendo de prioritate causalitatis; secus verò de prioritate independentiæ, & dignitatis, ac efficacitatis, sicut in aliis actionibus causarum secundarum declarauimus: nam quoad hoc nihil habent peculiare opera gratiæ, sed solùm in excellentia, & perfectione ipsiusmet concursus simultanei, vt iam satis explicauimus. Neque hoc possunt negare authores primæ sententiæ; quoad simultaneum concursum, nam licèt ponant præuium, negare non possunt simultaneum etiam in operibus gratiæ, sicut reuera non negant; ergo in eo signo naturæ in quo iam elicitur, & immediatè fit ipsa actio voluntatis supernaturalis, necesse est, vt homo sit primò operans in dicto sensu, quia in eam actionem non prius operatur Deus. Dicent iam præcessisse operationem Dei per præuium concursum, ratione cuius initium illius actionis tribuatur Deo. Respondemus imò præcessisse excitationem, & vocationem Dei, quæ est verum initium gratiæ, & salutis, nobis traditum à Conciliis, & Augustino: aliud autem initium in eis non legimus, neque necessarium reputamus, saltem ratione generalis concursus; an verò ob aliam peculiarem causam ponendum sit, in lib. 5. expendemus.

13. Soluitur ob icitio ex Conc. Senonensi. Similis æquiuocatio committitur in altera probatione sumpta ex Concilio Senonensi, quia in præfatione dicit, *In bonis operibus efficiendis, & liberum arbitrium operatur, & gratia, primò tamen & principaliùs gratia, & qui primatum boni operis libero arbitrio adscribit, non gratiæ, Pelagianus censendus est.* Quasi ex his bene inferatur, qui dicit liberum arbitrium simul cum Deo operari bonum actum, & Deum per generalem concursum, non prius natura illum actum efficere, primam tribuere libero arbitrio, quæ illatio prorsus sophistica, & absurda est. Nam in primis ibi Concilium non loquitur in specie de concursu, sed in genere de gratia, & ita nullum argumentum sumi potest ab inferiori ad superius negatiuè, vt non sequitur, non est homo; ergo non est animal, ita etiam non sequitur, concursus Dei non prius operatur, quàm influxus liberi arbitrij; ergo gratia in bonis operibus efficiendis non est prior. Quocirca licèt priori sententiæ demus, particulam *primò* significare ordinem causalitatis, & naturæ, nihil inde probatur, quia illud est verissimum ratione gratiæ præuenientis, quæ præcedit semper omnia opera nostra, in suo genere est principalis causa eorum, licèt, physicè loquendo, principalior sit causa adiuuans, quàm liberum arbitrium, & ita ratione vtriusque gratiæ propriissimè positæ sunt illæ duæ particulæ *primò*, & *principaliter*. Neque posterior consequentia maiori probabilitate inducitur, quia primatus non significat ordinem causalitatis, sed dignitatis, & virtutis, & in hoc præstat gratia, non solùm vt est specialis virtus causæ secundæ in suo ordine, qualis est charitas, & aliæ virtutes infusæ, sed etiam vt extenditur ad concursum generalem in illo ordine. Imò non solùm in operibus gratiæ, sed etiam in omnibus actionibus causarum secundarum primarum habet efficientia Dei per suum generalem concursum, etiamsi simultaneus sit. Ac denique licèt gratis demus vocem primatus positam esse propter ordinem causalitatis, non adstruitur respectu concursus, sed respectu gratiæ, de qua certissimum est, esse primam in causando, & mouendo liberum arbitrium, quod solum potest ad primatum sic impropriissimè explicatum pertinere.

12. Ratio aduersariorum, Homo in negotio salutis habet aliquid proprium. Vltima probatio erat, quia aliàs haberet homo in negotio salutis aliquid proprium, quod non haberet ex gratia, contra illud Pauli, *Quid habes, quod non accepisti?* quod argumentum magni facere solent dicti authores ad probandum auxilium efficax, an ex peculiari ratione ordinis gratiæ requiratur; solùm dicimus, non rectè applicari argumentum ad concursum generalem: aliàs peccator in peccatis suis dicere posset, *Quid habeo, quod non accepi à Deo, quia quidquid feci, ipse fecit*, vt facerem concursu præuio non minus efficaci in suo genere, quàm concursus gratiæ sit in suo ordine.

15. Soluitur. Respondemus ergo negando sequelam, quia etiam si non detur concursus præuius in ordine gratiæ, nihilominus quidquid est in homine bene operante conferens ad salutem, totum id habet à Deo, quia in homine nihil huiusmodi inuenitur, nisi vel antecedentia auxilia, vel habitus infusi, & actiones eorum, vel prout sunt actus perfecti, & qualitates quædam. Omnia autem hæc habet homo à Deo, vt ab authore gratiæ; de antecedentibus enim auxiliis, iam satis id ostensum est, de habitibus id nunc suppono, vt certum apud omnes. De actionibus in fieri patet ex proximè dictis, quia illæ actiones immediatè fluunt à Deo, à quo essentialiter pendent, & mediantibus illis actionibus etiam actus, seu qualitates actuales sunt dona gratiæ Dei, vt suprà etiam declaratum. Quid ergo subtrahitur gratiæ Dei? nunquid quòd actiones, & actus non sunt à solo Deo? At hoc etiam posito concursu præuio, necessariò dicendum est. Dicent fortè, hoc, quod est agere, seu determinari ad actionem, non tribui gratiæ Dei. Verumtamen hoc etiam est falsum, quia agere non est aliquid vltra actionem ergo si actio est à Deo per concursum simultaneum, etiam agere est à Deo, ex vi eiusdem concursus, & remoto præuio. Determinatio autem si sumatur ante ipsam actionem, nulla est, & ita nihil ex hac parte tribuitur homini; si verò sumatur: vt per actionem ipsam formaliter fit, sic nihil addit ipsi actioni, neque in se habet aliquid quod non fit à Deo per generalem concursum simultaneum. Quid ergo reale est in donis gratiæ, quod dicatur homo habere sine Deo, seu absque influxu gratuito Dei? Nulla est ergo necessitas præuij concursus. Et hæc de speciebus auxiliorum gratiæ dixisse sufficiat.